UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Logica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95850

Visual Library

LOGICA.

PARS I.
TRACTANS PROLEGOMENA, MATERIAM DE DISTINCTIONE ET ENTE RATIONIS.

PROLOGUS.

ABsolutâ parte Introductoriâ ad universam Philosophiam aggredior ad corpus primamq́; ejus partem, Logicam scilicet, quæ incipientibus spinosa videtur & dura, ut propterea multi abeant retrò, occinentes sibi quoq́;, durus est hic sermo quis potest eum audire? quia tamen nihil tam difficile quòd non dulcis solertia vincat, nec spinæ lædant nisi incautè tangentes, neq́; saxa dura offendant nisi incurios, apum instar relictis aculeis de spinis rosas carpendas, oleumq́; de saxo durissimo legendum puto, & sic materiam proponam totam, in prima verò parte hâc agam & tractabo non modò Prolegomena, verùm etiam de distinctione & ente rationis, quamvis incomperto sit materias hasce considerare, magis esse Metaphysici, quàm Logici, ut proinde putet Suaretz d. 54. errorem esse de ente rationis tractare in Logica, existimo tamen perinde esse ubicunq́; tractetur locorum, dummodò non ignoretur, unde utiliùs censeo hic eas explicare, quoniam per totam Logicam continua de ente rationis est mentio, distinctio adhuc magis hunc locum sibi vendicat, cùm ea differendi modi pars sit, sequitur etenim divisionem, quam qui discretè adhibet benè docet, & benè defendit, quâ ignoratâ dubium non est quemq́; gravius audire, quare cùm universale sit, distinctionem claritatem parere, tenebras confusionem. Igitur sit

DISPUTATIO I.
DE NATURA LOGICÆ.

QUÆSTIO I.
Quid & quotuplex sit Logica?

Datur Logica.

Logicam Dari res omninò est certa & manifesta, ita qui contra diceret sapientissimos, imò & sanctissimos Doctores qui eam secuti, aut commentariis illustraverê, insipientiæ & amentiæ argueret, cujus inventores qui fuerint fusè tradunt plures Scriptores, & inter alios Conimb. & ut loquar cum D. August. lib. Civit. cap. 25. *Neq; enim ipsi* (id est antiquiores Philosophi) *instituerunt ut ita esset*, (scilicet Philosophia tripartitia in Rationalem, naturalem, & moralem) *sed ita esse potiùs invenerunt*; Ad quæstionem ergò veniendo congruentissimum duxi ante alia examinare ejus naturam, quidq́, per Logicam intelligatur explicare, nam de rebus agendo nominum rationem indagare nequaquam supervacaneum esse dixit Plato in Cratylo, quem Aristoteles quoq́; sequitur 1. post. 1. dum dicit, Omni disputationis initio Etymologiam & vocis interpretationem præponendam esse, Quare nota veteres Philosophos diversimodè sumpsisse Logicam & Dialecticam namDialecticam dicebant facultatẽ disceptandi & differendi ex probabilibus, quibus favet quoq́;

Varia Logica acceptiones.

quoq; Aristoteles 1. top. 1. dicens Dialecticæ proprium esse de qualibet re probabiliter disserere, & consonat Etymologia nominis, derivatur namq; à verbo Græco διαλέγομαι, unde eam Græci dicunt, Διαλογ., l. Διαλέξι., quod Cicero lib. 3. de nat. Deorum interpretatur *probabiliter disputare*; Logicam verò appellabant artem conficiendi demonstrationem, quod quàm facilè asseruerunt illi, tàm difficilè negari potest ab aliis, nam ex Etymologia nominis quòd est à verbo Græco λόγος latinè sermo, seu ratio, unde ipsi vim sumebant non plus artem conficiendi demonstrationem, quàm facultatem disputandi ex probabilibus deducere possunt, nisi fortè Dialecticam voluissent esse partem Logicæ, sit ut sit, consuetudo modernorum jam obtinuit ut pro eodem sumantur, nam ut utar verbis D. Augustini lib. 3. contra Academicos cap. 13. Docuit me Logica cum de re constat propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi. Itaq; ad primam partem quæstionis.

II. *Dividitur Log.*

DICO 1. Benè describitur Logica: Quòd sit *ea Philosophiæ pars in qua docetur quonam modo verum à falso determinandum sit.* Ita D. Augustinus in terminis lib. 2. Doct. Christ. cap. 34. quod iisdem penè verbis repetit lib. 2. Civitat. cap. 7. dum dicit, Logicam esse *eam Philosophiæ partem in qua investigatur ratiocinando, quid in ipsis ratiocinandi regulis certa connexione trahatur, aut quid non sit consequens, vel etiam repugnet.* Concordat D. Bernardus in tractat. de vita solita. cap 15. dicens *Ratiocinatio* (sic enim vocatur etiam Logica) *est rationis inquisitio*, scilicet quomodo verum à falso determinandum sit. Nec multum discrepat ab illa quam Recentiores communiter tradunt, scilicet *quòd sit facultas regulas intellectus in operando directivas & ab errore conservativas considerans*, nam loco quòd hi Authores dicunt esse facultatem, exprimitur clarius per hoc quod dicatur eam esse Philosophiæ partem, & ubi illi ponunt considerans, nostra verius habet, docet, imò in illorum Authorum videtur una particula superfluere, si enim regulas tradit in operando directivas, jam eo ipso ab errore conservativas proponit, & si proponit ab errore conservativas, eo ipso in operando directivas tradere censetur, ita ut una aut altera pars superfluere videatur. Patet deniq; conclusio ex regulis bonæ definitionis, nam constat genere & differentia, genus namq; est *ea Philosophiæ pars*, cætera verò locum differentiæ habent, ergo. Notandum tamen hic non esse definitam nisi solam Logicam docentem, quam consequenter applicare poteris Logicæ utenti, sed ad secundam partem progrediendo.

III. *Dividitur Logica.*

Logica Primò dividitur in naturalem & artificialem ut tradit Philosophus Elench. c. 8. & inlinnat D. August. lib. 2. Civit. cap. 7. Naturalem definit idem Doctor Sanctus libro 83. q. 31. *Innatam vim naturæ per quam homo pertingit ea quæ sunt*, sive est ipse intellectus in quantum habet virtutem ritè apprehendendi, judicandi & discurrendi. Artificialis est ipsa quam paulò ante definivi, nec enim in abstracto definiri poterant, cum naturalis sit substantia, altera sit accidens, à quibus non abstrahitur univocè præter ens quod non est Logica. Artificialis iterùm subdividitur in docentem & utentem, docens est ipsa cognitio modorum sciendi, seu illarum Regularum secundùm quas intellectus in quacunq; materia discurrere potest & verum à falso determinare; & hæc cognitio vocatur Logica docens actualis, seu actus Logicæ docentis, facilitas verò quam talis cognitio sæpè repetita gignit & relinquit, appellatur docens habitualis, seu habitus causatus ab actu Logicæ docentis. Utens est exercitium per quod intellectus utendo regulis à docente traditis conficit operationes conformiter illis, quæ confectio vocatur actus Logicæ utentis, facilitas autem ex frequentatis actibus generata, dicitur Logica utens habitualis. Sed controvertitur inter Authores, num Logica secundùm omnes suas partes benè dividatur in docentem & utentem, partes verò Logicæ sunt, topica, sophistica & demonstrativa aliqui enim putant, secundum partem topicam tantummodò benè dividi Logicam in docentem & utentem, alii verò secundum omnes partes asserunt bonam esse Logicæ partitionem in docentem & utentem, cum quibus etiam

IV. *Divisio Logicæ bona est secundum omnes partes.*

DICO 2. *Divisio Logicæ docentis & utentis secundum omnes suas partes est bona.* Ita Mastrius, Ruvius, Aversa, Didacus à Jesu, &c. contra Complut. & Conimb. Probatur conclusio primò, Quia in omni parte Logica, seu tam in parte topica, quàm demonstrativa & Sophistica, non modò traduntur regulæ quomodo actus elici debeant, sed etiam actualiter fiunt & eliciuntur, ergò. Prob. 2. Logica secundùm Adversarios benè dividitur in docentem & utentem quoad partem topicam, quia confectio & cognitio illius Syllogismi ad ipsam pertinet in quacunq; materia fiat, sed confectio & cognitio demonstrationis ad Logicam pertinet in quacunq; materia fiat, ergò: ma. est certa; probatur minor eadem ratione quâ confectio Syllogismi demonstrativi non pertineret ad Logicam, sed ad illam scientiam in cujus materia fieret, illâ etiam ratione confectio Syllogismi topici non pertineret ad Logicam, sed ad illam scientiam in cujus materia exerceretur, verbi gratiâ, ad Physicam, si in materia Physica fieret, sed hoc non admittunt Adversarii, ergò neq; primum. Confirmatur, quia licet in illo casu materia esset Physica, vel Metaphysica, & sic ratione materiæ ad illas scientias pertinere deberet, nihilominus quoad formam & modum adhuc ad Logicam attinet & spectat, sed nova hic exoritur difficultas, scilicet quomodò hi duo habitus Logicæ docentis & utentis inter se distinguantur, quam quæstionem ut resolvam ne in hac sim longior, expedio nova quæstione. Sit igitur

QUÆSTIO II.

Quomodo Logica docens & utens inter se distinguantur?

I. *Actus Logicæ docentis & utentis realiter distinguuntur.*

Difficultas hujus quæstionis potissimum versatur circa habitus, nam actus Logicæ docentis & utentis distingui realiter quasi omnium est sententia, nam convenit ipsis potissimum distinctionis realis signum, scilicet, quod

quòd sine se invicem esse possint saltem frequentissimè, dico frequentissimè, quia non nego posse dari aliquem actum, qui simùl esset docens & utens, ut dum dico, definitio est oratio quæ constat genere & differentia, simùl utor & etiam trado regulam quomodò definitio sit conficienda, De habitibus itaq; duplex est sententia, prima docet Logicam docentem & utentem esse eundem realitèr habitum, & solùm diversum ex diversa consideratione, diversisq; muneribus, in quantum enim tradit regulas dividendi, definiendi, discurrendi, dicit eum esse Logicam docentem, in quantum autem iisdem regulis in aliis scientiis utitur dicit eam Logicam esse utentem, hæc sententia est communis omnium Thomistarum, Complutensium dis. 1. Log. q. 4. §. 2. Soti quæstione 2. procem. Sanchez disp. 1. Log. Aversæ q. 1. Log. sect. 2. qui tamen concedit actus Logicæ docentis & utentis esse realitèr & essentialitèr distinctos, Ex Scotist. hanc sententiam etiam amplectuntur Faber Theorem 1. cap. 1. Pontius disp. 2. Log. q. 6. quibus etiam ipse Scotus favere videtur q. 1. prædicab. ubi non nisi ex diversa consideratione Logicam docentem & utentem discernere videtur. Secunda sententia docet Logicam docentem & utentem realitèr distingui, hæc est Mastrii q. 1. proæm. art. 1. Mauritii q. 1. universa. §. 6. Tartareti q. 1. proæm. §. sciendum, quam à vestigiis prioris declinando paritèr amplectar. Pro cujus tamen intelligentia notandum, Logicam utentem dupliciter sumi posse, uno modo pro habitu scientifico Logico per demonstrationem acquisito, quo utimur in singulis scientiis dividendo, definiendo, & argumentando, & hoc modo Logica utens si sumatur, non erit distinctus habitus à Logica docente, sed potius erit ipsa Logica docens in usu posita. Secundo modo sumitur pro habitu acquisito ex frequentatis actibus definiendi, dividendi, & argumentandi, nam ut docet Scotus in 3. d. 33. ex omni actu voluntatis & intellectûs potest generari habitus, habitus autem nihil aliud est quàm promptitudo & facilitas quædam quam acquirit homo per frequens exercitium alicujus rei, sic verbi gratiâ qui frequenter scribit, acquirit facilitatem citò scribendi, quæ facilitas vocatur habitus scribendi, & hoc altero modo Logica utens si sumatur, erit distinctus habitus ab habitu Logicæ docentis, quòd etiam resolutivè concludo, & ad quæstionem.

II. *Logica docens & utens habitualis realitèr distinguuntur.*

Dico *Logica docens & utens inter se distinguuntur realiter.* Hæc est Authorum secundæ sententiæ contra primam. Et probatur 1. Scotus quæst. 4. Prologi ait, Quòd ubi cognitio aliquarum non est propter speculari simplicitèr, sed etiam aliquomodo propter operari, tunc respectu illorum duplex est necessarius habitus in nostro intellectu, unus respectu universalium, alter verò particularium ex particularibus actibus genitum, Ex quibus verbis sic subsumo, sed Logica non est propter scipsam simpliciter, sed etiam ad dirigendas operationes intellectûs, ergò duplex respectu ejus ponendus erit habitus, unus universalium quo generales regulæ, definiendi, dividendi & discurrendi traduntur alter verò particularis, qui ex frequentatis actibus definiendi, dividendi, &c. acquiretur. Hinc explicare poteris Scotum supra cit. pro contraria opinione, vel Doctorem ibi locutum fuisse de Logica utente in prima acceptione, & sic verum est non distingui à Logica docente, nisi ex diversis muneribus. Vel eum per Logicam docentem ibi intelligere habitum procedentem ex necessariis, per utentem verò habitum procedentem ex probabilibus, qualis est pars topica, & sic authoritas esset in oppositum, probaret enim distinctionem & non identitatem.

III. **Probatur Conclusio 2.** Nulla est facultas organica quæ non divideretur in docentem & utentem, sed in his omnibus docens & utens distinguuntur realitèr, ergò similitèr de Logica quæ est disciplina organica dicendum erit, ma. patet, nam facultas scriptoria dividitur in docentem & utentem, Medicina in docentem quam appellant Theoricam, & utentem quam practicam dicunt, & sic de aliis, quas patet etiam distingui realitèr, cum una sine alia esse possit, nam scriptura docens est quæ tradit IV. regulas benè scribendi, utens verò quæ utitur regulis, & potest aliquis dare regulas benè scribendi & tamen illis regulis nunquam uti ergò.

Ruvius Hujus probationis paritatem negans dat disparitatem, quia cùm artes quæ per externa membra exercentur duplicem sortiantur difficultatem unam in intellectu aliam in membris externis, ideò duplicem inquit Ruvius requirunt habitum, unum in intellectu, alium in membris externis, Logica verò licet sit facultas organica, attamen eadem potentia est quæ cognoscit regulas & quæ illis utitur, V. adeoq; non nisi uno habitu indiget scilicet in intellectu.

Sed hæc Ruvii solutio nulla est, nam ideò ille admittit in arte scriptoria habitum diversum in membris externis ab habitu docente intellectûs, ex eò quòd in membris externis reperitur tàm benè difficultas, quàm in intellectu, ergò esto Logica consistat in solo intellectu, quia tamen intellectus habet duplicem difficultatem videlicet addiscendi præcepta Logicæ, & explicandi eadem, ideò etiam debet esse in VI. intellectu duplex habitus, unus ad percipienda præcepta, alter ad usum eorundem facilitans. *Actus omnes sunt generativi alicujus habitus.*

Probatur Conclusio 3. Actus Logicæ utentis multiplicati generant aliquem habitum, ut videtur clarum esse, nam si hi non generarent habitum eadem ratione dici posset quòd nec Actus Logicæ docentis, nec universalitèr aliqui alii habitum gignerent, cum non sit potior ratio de uno ac de alio, & quâ ratione isti essent sola impedimenti ablatio, ea ratione & alii dici possent, sed isti actus non generant habitum Logicæ docentis, ergò alium à docente distinctum; major patet ex dictis, minor probatur, quia non sunt actus scientifici, ergò non generant habitum Logicæ docentis. Nec dicere valet habitum Logicæ docentis in quantum habet rationem entis, per actus illos augeri, quia cum ille habitus sit speculativus, & alter utentis scilicet practicus, requirit per actus hos augeri, cum practicum & speculativum sint differentiæ essentialitèr habitum dividentes; si verò

si verò dicere velles actus illos ut dicit Joannes à S. Thoma non generare quidem habitum, sed aliquam facultatem per modum alicujus dispositionis & expeditionis in applicatione materiæ, quæ non est novus habitus, sed aliquid imperfectum, in tali genere inserviens veluti dispositio, tunc excitabis quæstionem de nomine, an facilitas ex actibus Logicæ utentis genita sit habitus, vel dispositio dicenda? mihi sufficit quòd nova qualitas generetur quæ intellectum facilem reddet & promptum ad definiendum, discurrendum, quam qualitatem ego appello habitum, appelles tu quomodocunq; velis. Confirmatur conclusio, tum quia videmus quod Tyrones perfectissimè quandoq; calleant regulas conficiendi definitionem divisionem, &c. & tamen ad confectionem sunt difficiles, quæ difficultas melius quàm per habitum tolli nequit, ergò. Ex qua confirmatione ruit tota ratio sententiæ contrariæ, videlicet, quòd non sint multiplicandi habitus sine necessitate, atq; à Logica docente non esse alium habitum distinctum asserunt ipsi, negat sententia nostra, quòd si melius argumentum non adhibent, ut non faciunt, viderint ipsi quantum valeat, ego vidi, sed oculos meos averti, & teneo nunc cum Aristotele cogitationes posteriores esse sapientiores, ut autem eorum ex professo refellantur, congruum judico eorum fundamenta plenius adducere, Itaq;

VII. *Longa cognitio regulas remanet ad hic difficultas.*

Arguitur in contra 1. In cognoscentibus regulas & præcepta Logicæ, habitoq; Logicæ docentis habitu, nulla remanet difficultas quo minus definire, dividere, & argumentari possint cum omni facilitate, ergò superfluit Logica utens habitualis quæ facilitaret ad definiendum & dividendum, &c. sed R. negando ant. nam ultra hoc quod aliquis sciat regulas Logicæ docentis, & habeat habitum Logicæ utentis habet adhuc difficultatem applicationis præceptorum Logicalium, quòd ipsa docuit experientia & in hodiernum usq; docet diem, nam postquam aliquis novellus scit præcepta & regulas Logicales, dum aliquem formac Syllogismum secundum ipsas regulas perspectè consideratas & cognitas, format adhuc illum cum difficultate, si tamen perseveret in fabricandis & formandis Syllogismis, tantam argumentandi facilitatem percipiet ut sæpe formaturus in regulis Syllogismos perfectissimos secundum modos & figuras, nihil de modis & figuris cogitando, quod in me ipso expertus sim & experior, experti fuerunt & alii, & experientur posteri quòd frequentèr argumentabuntur in optima forma non recordaturi regularum, modorum, vel figurarum, ergò signum est quod ultra habitum & regulas Logicæ docentis requiratur alius qui sit Logicæ utentis. Quæ responsio magis confirmatur ex iis, qui Logicæ nunquam studuerunt, ita ut omnes prorsus regulas docentis ignorent, attamen propter frequens exercitium argumentandi in scholis, talem sibi facilitatem comparunt, ut eos in forma & modo arguendi frequentèr, si non superarunt, saltem æquarunt eos qui se totis viribus addixerant ad arguendum conformitèr regulis docentis logicæ, ergò.

Instatur Omnis illa facilitas quomodocunq; acquisita sit, est à Logicæ docentis habitu, ergò nulla solutio. prob. ant. Quia ad Logicam docentem spectat non modo considerare regulas bonæ operationis secundùm se, sed etiam judicare an benè sint applicatæ hic & nunc, in hac & illa materia, ergò quod aliqui facilè argumententur non consideratis regulis in genere, adhuc provenit à Logica docente, quia tunc considerant & judicant hic & nunc benè formatum esse Syllogismum. R. negando ant. cum prob. consequentia nam præter habitum judicandi an benè applicata sint præcepta hic & nunc, hac vel illa materia, adhuc alius debet dari habitus ad facilitèr & promptè operandum, imò illi qui nullas didicerunt regulas, quomodo judicabunt an hic & nunc serventur regulæ bonæ argumentationis? professio nesciant litteras quas non didicerunt. *Illa facilitas non provenit à Logica docente.*

Urgetur Habitus Logicæ utentis idem sonat quod habitus dirigens, ergò non est diversus à docente, quia etiam hic dirigit ad facilitèr operandum, consequentèr nulla solutio; R. negando ant. nam Logica utens non est quæ non dirigit, nec qua utimur per modum regulæ, sed est quæ facilitat ad operandum conformitèr ad regulas Logicæ docentis, nisi aliquis nimis impropriè loqui vellet, sed cum tali res non esset habenda.

VIII. *Habitus Logicæ docentis non facilitat specificè ad actus Logicæ utentis.*

Arguitur 2. Habitus Logicæ docentis non solum inclinat ad definiendum & Syllogisandum, sed etiam facilitat intellectum ad usum instrumentorum logicalium, facilior est enim intellectus ad faciendum Syllogismum postquam cognovit quid Syllogismus sit, & quomodò fieri debeat, quàm ante, ergò est unus & idem habitus, qui quatenùs tradit regulas dicitur docens, quatenùs ad usum facilitat dicitur utens, ergò. R. dist. ant. facilitat distinctè & specificè, nego ante: facilitat in confuso & sub ratione generica facilitandi intellectum concedo ant. & nego conseq. Itaq; licet habitus Logicæ docentis aliquam facilitatem subministrare posse videatur, illa tamen non est nisi generica habitûs, non verò specifica hujus habitûs, quod inde claret, quia actus Logicæ docentis sunt speculativi, Logicæ verò utentis operativi, quod operativum, vel practicum est absolutè, vel vix aut paulò minus quàm practicum, item actus Logicæ docentis generant scientiam, utentis non nisi artem, adeoq; quia diversi sunt omninò actus, diversos esse etiam habitus paritèr est necesse, quia habitus non generantur ab actibus nisi sibi similibus, Quare habitus Logicæ docentis facilitat ad tradendas regulas logicales, Logica verò utens inclinat ad promptè faciliterq; discurrendum, ad quos actus nihil prodest Logica, nisi idealitèr & directivè, quatenus intellectus quò magis instructus est Logica docente, minùs exponitur errori in arguendo, sed quantumvis aliquis noverit regulas Logicales, semper tamen patietur difficultatem in exercitio, usq; dùm ex actibus frequentatis acquisierit habitum.

Instatur Ut quis benè arguat in Physica verbi gratiâ, vel alia scientia, nulla re indiget, quàm

quàm dirigente actu Syllogisandi, & Physicâ ut eliciente actum, ergò superfluit alter habitus, quia ad dirigendum sufficit Logica docens, ad eliciendum physica: R. dist. ant. nullo alio habitu indiget quàm dirigente, &c. ut benè arguat concedo ant: nullo alio indiget ut faciliter arguat, nego ant. Logica enim docens sufficiens est ut benè discurramus, sed non est sufficiens ut facilitèr & prompte discurramus, quòd tamen præstat Logica utens, non directivè & idealitèr, hoc enim est munus Logicæ docentis, sed elicitivè, non quoad materiam, nam hoc præstat verbi gratiâ Physica, sed quoad formam Syllogisticam & sic in tali casu tres habitus eidem actui correspondent, nam habitus Logicæ docentis concurrit regulativè, utentis faciliter elicitivè quantùm ad formam, habitus Physicæ elicitivè quantùm ad materiam, quòd si hoc alicui absurdum videtur, absurditatem demonstret.

QUÆSTIO III.

De objecto Scientiæ in communi.

I. *Etymon objecti explicatur.*

Quia omnes scientiæ congruentissimè per objecta distinguuntur & discernuntur, hinc antequam ad Logicæ naturam declarandam proximiùs accedam, primò de objecto ejus agendum est, & quia teste Aristotele 1. post. 23. & Met. 1. unaquæq; scientia & ars suum proprium obtinet objectum, hinc quæstionem particularem instituo de scientiarum objecto in communi, generaliora namq; semper examinari convenit ante particularia; *Quare nota objectum* à verbo objicio derivari, unde objectum *obex actuum* dicitur quodammodò, ex eo quòd actibus oppònatur veluti obex, & determinet actus ne vagè & in incertum ferantur, Et in hac acceptione consideratum objectum à pluribus distinguitur à subjecto, inter quos est Arriaga disp. 1. Sect. 1. n. 2. existimantes subjectum esse illud quod in conclusione scientifica subjicitur, seu de quo aliquid per scientiam cognoscitur, sic verbi gratiâ in hac scientifica conclusione, ergò *homo est risibilis*, homo erit subjectum, quia de eo cognoscitur risibilitas, objectum verò dicunt esse tam illud de quo, quàm id quod de illo cognoscitur, sive totam conclusionem scientificam, subjectum videlicet & prædicatum simùl; Et quamvis verum sit subjectum aliquandò accipi pro quolibet subjecto cujuscunq; propositionis, etiam non scientificæ, ut patet ex dictis in Summulis, & aliquandò pro re subjacet alicui formæ substantiali, vel accidentali, sic corpus dicitur subjectum animæ rationalis, paries albedinis; aliquando etiam idem significat quod subditum, sic omnia animantia dicuntur subjecta esse homini, sic sclavus & servus dicitur subjectus Domino suo, &c. verumtamèn in his acceptionibus non agimus hic de subjecto, sed prout subjectum dicitur esse id circa quod aliqua scientia versatur, & sub tali ratione tàm Doctor subtilis, quàm alii veteres cum multis Recentioribus, tumhic, tum in Prologo 1. Sent. subjecto & objecto pro eodem utuntur veluti Synonimis, quod pariter faciam & his vocibus pro Synonimis utar, quidquid in contrarium dicat durus Durandus, Vasquez, Ocham, Capreolus, &c.

II. *Divisio prima objecti.*

Nota 2. Objectum in hac acceptione adhuc dupliciter considerari posse, primò pro omni re quam scientia, vel aliqua ars quomodocunq; considerat, & in hoc sensu in arte medica verbi gratiâ non solùm corpus humanum ut sanabile, sed etiam omnia medicamenta & instrumenta dicuntur subjectum artis circa quòd, & hæc objecti acceptio nimis laxa est, secundò sumitur pro re non quocunq; modo, sed per se & primò considerata in aliqua scientia, & hæc est ad propositum, in qua etiam acceptione objectum primò dividitur in complexum & incomplexum, Complexum est tota propositio objectiva, quæ per scientiam cognoscitur: Incomplexum verò est subjectum istius propositionis, verbi gratiâ istius cognitionis quâ cognosco hominem esse risibilem, objectum complexum est tota propositio ista, homo est risibilis, ly homo verò quod est subjectum in propositione, est objectum incomplexum, & circa objectum incomplexum frequentèr plures haberi possunt cognitiones scientificæ, ut patet de corpore humano, quod potest esse subjectum Physicæ incomplexum in quantùm scilicèt consideratur sub naturalitate, & medicinæ in quantùm consideratur sub ratione sanabilitatis, & sic de cæteris discurre

III. *dividitur objectum in totale & partiale,*

Secundò Objectum dividitur in adæquatum, seu totale, est illud circa quod tota scientia versatur, & in inadæquatum, seu partiale est q; illud circa quod aliqua pars scientiæ tantùm versatur, verbi gratiâ in Logica est objectum adæquatum Syllogismus ut sic, quia tota Logica versatur circa Syllogismum, in adæquatum verò, seu partiale verbi gratiâ in materia Topica est Syllogismus probabilis, quia in illa materia agitur tantùm de Syllogismo Topico, & quamvis plures Neoterici contendant objectum adæquatum & attributionis diversa esse objecta, nihilominus in communiori Scotistarum sententia pro eodem sumuntur, unde explicent illi diversitatem objectorum dictorumquomodocunq; velint, ego pro Synominis utar. Itaq;

VI. *In materiale & formale,*

Tertiò Dividitur objectum in *materiale* & *formale*, circa quam divisionem solemnissimè discrepant nobiscum Neoterici, nam nonnulli ex ipsis, inter quos est Arriaga disp. 1. Sect. 1. n. 2. qui dicunt illud esse objectum formale, cui quis propterse assentit, materiale verò cui assentio propteraliud, sic verbi gratia sanitas amata est objectum formale, quia illi assentior propter se, sectio verò venæ est objectum materiale, quia amo illam propter aliud scilicet propter sanitatem, sic præmissæ quando illis assentior propter se, sunt secundùm ipsum objectum formale, conclusio verò quia non propter se, sed propter præmissas illi assentior, est objectum materiale, quam definitionem & explicationem dicit esse omnium pœnè Authorum, quòd quàm verum sit nescio, quia scio plures esse Philosophos quàm Arriaga sit, qui si solus esset Philosophus omnium esse lubens faterer, unde contra eum decisione in contrarium est agendum &

V. *Non benè describitur objectum formale per rationem assensus.*

Dico 1. *Non benè describitur objectum formale esse illud, cui propter se assentior, nec materiale illud, cui assentior propter aliud.* Hæc est contra

tra Hurtadum & nonnullos alios Recentiores. Prob. si illud est objectum formale cui propter se assentior non condistinguetur ab attributionis, sed falsum est objectum formale non distingui ab objecto attributionis, ergò: prob. ma Illud est objectum attributionis, quod propter se consideratur in scientia, ergò si formale est illud cui propter se assentior non distinguetur ab objecto attributionis; falsitas minoris patet etiam secundùm Arriagam, nam ille dicit supra, scientiam specificari ab objecto adæquato attributionis, ergò falsum est objectum formale distingui ab objecto attributionis, & per consequens falsum quòq; est, quòd objectum formale sit illud cui assentior propter se. Secunda pars conclusionis patet, nam sic coincideret objectum materiale cum objecto partiali quod etiam dici non potest, nam ab objecto particulari specificatur etiam scientia particularis adæquatè, à materiali non nisi inadæquatè. Adde quòd objectum particulare debeat esse ex objecto formali & materiali compositum, sicut corpus ex materia & forma; quòd autem non distingueretur ab objecto particulari patet, nam illud est particulare quod consideratur propter aliud & reducitur ad principale, si ergò illud esset materiale quod propter aliud consideratur, coincideret, nam quæcunq; habent eandem definitionem eadem sunt specie, Quod tamen ut patet ex dictis nequit dici. Sed

VI. Dices Disparitatem esse, Quia objectum formale de ratione sua non petit ut istud ad alia reducantur, de ratione autem objecti attributionis est, ut ad illud omnia alia reducantur. Contra saltem materiale coincidit cum particulari, Contra 2. Quia esto hoc non frequentèr, tamen ut ipse Arriaga fatetur sic fit, ergò saltem dum sic fit non distinguentur. Hac ergò sententia Arriagæa refutata statuo Scotisticam &

VI. *falsi objectum materiale.* Dico 2. *Objectum materiale est res quæ consideratur in scientia, objectum verò formale ratio est illa sub qua res consideratur à scientia, unde etiam modus considerandi objectum dicitur ab aliquibus, ab aliis verò scibilitas. Hæc Conclusio in re est Scoti. q. 3. Prologi §. ex his & veterum Scotist.* imò D. Thomæ 22. q. 1. a. 1. ut fatentur Complutenses disp. 1. procem. q. 2. Et melius patebit explicando: Dicitur materiale objectum, propter indifferentiam quam habet, ut à diversis formis informetur: Formale autem dicitur esse ratio illa sub qua à scientia consideratur, & habet ut differentia contrahens rem consideratam, res clarior exemplo evadet, verbi gratiâ corpus est objectum materiale, ideò, quia est indifferens ut illud consideret Medicus vel Physicus, si tamen adveniat aliqua ratio, vel modus qui illud corpus ad certam scientiam determinabit, ille modus & illa ratio vocabitur objectum formale illius scientiæ, sic verbi gratiâ quia ly naturale, ut naturale, additum corpori constituit illud considerationis Physicæ, ideò naturale dicitur objectum formale Physicæ, Quia autem ly sanabile, ut sanabile, constituit corpus objectum totale artis medicinæ, ideò ly sanabile dicitur objectum formale medicinæ.

VIII. *Dividitur objectum in primum & non primum.* Quartò Dividitur objectum *in primum & non primum*: objectum *primum est triplex*, aliud est objectum primum primitate *prædicationis*, & est objectum commune, quod prædicatur de omnibus objectis particularibus, de quibus in tali scientia agitur, sic in Metaphysica ens prædicatur de omnibus entibus in particulari, de quibus agit Metaphysicus: aliud est primum primitate *perfectionis*, & est illud, quod est nobis perfectissimè notum in tali scientia, ut Deus in Metaphysica: Aliud denique est primum primitate *virtualis continentiæ*, & est illud quod in se virtualitèr continet omnes veritates illius notitiæ cujus est objectum, virtualitèr autem contineri in ratione primi objecti, de quo hìc, est esse causam effectivam, vel saltem motivam omnium veritatum illius cognitionis & notitiæ cujus est objectum.

IX. *In motivum & terminativum.* Ultimò dividitur objectum in motivum & terminativum; motivum est, quod non solùm terminat potentiam, sed etiam movet ad eliciendum actum: terminativum est, quod ita terminat actum, ut non moveat etiam potentiam, ut creatura respectus intellectus Divini.

X. *Conditiones ad objectum attributionis.* Positis itaque hisce divisionibus objecti & omissis aliis, ad nostrum propositum maximè deservit objectum attributionis, de quo cum Dialecticis & Logicis communitèr examinari & quæri solet, quænam conditiones requirantur & communis consensus, licet nonnulli sint qui plures requirant, tres requirit conditiones ad objectum attributionis, & prima est, Quòd de illo præsupponatur *quid est?* hanc conditionem requirit Aristoteles 1. Post. cap. 2. Quando dicit *de subjecto in scientia præcognosci quid sit*, unde ob hanc conditionem nulla scientia debet demonstrare suum objectum à priori, vel posteriori, quamvis quandoque possit, sed non petit, aliud enim est non petere, aliud non debere posse. Secunda conditio est ut omnia quæ in illa scientia tractantur ad illud referantur, sive ut partes subjectivæ, seu componentes, seu ut proprietates, & passiones, vel ut principia, ita ut omnia gratiâ ipsius in considerationem adducantur, ipsum verò non referatur ad aliud; tertia est, ut scientia per illud una cum ratione & modo quo ipsum tractat à reliquis distinguatur. Doctor subtilis addit quartam q. 3. Prologi scilicet quod objectum attributionis debeat continere omnes veritates illius scientiæ, quam conditionem ad calcem quæstionis examinabo, nunc sufficiunt tres priores quas

XI. *Tres conditiones sufficiunt.* Dico 3. *Ad hoc ut aliquid sit objectum attributionis tres priores conditiones requirunt & sufficiunt, nec ulla est necessaria amplius.* Est communis Scotist. & Thom. ex Philosopho pri. Post. 4. Prob. Quia nullæ congruentibus assignantur, ergò hæ requiruntur ita ut plures necessariæ non sint, Prob. ant. Quia omnes aliæ quæ ab aliis ad rationem objecti requiruntur ad has tres reduci possunt, ergò nullæ congruentibus assignantur, probatur ant. discurrendo per omnes conditiones quas alii veluti necessarias adhibent, nam quòd aliqui dicunt objectum non debere esse aliquid impossibile, reducitur ad primam nostram, nam illud quod est jam esse impossibile manifestum est, item quod debeat esse unum, quòd debeat posse definiri, quòd non debeat esse æqnivocum, ens per acci-

accidens, non corruptibile, sed necessarium, &c. nam illud quod est, definiri potest, quod verò definitur æquivocum esse non debet, nec corruptibile, nec ens per accidens, sed unum per se, ergò istæ omnes conditiones alioquin requisitæ optimè ad primam reducuntur. Quòd verò alii dicunt quòd subjectum debeat adæquari scientiæ reducitur ad secundam, ex eò enim quòd alia omnia reducantur ad ipsum, & ipsum non reducatur ad aliud, insinuatur sufficientèr non excedere scientiam, nec à scientia excedi. Item alii requirunt, quòd debeat esse universale, sed quamvis ad primam reduci possit, ad quam reducta est etiam definitio, cùm singularia gratiâ sui non definianatur, sufficientèr insinutur debere esse universale, attamen assero id universalitèr verum non esse, nam de Deo optimo M. qui est singularissimus datur scientia, Quòd autem debeat habere, ut prætendunt nonnulli, partes subjectivas, id tantùm verum est de objecto generico, non verò specifico, & insuper ad secundam conditionem reducitur. Sed incontra primam conditionem

XII. **Arguitur** si ad objectum requiritur ut de illo præsupponatur quòd sit, sequeretur scientiam non esse de necessariis, sed scientia secundùm Aristotelem & omnes est de necessariis, ergò mala est illa conditio: probatur sequela, nam si in Physica præsupponere debeo quòd corpus naturale sit, non præsuppono aliquid necessarium, nam corpus naturale jam potest esse jam non esse, jam generari jam corrumpi, & per consequens objectum Physicæ erit aliquid corruptibile & non necessarium, adeoq; & scientia erit contingens, quandoquidem secundùm tertiam conditionem scientiæ ab objecto specificantur; R. Negando sequelam ma. & dist. mi. scientia secundùm Aristotelem & alios est de necessariis, ita ut illa necessaria sint quantùm ad existentiam nego mi. quoad essentiam, seu quoad habitudinem prædicati & subjecti ad se invicem, concedo mi, non requiritur enim quòd objectum actu existat, sed quòd possit existere & quòd ante opus intellectûs subjectum habeat necessariam coexistentiam cum prædicato, ut dicitur communitèr.

Instatur. Scientia realitèr fertur ad objectum, sed relatio est inter extrema realia, ergò objectum scientiæ debet actu & realitèr existere. R. dist. mi. concessâ ma. Relatio est inter extrema realia, prædicamentalis concedo, transcendentalis nego, seu ut verius dicam relatio mutua realis, concedo, relatio non mutua nego. Prædicamentalis autem realatio est, quæ realitèr distinguitur à fundamento & termino. Sed

Urgetur secundum ipsam conditionem datam objectum præsupponi debet an sit? sed an sit, dicit relatam existentiam, ergò, prob. mi. præsupponit talem existentiam ratione cujus definiri possit, sed ratione solius existentiæ realis definiri potest aliquid ergò probatur mi. quia alioquin chymeræ & omnia non existentia possent definiri. R. dist. ant. præsupponit existentiam actualem essentiæ concedo mi. positionem extra suas causas nego mi. & concessâ ma. prob. dist. mi. sed ratione solius existentiæ realis aliquid definiri potest definitione rigorosa & strictè sumpta concedo mi. definitione in largiore acceptione nego mi. & consequentiam, vel si tibi displicet hæc solutio, recurre ad priorem dicendo, existentiam essentiæ sufficere & nihil aliud, ut autem tertia conditio melius intelligatur ideò

Quæres 1. Per quodnam objectum specificentur scientiæ, & ab aliis distinguantur? Supponit quæsitum scientias specificari ab objecto, & per ordinem ad illud unam ab alia distingui, ita communitèr tenetur, quomodo autem hoc fiat dicam dum actarus sum, quomodo actus ab objectis specificentur, interim quæstionem resolvo & ad quæsitum, R. non specificari nec distingui scientias per solùm objectum materiale tantùm, nec per solùm formale, sed per utrumq; simùl, nam ut notat Didacus a Jesu in Logica quæstione 3. procem. Neque sanabilitas ut constituit medicinam, neque naturalitas ut Physicam, sed homo quatenùs sanabilis est, & quatenùs naturalis, est objectum adæquatum specificans scientiam & eam ab aliis distinguens. XIII. *Scientiæ distinguuntur tam per objectum formale quam materiale.*

Quæres 2. An etiam ad rationem objecti attributionis requiratur quòd omnia virtualitèr in se contineat quæ in illa scientia tractantur? R. Quòd Scotus dum dicit requiri quòd omnia virtualitèr contineat, quæ in scientia tractantur, non loquatur de objecto generico, sed specifico, unde non tantùm est intelligendus quasi diceret quòd objectum specificum debeat omnia virtualitèr continere, quæ in scientia totali tractantur, cujus objectum illa species est, sed tantùm quòd debeat continere virtualitèr omnia scientiæ partialis, seu speciei specialissimæ cujus objectum est, Objectum autem genericum non continet omnia virtualitèr, sed virtualitèr tantùm continet propriam definitionem & proprietates, alia autem quæ in scientia tractantur tantùm potentialitèr, ita expressè 6. Met. q. 1. quando autem 2. d. 3. q. 8. in fine ait (contrarium quasi teneret) unitas scientiæ assignatur penes objectum, quia illud est penes quod scientiæ distinguuntur non penes intellectum, & hoc modo distinguendo scientias illa est una, quæ est unius subjecti primi, quatenùs objectum primum habet continere scientiam illam virtualitèr per quæ ultima verba insinuare vult, quòd ad hoc quòd scientia sit una, objectum debeat continere virtualitèr omnes veritates, quandocunq; autem ista dicit Scotus, explicandus est & intelligendus, quòd loquatur de objecto specifico, quod continet virtualitèr suam definitonem & passiones, vel si de generico loquitur, dicatur quod extendat ly virtualitèr continere, prout idem significat quòd continere, non tantùm propriè virtualitèr, sed etiam potentialitèr. XIV. *Quomodo intelligendus sit Scotus dicens objectum debere continere omnia, quæ in scientia tractantur.*

QUÆSTIO IV.

De Objecto Logicæ.

Inquirendo Objectum Logicæ non loquar de materiali tantùm, nec formali tantùm, sed de objecto ex utroq; maceriali scilicet & formali conflato, circa quam materiam tanta est sententiarum diversitas. ut Mastr. q. procem. art. 3. I. *Multiplicitas sententiarum circa objectum Logicæ.*

art. 3. afferat plures quàm viginti recenseri sententias, ut quodammodo difficilius sit omnes referre quàm novam aliquam invenire, Nam aliqui omnes res non modò in quantum eas considerat Metaphysicus, sed etiam quæ quocunq; modo sub intellectum cadunt, objectum statuunt, alii voces, alii ens rationis, alii demonstrationem, alii Syllogismum, alii tres operationes mentis quatenus dirigibiles, alii instrumentum sciendi pro objecto Logico statuunt; Verùmtamen ut quæstio meliùs resolvatur, Notandum Logicam dupliciter sumi posse, scilicet primo modo quo eam consideravit Aristoteles sub secundis intentionibus, alio modo prout nunc & de facto communiter accipitur, & sic vocatur Logica in se, de utraq; resolvenda est quæstio, imprimis tamen ut nostra sententia evadat clarior, refellam solemniores contrarias unde

II. Dico 1. *Voces non sunt objectum Logicæ, nec partiale quidem.* Hæc est Scoti Scotistarum & Recentiorum communitèr, & quamvis D. Augustinus contrarium sentire videtur, id tamen non dicit assertivè, sed ut terminis ejus utar *sed quasi materiam Dialecticæ* appellat, ut habet in Enchirid. cap. 4. Probatur Conclusio, si per impossibile voces nullæ essent, adhuc esset Logica, ergò voces non sunt objectum Logicæ. Prob. 2. Quia omnia ea quæ tractat Logicus non gratiâ vocum adducit, ergò voces non sunt objectum; probatur ant. quia voces adferuntur in gratiam aliorum ergò non gratiâ sui: prob. ant. nam propter conceptus mentis exprimendos voces adhibentur. Probatur tertiò nam ea quæ in Logica tractantur non referũtur ad voces, imò voces secundùm multiplicem considerationem ad diversas spectant scientias, nam in quantum ens sunt, eas Metaphysicus considerat, in quantum soni sunt ab ore animalis procedentes cum imaginationis significatione, Onimasticus considerat, si considerantur ut demulcentes sunt aurium, Musica sibi vendicat, si spectentur ut ordinatæ ad persuadendum in dictione, Rhetorica suas dicit, si deniq; accipiantur ad constructionem faciendam in sermone vulgari, Grammaticæ sunt, ergò. Probatur tandem secunda pars Conclusionis, quia inde sequeretur quòd si voces essent vel partiale objectum Logicæ, quòd etiam essent cujuslibet scientiæ, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: prob. sequela Quia tamen bene physica dum describit corpus naturale, quàm Metaphysica dum ens definit, utitur vocibus, ergò. Confirmatur Conclusio, quia sicut nunc & de facto adhibemus voces ad exprimendos conceptus, & ad deducendum ex notiori ignotum, ita etiam possemus adhibere nutus, vel scripturas & characteres, sed tamen exinde nullus diceret quòd nutus, characteres, & scripturæ sint objecta Logicæ, ergò nec paritèr dicendum est quòd sint voces, licèt eis utatur Logicus, quia id non facit primariò in gratiam vocum, sed propter sciendi modos, ad quos proferendos & declarandos eas adhibet & utitur. Sed in contra

III. Arguitur In Syllogismo vocali est artificium aliquod, quod ad Grammaticum non pertinet, ergò spectat ad Logicum consequatur: prob. ant. quia Grammatica non tractat de forma Syllogistica ergò aliquid est in Syllogismo vocali, quod ad Grammaticum non pertinet, consequenter nec voces tantùm sed & ad Logicum. R. dist. ma. est aliquod artificium &c. per se concedo ant. est aliquod artificium quod ad Grammaticam non spectet per accidens nego antecedens & consequentiam, nam in quacunq; scientia sermocinatio fiat, ad Grammaticam spectat debita verborum & nominum constructio. Sed

Instabis sequeretur inde Aristotelem in libris Periherm. & Elench. Grammaticam docere, sed hoc est in convenientissimum ergò. prob. sequel. quia in illis agit de terminorum, vocum, & orationis significatione, ergò: sed R. dist. sequelam ma. sequeretur Aristotelem in libris Periherm. & Grammaticam docere ex instituto & per se nego sequel. ex necessitate & per accidens concedo sequel, Itaq; quia vidit Aristoteles tempore suo multum prævalere Sophismatum illusiones, judicavit necessarium aliquod supplementum Grammatices facere, & illa luculentius quæ dubia erant in Dialectica explicare, ex quo non inficiari potest, nam magnam in multis Dialectica cum Grammatica habet Affinitatem quod si quis autem instet & adhuc

Urgeat Aristoteles vocavit libros suos ideò Perihermenias quia sunt de Interpretatione significationum vocalium, ergò arguit de vocibus principaliter, sed R. concesso ant. negando consequentiam quia si illud antecedens aliquid probaret, probaret nimium, quia si agit de vocum significatione tantum, ut est ipsa libri intitulatio, ergò voces tantùm essent, objectum Logicæ, quòd quàm verum sit viderint ipsi Adversarii. Sed

IV. Dico 2. *Tres mentis operationes etiam ut dirigibiles non sunt objectum Logicæ.* Hæc est Mastrii, Baronis, &c. & Scotistarum communior contra Neotericos & signanter Aversam, ex Scotistis Pontium, disp. 1. q. 4. concl. 3. Prob. Ad Objectum requiritur ut de ipso præsupponatur, non solùm an est? sed quod quid est, seu ejus definitio, sed hoc non præsupponitur de tribus operationibus mentis, ergò non possunt esse objectum Logicæ; ma. est certa mi. probatur. Quia hoc habetur ex libris de anima, quę sit earũ definitio, ergò. Probatur 2. Si tres mentis operationes ut dirigibiles sunt Logicæ objectum, sequeretur quòd Logica subalternaretur scientiæ de anima, sed hoc dicendum non est, ergò nec illud ex quo hoc sequitur: prob. seq. ma. nam ad scientiam subalternatam nihil requiritur nisi quòd principia subalternata sint conclusiones subalternantis, & quòd subalternata ad suum objectum differentiam addat accidentalem, sed hic ista omnia reperiuntur, ergò: mi. probatur. Quia principia Logicæ essent conclusiones scientiæ de anima, nam in illis libris hoc ostenditur sic: Quot sunt in intellectu modi concipiendi, tot sunt intellectus operationes, sed sunt tres concipiendi modi in intellectu, ergò etiam sunt tres operationes intellectus, & additur ipsis insuper differentia accidentalis, scilicet dirigibilis, ergò. Sed contra Conclusionem sic

Mentis operationes non sunt objectũ.

V. *Operationes intellectus non sunt propter instrumenta in esse physico benè tamen in esse scibili.*

Arguitur sicut operationes quâ tales spectant ad Animasticam, ita quâ dirigibiles spectabunt ad Logicam, sed si in Logica considerantur, non videtur quomodo reduci possint ad instrumenta, ergò ipsæ objectum potius sunt constituendæ; prob. mi. Operationes intellectus non sunt propter instrumenta, sed instrumenta propter operationes intellectus, sed media reducuntur ad finem, & non finis ad media, ergò cum operationes sunt finis propter quas sunt instrumenta, instrumenta ad operationes, & non operationes ad instrumenta reduci debebunt, consequenter erunt objectum Logicæ. R. concessa ma. negando mi: bene enim operationes ad instrumenta, seu modos sciendi reduci possunt, quia operationes intellectus in Logica considerantur quatenus dirigibiles, quòd fit in gratiam instrumentorum, nam cognitâ earum dirigibilitate apta conficiuntur instrumenta ad eas dirigendas: ad prob. mi. dist. ma, Operationes intellectus non sunt propter instrumenta in esse physico concedo ma: in esse scibili nego ma: In esse scibili res aliter se habet sicut in libris post. demonstratio est propter scientiam in esse physico, & scientia est finis demonstrationis, nec ponitur ideo tamen scientia pro objecto, sed potius demonstratio, quia ibi consideratur natura scientiæ, ut rectè conficiatur instrumentum generativum ejus, unde Arist. lib. post. cap. 2. ex hoc quòd scire rem est eam per causam cognoscere, infert quòd demonstratio debeat esse ex primis veris, ex quo evidens est quòd Aristoteles consideravit scientiam propter demonstrationem.

Instatur In aliis facultatibus Organicis non instrumentum, sed operationes ad quas instrumentum dirigitur est Objectum ergò etiam hoc in scientia Logica debet fieri. ant. probatur, nam in facultate scriptoria non calamus, sed scriptura est objectum, in pictoria non penicillus, sed pictura, ergò. R. duplices esse facultates Organicas, aliæ sunt simplicitèr tales, quæ circa instrumenta versantur & nullo modo attingunt opus ad quod ordinantur, sicut se habet fœni factoria, respectu equestris, lignariâ respectu nauticæ, aliæ sunt econtra quæ etiam ipsum opus attingunt ad quod ordinantur, ita ut non sint nec dici possint simplicitèr ministratoriæ, nam licèt de instrumentis agant, non tamen id faciunt ut aliis subministrent, sed ut ipsi eis utantur & tales sunt pictoria, scriptoria, medicina &c. in his quidem & similibus instrumenta non sunt objectum, sed ipsæ operationes, non tamen in facultatibus primi generis, cujus generis etiam est Logica, unde in forma R. dist. ant. In aliis facultatibus quæ sunt simplicitèr ministratoriæ non instrumenta sed operationes sunt objectum nego ant. quæ non sunt simplicitèr ministratoriæ concedo ant. & nego consequentiam disparitas patet ex responsione.

Urgetur Ethica facultas est quæ simplicitèr tradit regulas directivas voluntatis, & tamen operationes voluntatis sunt objectum voluntatis & non regula & præcepta quæ ordinantur ad operationes, ergò & sic in Logica dicendum est. Sed R. primò negando ma. quia Ethica non simpliciter tradit regulas, sed etiam ipsa simul elicitivè attingit operationes voluntatis directas, adeoq; redit solutio prior. unde R. 2. Negando mi. quia non operationes sunt objectum Ethicæ, sed homo in quantum beabilis est, ut innuit Scotus q. 3. Prologi. ad 3. sed Responsio prior argumentum solvit melius. Attamen

Arguitur 2. Logica docet definire, dividere &c. sed definitio divisio &c. sunt operationes intellectus, ergò operationes intellectus erunt objectum Logicæ. R. dist. ma. Logica docet definire dividere &c. formaliter nego ma. idealiter tantùm dando instrumenta directiva apprehensionis, judicii concedo ma. & dist. etiam mi. divisio, definitio. sunt operationes intellectus ut formalitèr considerantur concedo, ut idealiter nego mi. & consequentiam sed assumendo

VI. *Logica docet tantum idealiter dividere.*

Instatur Ut directivè & idealiter considerentur sunt operationes intellectus ergò. R. definitionem, divisionem, &c. dupliciter considerari posse, scilicet formaliter & objectivè, formaliter sumuntur, quatenus sunt actus divisionis, argumentationis &c. objectivè verò quatenus sunt instrumenta quædam directiva actuum intellectus, & secundùm hoc munus terminare possunt actum intellectus, & tanquam objecta scientiam constituere, si primò ergò modo considerentur cum operationibus intellectus coincidunt, non verò si secundo.

VII. *Res omnes non sunt objectum Logicæ.*

Dico 3. *Res omnes quatenus sunt intelligibiles non sunt Objectum Logicæ.* Hæc est contra Arriagam & & Probatur breviter, si res omnes quatenùs intelligibiles vel scibiles possunt esse objectum Logicæ omnes aliæ scientiæ superfluerent, sed hoc non debet dici ergò. Ma. probatur ex Scoto q. 3. prædicam. Nihil est subjectum alicujus scientiæ nisi sub ratione scibilis, ergò si res omnes quatenus scibiles sunt spectant ad Logicam superfluent, consequenter omnes aliæ scientiæ. Confirmatur, quia ad Metaphysicam spectat considerare res omnes ut intelligibiles, cum hæc sit præcipua passio entis ut sic, quod est objectum, Metaphysicæ, de objecto autem alicujus scientiæ debent demonstrari in illa scientia passiones, ergò non spectabunt ad Logicam adæquatè. Sed contra Conclusionem

VIII. *Explicatur Aristotelis.*

Opponitur Authoritas Aristotelis. 1. Elench. 11. & 1. Rhet. cap. 1. ubi docet Logicam non versari circa rem aliquam determinatam, sed circa omnes res & 4. Met. l. 5. ait Dialecticam laborare circa omne ens sicut Metaphysica, ergò ex mente Philosophi res omnes erunt objectum Logicæ verùmtamen R. Aristotelem 1. Elench. & Rhet. voluisse solùm Dialecticam quantùm ad usum versari circa omnes res & ad nullam determinatam restringi, quia in omnibus scientiis Syllogismi exercentur, & in hunc sensum etiam explicari potest 4. Met. 5 Laborat enim Dialecticus circa omne ens, quia omnibus rebus applicantur instrumenta Logicalia, ideoq; dicitur scientia communis ut innuit Scot. q. 3. unio.

IX. *Ens rationis non est objectum.*

Dico 4. *Ens rationis non est objectum Logicæ,* Ita

Ita Comptonius, Pontius &c. Probatur Conclusio, si ens rationis esset objectum Logicæ non posset hæc scientia alias demonstrare passiones quam rationis, sed hoc est falsum ergò: probatur sequela, quia passio non est præstantioris naturæ quàm subjectum, unde illa emanat, ergò, probatur etiam minor, quia scientiam efficere est aliquid reale. Prob. 2. Ut aliquid sit objectum attributionis debent omnia posse reduci ad illud quæ in scientia illa tractantur cujus est objectum, sed ad ens rationis non possunt omnia reduci quæ tractantur in Logica, ergò. prob. mi. quia ratiocinatio ipsa materialis affirmatio unius de alio &c. quæ Logicus ex professo tractat, priora sunt omnibus respectibus rationis quæ in eis resultant, sed subjecta realia non reducuntur ad formas rationis se ipsis posteriores ergò. Confirmatur 1. si nullum esset ens rationis, adhuc dari posset Logica, & traderet ea omnia quæ nunc edisserit, verbi gratiâ demonstrationem gignere, scientiam, Syllogismum probabilem, opinionem &c. Confirm. 2. Quia Aristotelis nec minimam mentionem de ente rationis in sua Logica fecit, quod revera non feciſſe credendus est si ens rationis objectum Dialecticæ fuisset. Sed in Contra

Arguitur Si subjectum vel objectum Logicæ non esset ens rationis, deberet esse aliquid reale, sed non potest esse aliquid reale, ergò erit ens rationis; minor probatur, si objectum esset aliquod reale, scientia etiam esset realis, sed hoc est contra communem Philosophorum sententiam, ergò: minor patet quia Logica universim appellatur rationalis & non realis. R. negando mi. cujus probationis majorem dist. esset etiam scientia realis id est quæ tractaret de rebus propriè loquendo nego ma. quæ tractaret de signis rerum concedo ma. & distincta similiter mi. nego conseq. Nam propterea non tollitur quin sub hac ratione scientia realis dici possit, cùm in hac acceptione sermo etiam dicatur & appelletur res. Sed

Instatur Illa signa rerum de quibus agit Logicus sunt entia rationis, ergò ab illis Logica non poterit adhuc denominari realis. probatur ant. illa signa rerum sunt genus, differentiæ, &c. sed ista omnia sunt entia rationis ergò: ma. patet, probatur mi. Quia illud est ens rationis quod habet esse solùm per intellectum, sed dicta tantùm habent esse per intellectum, ergò sunt entia rationis, R. negando ant. & probationis mi. cujus probationis majorem distinguo, Illud est ens rationis quod solùm habet esse per intellectum fingentem concedo ma. per intellectum quomodocunq; cognoscentem nego. ma. Genus ergò species & cætera universalia non finguntur ab intellectu, sed solùm repræsentatur realis natura, non repræsentatâ differentiâ individuali vel specificâ, fiunt ergò ab intellectu denominante, non fingente. Sed

Urgetur Sicut datur una scienria quæ tractat de ente reali realiter, & est Metaphysica, ita debet dari aliqua scientia quæ tractet de ente rationis, sed talis scientia non potest esse Physica vel Metaphysica, quia istæ tractant de ente reali ergò erit Logica, sed tunc melius & aliud objectum assignari non potest quàm ens rationis ergò. Sed R. dist. secundam partem majoris ita debet dari alia scientia quæ tractet de ente rationis directè nego ma. indirectè concedo ma. ens rationis enim ad nullam scientiam realem pertinet directè, sed directè & reductivè spectat ad Metaphysicam, quatenus secundùm suam essentiam ens rationis est ens apparens, nam secundùm Philosophum 4. Metaph. l. 4. Ejusdem scientiæ est considerare quod est tale, & quod videtur tale, similiter dist. mi. & nego conseq. quòd si quæras ad quam ergò scientiam ens rationis directè pertineat, tunc Respondeo ad scientiam rationis. Sed de his satis & ad alia motum faciendo

Dico 5. *Sola demonstratio non est objectum attributionis in Logica.* Hæc colligitur ex D. Augustino lib. 2. Ord. cap. 13. ubi enumerat ea quæ Logica tractat asserens eam verum à falso discernere, definiendo, distribuendo, & colligendo, & lib. 2. Doct. Christ. cap. 37. vocat eam præcepta Conclusionum, definitionum, & distributionum, ergò ex mente ipsius non sola demonstratio est objectum Logicæ, Quod Confirmatur, & simul probatur Conclusio, ratione, Cætera omnia quæ tractantur in Logica non possunt ad demonstrationem reduci, sed hoc requiritur ex supra dictis, ergò demonstratio non potest esse objectum attributionis Logicæ. probatur ma. quia aliæ species argumentationis quæ nec sunt partes, nec proprietates, nec principia, vel causæ demonstrationis, ad eam reduci nequeunt, ut sunt Syllogismus Topicus, falsigraphus &c. ergo. Sed

XI. *Demonstratio sola non est objectum.*

Arguitur. Tàm Syllogismus Topicus, quàm Sophisticus ad demonstrationem reduci possunt, ergò demonstratio erit objectum adæquatum Logicæ, probatur, ant. quemadmodum se habet ens rationis in Metaphysica, respectu entis veri, ita se habet Syllogismus Topicus & Sophisticus ad demonstrationem, sed ens rationis ad Metaphysicam reduci potest, quia est ens apparens & enti reali contrarium, ergò etiam reduci poterunt ad Syllogismum demonstrativum seu demonstrationem Syllogismus probabilis & apparens qui est falsigraphus, sed si ad demonstrationem isti reduci poterunt, jam demonstratio erit objectum Logicæ, ergò est. R. negando ant. ad cujus probationis majorem dico, benè quidem comparari allegata ad se invicem, sed in Logica non modò considerantur Syllogismi probabiles & Sophistici, sed etiam multa alia quæ ad demonstrationem reduci nequeunt, ut sunt definitio, divisio &c. insuper ajo disparitatem esse adhuc, quia ens rationis adhuc constituitur extra nihilum, adeoq; dicitur aliqualiter (præscindo an æquivocè, vel univocè) rationem entis participat, sed de Syllogismo falsigrapho dicit Aristoteles nec quidem nomen Syllogismi mereri. Deniq; ut aliquid sit objectum adæquatum alicujus scientiæ non sufficit, quòd ad illud alia reducantur tanquam contraria, alioquin sequeretur quòd Syllogismus falsigraphus posset esse & esset objectum Logicæ, quod tamen ridiculum esset & novum; probatur sequela, quia Syllogismus demonstrativus & aliæ species argumentationis redu-

XII. *An Syllogismi omnes ad demonstrationem reduci possint?*

reducuntur ad Syllogismum falsigraphum veluti ejus contrarium. Tandem si ad scientiam de uno contrario spectaret per se agere de altero contrario, sequeretur quòd ad Physicam quæ est de ente naturali materiali, spectaret agere de ente spirituali, & consequenter sicut Physica nunc agit de corpore, ita deberet pariter agere de spiritu, quod nemo dicet, sed contra totum hoc dictum

Instatur defacto agit Physicus de anima, sed anima est spiritualis, ergò benè in una scientia unum contrarium ad aliud reduci posset, & consequenter solutio nulla. Sed R. dist. ma. defacto Physicus agit de anima sub ea præcisè ratione quâ spiritualis est nego majorem, in quantum est actus corporis organici concedo ma. & concessâ mi. quoq; nego consequentiam.

Urgetur Theologiæ objectum est Deus sub quacunq; demum ratione, quod defacto tàm exactè non disputo, sub sententia tamen communiori, in quantum est Veracitas divina revelans, sed in Theologia agitur de peccatis per se quæ ad DEUM prorsus nulla ratione reduci possunt, quàm sub ratione contrarii, ergò adhoc ut aliquod sit objectum attributionis sat erit quòd ad illud alia omnia reducantur, etiam per modum contrarii. major est certa, probatur mi. quia peccata non possunt referri ad Deum per modum principii, vel causæ, minùs per modum proprietatis aut passionis, (quod cogitare & fidem lœdere, & crimen lœsæ majestatis Divinæ esset committere) nec possunt referri ad Deum veluti ad finem, utpotè cum ejus adeptionem non promoveant, sed avertant: sed R. concessâ ma. & distinguo minorem, peccata non possunt referri ad Deum concedo ma. peccati cognitio non potest ordinari & referri ad Dei cognitionem nego mi: Itaq; longè diversum est dicere quòd peccatum referatur ad Deum, aliud quòd peccati cognitio ad Deum cognoscendum conducat, nam peccati notitia duobus modis potest ad pleniorem Dei notitiam conducere, sicq; licèt non in esse entis, in esse tamen scibilis ad Eum referri: primò itaq; ex peccati consideratione, virtutis splendor & gloria magis eluceſcit & enitescit, & exinde bonitas Dei & perfectio, qui ad virtutem provocat præmiis, terret pœnis, & gratiâ allicit & trahit. Deinde Dei sanctitas & excellentia non parum exinde commendatur quòd rei, vel potius tam fœdi nihili, author esse nõ possit.

XIII. *Objectum Logicæ Aristotelicæ est Syllogismus.*

Dico 6. *Objectum Logicæ Aristotelicæ adæquatum est Syllogismus ut sic.* Est Scoti & communior sententia Scotistarum, Probatur 1. ex refutatione aliarum opinionum. Secundò, quia illi omnes conditiones competunt quæ ad rationem objecti requiruntur, nam in primis prima competit, nam in ea supponitur esse, & Aristoteles post tractationem de principiis remotis & proximis in libris de Cathegoriis & Periherm. in libris priorum definit tandem Syllogismum; habet etiam conditionem secundam, quandoquidem omnia quæ in scientia tractantur, vel sunt principia ejus, ut habetur in libris Perih. vel proprietates, ut in lib. priorum, aut species quæ habentur in libris Topicorum & Elenchorum. Ita discurrit Scotus 1 priorum q. 2. Habet deniq; etiam tertiam. nam cetũ est quòd Logica Aristotelicæ considerationis per Syllogismũ distinguatur ab omnibus aliis scientiis.

Dices Cum Bonaventura, Barone Tom. 1. Apologia. 4. act. 4. Non est distinguendum inter Logicam Aristotelicam & in se, ergò si Logicæ Aristotelicæ objectum est Syllogismus, etiam erit Logicæ in se; probatur ant. quia Aristoteles non potuit aliter eam variari quàm in se ipsa fuit, sicut non potuit physicam variare, aut mutare objectum ejus ergò. Verùmtamen licèt hic argumentandi modus & discurrendi de objecto Logicæ facilè videatur tollere difficultatem, & qui etiam veluti novus gratior apparet, attamen perspicienti nihil dicere videtur, unde R. in forma negando ant. cujus probationis ant. concedo & nego consequentiam, neque enim Antiquiores & ego cum illis dico Logicam talem ab Aristotele fortitam esse partitionem, aut Aristotelem eam partitionem, & divisionem distinctionemque fecisse, sed quia in seipsa Logica duplicitèr erat considerabilis, ideo illud Aristoteles invenit, non verò ex eo quòd invenerit sic esse, fecit, & ut utar secundò D. Augustini verbis loquendo de partitione Philosophiæ lib. 11. de Civitate cap. 25. *Neq; enim ipsi instituerunt ut ita esset, sed ita esse potius invenerunt*, unde quia Aristoteles invenit Logicam duplicitèr accipi posse, ideò secundùm unam acceptionem quâ ipse usus est, benè dicitur Logicæ objectum esse Syllogismum, ex quo apparet quàm leve fundamentum habuerit ædificium Baronis, quod tam citò veluti casetta vilbani ruit. Sed ad nostra redeo & informa consueta progrediendo, objectionem aliorum pono, quare Conclusionem directè

XIV. *Refutatur Baro.*

Arguitur. De Syllogismo non potest haberi scientia, ergò nequit esse objectum Logicæ, quæ ut suppono est scientia, ant. probatur, scientia non potest haberi nisi per Syllogismum, sed hoc nequit fieri, quia talis Syllogismus vel esset notus, vel ignotus, si ignotus non posset generare scientiam, si notus, ergò per alium Syllogismum, & sic in infinitum: R. negando ant. & probationis minorem, de Syllogismo enim ut sic potest haberi scientia per alium Syllogismum, qui esset vel ex terminis, vel per Logicam naturalem notus, ita ut non desideraret per alium Syllogismum artificiosum ostendi. Sed

XV. *De Syllogismo potest haberi scientia.*

Instatur Omnis scientia quomodocunque fiat debet fieri per Syllogismum seu naturalis, seu artificialis Logicæ, sed talis Syllogismus non potest fieri de Syllogismo ut objecto Logicæ, ergò nulla solutio; patet ma. probatur minor, ut de aliquo habeatur vel fiat scientia, seu id contingat artificialitèr, seu naturalitèr, illud de quo fit Syllogismus debet esse necessarium, sed Syllogismus non est necessarius, quia potest adesse vel abesse ergò. R. concessa ma. negando mi. cujus probationis ma. distinguo, Objectum debet esse necessarium quoad existentiam nego ma. quoad essentiam, seu quoad connexionem prædicati cum subjecto concedo ma. sic autem Syllogismus est necessarius, nam ante omne opus mentis debet habere tres terminos, & medium benè distributum.

Urgetur

Urgetur Si Syllogismi Essentia necessaria esset, sequeretur quòd præsupponi deberet ante omnem scientiam, ut est conditio prima requisita ad objectum adæquatum attributionis, sed Syllogismus non sic præsupponitur *quid sit*, ante omnem scientiam, ergò ejus essentia necessaria non est; prob. mi. illud quod præsupponitur in scientia aliqua *quid sit*, non fit à scientia, etiam quantùm ad connexionem prædicati & subjecti, sed Syllogismus fit à scientia Logicali, ut est certum, ergò. R. concessâ ma. negando mi. cujus probationis mi. distinguo, Syllogismus fit à scientia Logicali, seu Logica conficit Syllogismum, Logica quæ est scientia nego mi. quæ non est scientia concedo mi. nam Syllogismum non conficit Logica docens, sed utens, illa tantùm regulas tradit & præcepta rectè conficiendi. Ut ergò finem faciam tàm profusæ litis de qua Dialectici certant, & adhuc sub Judice est, ideò.

XVI. Dico 7. *Objectum Logicæ in se est modus sciendi ut sic.* Hæc est Scoti & Scotistarum communiter Fonsecæ 2. Met. c. 3. q. 1. sect. 4. Conimb. q. 2. proœm. Tartareti, Toleti, &c. Prob. Conclusio 1. Quia modo sciendi ut sic conveniunt conditiones ad objectum requisitæ, ergò modus sciendi erit objectum Logicæ in se, ant. probatur, nam de ipso supponitur quid sit, & per suum quid est, demonstrantur de eo passiones & proprietates, omnia ad ipsum ordinantur & reducuntur, & per illum ab aliis scientiis distinguitur ergò. Confirmatur, nullum aliud objectum Logicæ in se potest assignari qnod esset objectum potiùs quàm modus sciendi, ergò modus sciendi ut sic est assignandus: prob. ant. Quia si aliquid aliud maximè Syllogismus ut sic, vel demonstratio ut sic, sed hoc non ergò. Probatur, quia ad Syllogismum non possunt omnia reduci, quia non modus ut sic, nec ad demonstrationem, quia non Syllogismus Topicus, vel Fallsigraphus, ad modum autem sciendi omnia possunt reduci, ergò. Probatur secundò. Objectum artis instrumentariæ simpliciter est instrumentum & non opus, sed Logica est talis ergò, ma. patet, minor est Philosophi 2. Met. t. 15. & 3. top. c. 9. ubi vocat Logicam simpliciter instrumentariam. Confirmatur Logica agit de definitione, divisione, &c. sed hæc non comprehenduntur sub Syllogismo ut sic, nec sub demonstratione, comprehenduntur autem sub modo sciendi ut sic, ergò:

XVII. Dices cum Arriaga; Definitionem esse contentam sub Syllogismo in quantùm ordinatur ad demonstrationem, & propter demonstrationem consideratur, ergò. Contra, esto sic posit considerari definitio, imò Aristoteles in sua Logica ita consideravit, tamen in Logica in se non debet considerari in ordine ad aliud, sed etiam propter se, & hoc patet, nam etiamsi demonstratio esset impossibilis, adhuc

XVIII. esset scientia de definitione & divisione.

Verumtamèn adhuc dubium remanet de ratione formali secundùm quam Logica inse considerat modum sciendi, plures dicunt Logicam illum considerare quatenùs directivum, ita ut directivitas sit objectum formale, instrumentum sciendi materiale, & ita conjungendo partem materialem cum formali subjectum adæquatum sciendi instrumentum sit, quatenùs directivum; qui dicendi modus eandem censuram patitur, quam ille qui in Philosophia naturali statuit pro objecto corpus mobile quatenus mobile, quia non est confundenda ratio formalis subjecti cum passione ejusdem, cùm hæc debeat illam de subjecto demonstrare, directivitas verò est propria passio instrumenti sciendi, ideò non benè conjungitur cum eo veluti ratio formalis, assignanda est ergò ratio formalis objectiva Logicæ in se, sicut in aliis scientiis, unde sicut in Philosophia naturali ponitur subjectum, corpus naturale quà tale, & in Metaph. ens ut ens, in Logica quoq; erit instrumentum sciendi quatenùs tale, hoc est, quatenùs habet virtutem faciendi scire, vimq; dirigendi, ita enim specificatur ratio formalis secundùm quam consideratur, & secundùm quam de ipso directivitas veluti propria & adæquata passio potest prædicari & demonstrari.

QUÆSTIO V.

An Logica sit Scientia?

I. *Multipliciter accipitur Scientia.*

Nomen Scientiæ multifariam multisq; modis accipi potest, Primò enim accipitur laxissimè pro quacunq; etiam experientia, sic dicitur communiter quòd qui expertus est frigus, vel calorem sciat esse frigidum, vel calidum; Secundò sumitur laxiùs, non tamen in omni laxitate ita quòd idem significet quòd fides, sic frequens usus, & loquendi modus irrepsit, ut dicatur nos scire, Verbum esse incarnatum, Deum esse unum & trinum, &c. Tertiò sumitur laxè pro quacunq; notitia quomodocunq; acquisita, sive per narrationem aliorũ, seu per lectionem, vel alio modo, sic dicitur quod Petrus verbi gratiâ sciat esse Romam, Indias, Japponiam, &c. vel quia legit, vel quia audivit. Quartò tandem strictè & propriè prout ad propositum spectat pro notitia & cognitione illa quæ ex certis & evidentibus causis in forma syllogistica deducitur, & in hac acceptione duplex est, una est habitualis, altera actualis, habitualis est habitus de prima specie qualitatis permanens intellectualis, disponens intellectũ non ad simpliciter, sed ad promptè & expeditè operandũ ex actibus frequentatis acquisitus: Actualis verò est scientia quæ ab Aristotele 1. p. t. 5. ut ipsum citat Pontius sic definitur, Quòd sit cognitio rei per causam per quam res est ita ut non possit se aliter habere, vel ut citat ipsum Mastrius 1. post. cap. 2. Scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est, quod illius est causa, & non contingit se aliter habere, Ex quibus definitionibus ad rigorosè & propriè dictam scientiam sequentes requiruntur conditiones. Prima est quòd sit vera, error enim & falsitas scientia non sunt; Secunda est quod sit certa, certitudo autem ut notat Cavellus de anim. disp. 3. sect. 6. & Aversa q. 26. sect. 3. est firma adhæsio intellectus alteri determinatæ parti absq; formidine de oppositio, si enim esset aliqua formido, non esset in intellectu certitudo, sed dubietas, nec scientia, sed opinio.

Regulæ ad veram scientiam.

Tertia est quòd sit evidens, Quarta quòd sit de necessariis, Quinta quòd sit de objecto universali & non de singulari, de singularibus enim non est scientia, quia scientia ostendit passionem de proprio & adæquato objecto, quod objectum non est singulare, quia si esset singulare aliis individuis non competeret, singulare enim est secundùm omnes suas proprietates incommunicabile, risibilitas enim non Petro adæquatè convenit, sed homini, seu ut notat Basolus q. 5. prologi art. 2. ex Scoto q. 3. prologi, hæc conditio non convenit sententiæ ut sic, sed scientiæ creatæ de objecto suo, quia naturæ creatæ dividuntur in singularibus, nam de objecto increato singulari, sicut est Deus, potest esse scientia, quia illi primò conveniunt proprietates & passiones, seu potiùs quasi proprietates & passiones. Sexta conditio est, quòd sit causata per Discursum Syllogisticum, quia scientia non est quælibet rei cognitio, sed cognitio rei per causam, an autem semper scientia debeat actualitèr causari per discursum, an verò potentialitèr tantùm, sermo est de nomine & magis examinari solet in prologo Theologiæ quò lectorem pro nunc remitto.

II. His præ notatis Variæ sunt & fuerunt circa hanc quæstionem sententiæ, nam aliqui dicebant Logicam, nec docentem, nec utentem esse scientiam ita Simplicius, Amonius, Philoponus, & alii veteres, alii è contra, è contrario diametro docebant Logicam tàm docentem, quàm utentem veram esse scientiam ita Didacus à Jesu q. 1. Cavellus disp. 2. dubio 4. & alii moderni: Alii Logicam docentem negabant esse scientiam, benè tamen utentem, non quidem distinctam ab aliis scientiis, sed esse varias scientias, ita Zabarella lib. 1. de natura Logicæ asserens hanc esse communem Græcorum, alii deniq; asserunt Logicam docentem esse scientiam, non tamen utentem, sed utentem esse potiùs artem, ita Scotus q. 1. universal. quem Scotistæ sequuntur Mauritius, Anglicanus, Sarnandus Faber, Arriaga, Oviedo, Divus Thomas cum suis, & latini communitèr, cum quibus

III. *Logica est verè scientia.* Dico 1. *Logica docens propriè dicta scientia est*; hæc est quartæ sententiæ, item D. Augustini pluribus in locis. In Dialect. cap. 1. ubi dicit: *Dialectica est scientia benè disputandi*, lib. 2. Doct. Christianæ cap. 35. *Scientia definiendi dividendi, atq; partiendi, quanquam rebus falsis plerumq; adhibeatur ipsa tamen falsa non est.* lib. 11. Civit. cap. 25. eam appellat *Scientiam & scientiarum formam* lib. 2. ord. cap. 13. *Hæc docet docere ait, hæc docet discere, scit scire, sola scientes facere, non solum vult, sed etiam potest Disciplina disciplinarum*, ex quibus expressè colligitur non modò mens D. Aurelii, verùm etiam encomia multa colliguntur. Videtur etiam esse D. Bern. nam licet expressè sub nomine Logicæ scientiam appellat, vocat *Ratiocinationem* tamen quæ nihil aliud est quàm Logica, *rationis inquisitionem*, tractat. de vit. sol. cap. 15. rationem autem vocat: *Aspectum animi, qui aspectu in rem aliquam conjectus cum eam videt scientia est*, sed Logica maximè quærit verum, & id à falso determinare, ergò. Probatur etiam ratione 1. Quia illi omnes conditiones ad scientiam creatam requisitæ conveniunt, ergò est scientia: probatur ant. nam est certa, evidens, vera, necessaria, de objecto universali, causata per discursum Syllogisticum, ergò habet omnes conditiones. Probatur secundò ex Mastrio, Logica procedit quoad omnes suas partes demonstrativè ad probandas suas conclusiones, scilicet tàm quoad partem Analyticam, quam quoad partem Topicam & Sophisticam, ergò quoad omnes partes est scientia: probatur ant. quia non modò de Syllogismo demonstrativo demonstrantur quod debeat procedere ex necessariis, sed etiam de Syllogismo topico probabilitas, de Sophistico apparentia & de Syllogismo simplicitèr sumpto necessitas illationis, ergò. Probatur ant. ex Scoto q. 3. Elench. Quia tàm benè ostenditur apparentia in Syllogismo sophistico veluti ejus passio per unitatem vocis in fallacia æquivocationis, tanquam per proprium medium, sicut risibile de homine per animal rationale, item per proprium medium probabilitatem demonstrat de Syllogismo topico, ergò. Probatur ant. in sequentibus Syllogismis necessariis sunt demonstrationes certæ & evidentes, omnis Syllogismus constant tribus propositionibus in modo forma &[1] figura secundùm subjectionem & prædicationem ritè dispositis, habet necessitatem illationis, sed Syllogismus in Barbara verbi gratiâ est talis, ergò habet necessitatem illationis, pertinet hic Syllogismus ad priorem analysin, & demonstratur de Syllogismo in Barbara propria passio, in posteriori verò analysi per veram demonstrationem acquiritur scientia certa & evidens hoc modo, Omnis Syllogismus procedens ex præmissis, veris, necessariis, causisq; conclusionis, generat scientiam, sed demonstratio sic procedit, ergò demonstratio generat scientiam; in parte Topica sic habetur notitia, Omnis Syllogismus procedens ex probabilibus generat opinionem, sed Syllogismus Topicus, seu Dialecticus procedit ex probabilibus, ergò generat opinionem, deindè in parte Sophistica hoc modo. Nullus Syllogismus in quo sunt quatuor termini, aut peccatur in modo & figura, necessariò concludit, sed Syllogismus Sophisticus est talis, ergò non necessariò concludit, sed istæ omnes sunt scientificæ demonstrationes, ergò tàm benè ostenditur proprietas per veram scientiam de uno ac alio, & consequentèr Logica docens quoad omnes partes vera est scientia, Notandum non modò in partibus allegatis verùm etiam de aliis objectis particularibus similes demonstrationes haberi posse, nam in Logica simili modo probatur. Quod universale prædicetur de pluribus quia inest multis, quod definitio sit modus sciendi manifestativus artificiosè ignoti, quia constat ex genere & differentia.

Arguitur 1. Ex authoritate Aristotelis 6. Metaphys. cap. 1. ubi enumerans scientias speculativas Logicæ nullam fecit mentionem, sed solùm recensèt Mathematicam naturalem & Divinam, ergò ex mente ipsius Logica non erit scientia. R. negando conseq. & authoritatem ejus explico nullam fecit mentionem explicitè concedo, nullam fecit implicitè hic

IV. *Solvitur authoritas Aristotelis.*

hic nego. Iraq; quamvis non meminit expresè in hoc loco Logicæ meminit tamen alibi, unde quia jam supra dixi Logicam esse Philosophiæ partem, ideò reducitur ad secundum membrum. quare objectio non stat, & insuper locus iste est ab authoritate negativa, quæ quantùm in scholis valeat jam notum est, sed

Instatur licet Aristoteles alibi Logicæ fecerit mentionem nullibi tamen ut scientia sit, imò contrarium expresè asseruit, ergò stat adhuc argutio firma. probatur ant. quoad secundam p. nam 1. Ethi. cap. 4. ait tollere naturam Logicæ qui eam non ut facultatem, sed ut scientiam tradunt, ergò expresè contrarium asserit; sed R. negando ant. ad cujus probationem respondeo, quòd Aristoteles non neget ibi absolutè Logicam esse scientiam, sed qualem ibi eam aliqui ponebant, ut scilicet non esset disciplina organica, & aliis præmittenda, reprehendit enim eos qui in Dialectica de materia omnium scientiarum promiscuè disputabant, & monet eam debere præmitti aliis, scientiis, quòd est longè aliud quàm dicere quòd absolutè non sit necessaria.

Secunda pars est nulla secundi & modo sola.

Urgetur, Aristoteles ibi loquitur de Logica quæ est modus sciendi, sed hanc dicit propriè scientiam non esse, ergò non reprehendit tradendi methodum, sed vel eam scientiam negat, probatur mi: nam 2. Metaph. 15. ait absurdum esse simùl quærere scientiam & modum sciendi, sed Logica est modus sciendi, ergò propriè scientia non est. R. negando mi. ad cujus probationis ma. ex authoritate dico post. Doctorem q. j. universal. Logicam dici modum sciendi non formalitèr, sed objectivè & materialitèr in obliquo, quatenùs videlicet est de modo sciendi tanquam de proprio objecto, per scientiam verò alias intelligit scientias quæ sunt de rebus, & non de modo sciendi, & quia priùs debet cognosci modus sciendi quam res, ideò ait Aristoteles absurdum esse utrumq; simùl quærere ❧ Congeruntur ab aliquibus adhuc plures authoritates incontra ut 4. Metaph. 5. ubi ait Logicam non tractare de aliqua re determinata quod tamen ad scientiam requiritur, sed quomodo de Logica utente hoc explicandum sit dixi supra, Et 1. top. cap. 9. enumerans tria problematum genera docet, quòd alia per se respiciunt electionem & fugam, ut sunt problemata activa, alia per se tendunt ad veritatem & scientiam, & sunt problemata speculativa, & alia demum utriq; parti auxiliari, & sunt Logica, ex quo volunt aliqui deducere consequenter Logicam scientiam non esse, sed revera Aristoteles id non intendit, quia exinde aliud non colligitur quàm quòd sit scientia organica & ministratoria, non prorsus gratia sui ut sunt aliæ scientiæ merè speculativæ. ❧ Unde in forma R. dist. mi. probationis, Logica est modus sciendi ut est objectum terminativum cognitionis scientificæ nego mi. ut est habitus dirigens intellectum circa modum sciendi concedo mi. & nego consequentiam.

V. Logica est de necessariis necessitate complexa.

Arguitur 2. ex ratione. Logica non habet conditiones ad Scientiam requisitas, ergò Logica non est scientia, probatur ant. ad scientiam requiritur quod sit de necessariis & perpetuis, sed ut ipse fatetur Aristoteles 1. post. cap. 2. & 7. Sed Logica non est de necessariis & perpetuis, ergò prob. mi. quia Logica est vel de Syllogismo, vel de modo sciendi, sed ista non sunt necessaria cum contingenter à nobis fiant ergò. R. negando ant. cujus prob. ma. dist. scientia debet esse de necessariis necessitate incomplexa nego ma. necessitate complexa concedo ma. Itaq; ut docet Doctor 1. d. 3. q. 4. non exigitur in objecto scientiæ necessitas incomplexa, nec de tali loquitur Aristoteles alioquin nec ipsa Philosophia, nec ulla cognitio de rebus creatis scientia foret, cum omnes sint corruptibiles & consequenter de Deo tantum daretur scientia, sufficit ergò necessitas complexa, id est, necessitas connexionis alicujus prædicati cum eo, & talis necessitas locum quoq; habet in entibus rationis & secundis intentionibus, nam & de ipsis formari possunt propositiones æternæ veritatis, conjungendo cum ipsis prædicata quæ ipsis necessariò competunt, & talibus propositionibus tota Logica est plena, ut quod genus prædicetur de pluribus specie differentibus, de quocunq; dicitur subjectum dicitur etiam prædicatum, & sic de cæteris. Sed

Instatur Extrema propositionum Logicalium sunt corruptibilia, ergò etiam connexio quæ super illa fundatur quandoquidem destructo fundamento destruitur quoq; fundatum. Sed R. dist. ant. Extrema logicalium propositionum sunt corruptibilia, simplicitèr necessitate & immutabilitate simplicitèr, concedo ant. necessitate & immutabilitate secundum quid nego. Itaq; secundum Scotum 1. d. 3. q. 4. duplex est necessitas & immutabilitas, una simplicitèr quæ competit extremis definitioni non obnoxiis, altera secundùm quid, quæ cadit inter extrema, quæ licet in se sint corruptibilia, habitudo tamen inter ea nunquam mutari potest, & hæc necessitas reperitur in propositionibus Logicalibus & sufficit ad scientiam, alioquin etiam urgeret argumentum in propositionibus Physicalibus & Mathematicis, quarum extrema sunt corruptibilia.

Urgetur Propositiones hujus Syllogismi facti in Barbara: *Omnis canis est asinus, omnis homo est canis, ergò omnis homo est asinus*; nullam habent necessariam connexionem, imò quia omnes falsæ, necessariò dissolvi debent, sed tamen hic Syllogismus est verus actus Logicus, ergò non habent connexionem necessariam nec quidem secundùm quid. R. dist. ma. Propositiones illius Syllogismi non habent necessariam connexionem nec quidem secundùm quid si separatæ quælibet considerentur, & ratione materiæ concedo ma. si consideretur forma totius Syllogismi, & connexio propositionum primarum duarum ad inferendam tertiam nego ma. Quia licet illæ propositiones non necessariò veræ, sunt tamen necessariò illativæ, & habent necessariò posse inferre scientificam consequentiam, licet non scientificum consequens, quia in forma figura & modo sunt legitimè dispositæ.

VI. *Logica utens non est scientia sed ars.*

Dico 2. *Logica utens tàm habitualis, quàm actualis non est scientia, sed ars.* Hæc est Scoti & suorum supra. prob. Quia Logica utens propriè loquendo est habitus quo instructi facilè conficiunt definitiones, divisiones, & argumentationes, juxta præcepta Logicæ docentis, cum ergò circa singularia versetur, & circa res à nobis operabiles, non erit scientia, sed ars, quia ars est habitus cum recta ratione factivus, quia autem non conficit opera externa, sed interna, non erit ars mechanica quæ in operibus externis consumatur, sed liberalis in bonum animi ordinata.

VII. *Explicatur Aristoteles.*

Dices Aristoteles 6. Ethi. cap. 4. dicere videtur quòd ad rationem artis requiratur ut producat opus externum, ergò siquidem utens non producit opus externum, non erit ars. R. explicando Aristotelem eum nimirum fuisse locutum de artibus mechanicis, non verò liberalibus, si enim ad artem universim requireretur ut producat opus externum, artes liberales amitterent rationem artis, cum interius præsertim consumentur, utpotè quæ ordinatæ sunt ad bonum animi, non corporis. Vel dic Aristotelem hoc dixisse pro clariori, ut videlicet magis cognosceremus quid sit praxis, siquidem quòd sensibus exterioribus percipimus faciliùs capimus. Scotistæ tenentes habitum Logicæ docentis & utentis non esse distinctum satis urgentur & torquentur argumento hoc, nempè: habitus non sunt distincti, sed Logica docens est scientia, ergò & utens, nobis tamen nihil facesit utpotè cùm vel hanc ob causam admiserim diversos habitus, & maximè per hoc probaverim.

QUÆSTIO VI.

An Logica sit scientia practica, vel speculativa.

I.

Quoniam status quæstionis ejusq; resolutio dependet à notitia quid praxis, quidq; notitia practica sit, ideò non inconsultò ante decisionem quæstionis examinabo priùs quid sit praxis? Et an actus intellectûs possint esse praxes? Quia si concederetur actus intellectûs praxes esse posse, concluderent legitimè adversarii scientiam Logicam practicam esse. Unde nota 1. Praxin multiplicitèr sumi ab authoribus, nam primò sumitur latissimè pro operatione cujuscunq; tàm internæ, quàm externæ. Secundò strictiùs pro operatione quæ est in nostra potestate, quæq; potest esse bona, vel vitiosa, ut sunt tàm intellectus quam voluntatis & omnium potentiarum sensitivarum operationes. Tertiò strictissimè & est, quando accipitur pro operatione elicita conformitèr ad dictamen rationis & electionem voluntatis, & sic ad eam debet concurrere intellectus ostensivus, finis ipsi voluntati, Hinc differentia magna est inter praxin & notitiam practicam, nam illud dicitur practicum, seu notitia practica quæ dirigit aliquem actum, ille ergò actus qui est directus dicitur esse praxis, verbi gratiâ ille actus manens in intellectu, Deus est super omnia propter se diligendus est practicus, qui potest dirigere actum voluntatis nostræ ut actu Deum amet, verbi gratiâ si voluntas Deum benedictum amando diligeret Deum, non propter omnia, vel non propter se, tunc intellectus posset dicere voluntati, vide voluntas quid agis, non sic Deum amas, nam Deus est super omnia & propter se amandus, quo facto si voluntas sese emẽdaret & Deum non ampliùs inordinatè & propter aliud amaret, sed propter seipsum tunc diceretur voluntatis amor praxis, & illud dictamen diceretur notitia & cognitio practica quia direxit actũ voluntatis, sic actus amoris praxis diceretur, quia esset actus directus, Notandum tamen, non esse necessarium ut notitia practica semper actu dirigat praxin, sed sufficit quod sit directiva praxeos sicut, ut ignis dicatur calefactivus, non requiritur ut actu semper calefaciat, sed sufficit quod possit calefacere. Advertendum secundò notitiam practicam esse duplicem unam formalem, alteram quæ dicitur virtualitèr practica, notitia formalitèr practica est quæ formalitèr tendit ad directionem praxis, ut Deus est amandus super omnia, vel formalitèr tendit in modum quo benè vel malè fiat praxis, ut scriptura potest sic & sic fieri. Virtualitèr practica est quæ licet non tendat in actualem causationem praxis, aut ejus modum quo benè vel malè fiat, tamen ex illa elici potest praxis, ut Deus est summè perfectus & summè bonus, practica ex hac propositione sequitur ergò amandus. His ergò notatis.

Multipliciter accipitur praxis.

Notitia practica est duplex.

II. *definitur praxis.*

Dico 1. *Praxis definitur à Scoto quòd sit actus alterius potentiæ ab intellectu naturaliter posterior intellectione, natus elici conformitèr rationi rectæ ad hoc ut sit actus rectus.* Ita Doctor q. 4. prologi & omnium Scotistarum D. Thomæ j. 2. q. 57. a. j. Complutensium disp. 1. procem. q. 6. Suaretz, &c. Probatur explicando omnes ejus partes, Dicitur enim praxin debere esse actum alterius potentiæ ab intellectu, quia omnes concedunt intellectum fieri practicum extendendo se ad regulandam & dirigendam praxin, Nec dicendum cum Arriaga & Hurtado frustra & sine ulla authoritate assignari quod praxis debeat esse alterius potentiæ ab intellectu, aut nullum hujus rei esse in Aristotele fundamentum, nam utrumq; falsum est quod assumunt, nam Authoritatem sufficientissimam faciunt Realium Scholarum Principes subtilissimus Doctor & Angelicus, quorum primus nunquàm subtilissimus esset nisi esset etiam angelicus ut eruditissimus quidam Theologus Arriagæ & Hurtadi socius per modum elogii de Scoto scripsit, teste Ambrosio Peuplus; Deinde quoad alterum, miror tam solemnes Aristotelis sectatores asserere posse hujus rei nullum esse in Aristotele fundamentum, cùm tam in libris de anima 3. cap. 3. t. 50. dicat intellectum practicum esse illum, qui est principium agendi, sed non potest dici quod ille sit intellectus practicus qui est principium agendi actione intellectiva, quia etiam intellectus speculativus est principium agendi tali actione intellectiva, ergò dici debet quod sit ille intellectus practicus qui est principium agendi actione alterius potentiæ. Dicitur secundò quod praxis debeat

debeat esse actus posterior intellectione, constat hoc ex Philosopho, nam directum quà directum est naturaliter posterius suo directivo, sicut mensurabile sua mensurâ, cum mensurabile pendeat à mensura; Per hanc particulam excluduntur actus potentiæ nutritivæ, & vegetativæ, qui non ut fiant, licet aliquando per accidens illam præsupponant.

III. Dices. Potest aliqua praxis præcedere intellectionem, ergò non requiritur quod praxis sit posterior actu intellectus, seu intellectione; probatur ant. videre est praxis, sed benè possum aliquid videre antequàm intellectus habeat cognitionem seu intellectionem mei visus, ut fit quando intellectus aliis occupatus est, & oculus aspicit aliqua objecta quod intellectus tamen non advertit, ergò non requiritur quod praxis sit actus intellectione posterior ℟. visionem (idem dic de aliis sensuum tàm exteriorum quàm interiorum operationibus) considerari posse dupliciter, una vice prout præcedit intellectionem & sic non sunt praxes, altera vice ut sequuntur intellectionem & imperantur à voluntate & sic sunt praxes, ex quo patet, quomodo ad argumentum in forma respondere possis & debeas.

IV. Tertiò Deniqúe additur in definitione quòd sit & esse debeat actus elicitus conformiter rationi rectæ, adhoc ut sit actus rectus, pro cujus dicti intelligentia notandum quòd notavit Smising q. 4. prologi & Suaretz disp 44. Met. Sect. 13. n. 27. duplicem posse inveniri rectitudinem in praxi unam moralem, quæ est actus aliquis præmio & vitâ æternâ dignus, alteram artificialem, quæ est opus aliquod artificiosè factum, quæ duæ rectitudines conjunctim & divisim possunt reperiri in praxi. divisim si verbi gratiâ pictor pingat imaginem artificiosè, sed malà intentione tunc erit in illa operatione & praxi rectitudo artificialis, sed non moralis, econtra verò si pingat turpiter, sed bonâ intentione tunc erit in praxi rectitudo moralis, sed non artificialis, si verò & artificiosè & bonâ intentione pingatur imago, tunc inerit operationi & praxi utraq; rectitudo. Notandum secundò quod Scotus hic definiverit praxin tantùm bonam (mala etenim praxis non est conformis rectæ rationi qualis nimium frequenter detur) & non malam, quòd ultimæ denotant hæ particulæ, proinde sine causâ Arriaga consurgit contra Scotum, quasi esset mala definitio, supponere namq; debuisset Arriaga Scotum tantæ simplicitatis non extitisse quantæ ipse fuit respectu ingenii Scotici, ut negaret peccaminosa opera praxes esse, sed negavit bonas esse praxes, unde Tartaretus dicit opera mala praxes esse in largiori acceptione, non verò in rigidiori, rationem affert, quia non sunt conformes rationi rectæ.

V. Dico 2. *Nullus actus intellectus, sivè præcedens imperium voluntatis, sivè subsequens imperia ejus est praxis, prout definivit Scotus.* Ita Tart. Faber, Smising, Rhada, Mastrius &c. Prima pars patet, Quia nullus actus intellectus ut præcedit imperium voluntatis est alterius potentiæ ab intellectu. Prob. 2. p. Omnis praxis debet esse actus alterius potentiæ ab intellectu, sed nullus actus etiam imperatus si est intellectûs, est alterius potentiæ ab intellectu, ergò nullus actus intellectus est praxis, & si imperetur. probatur ma. Quia Philosophus. 3. de anima t. 49. dicit intellectum extensione fieri practicum, extendere autem est ut benè notat Pontius hic q. 8. quasi extra se tendere quòd stando in actibus intellectus nequaquam verum esset, cum potius diceretur intra se tendere, quòd si voluisset Philosophus æque facilè fuisset ipsi dicere intellectum intensione fieri practicum; Confirmatur? Quia eodem modo se habet intellectus in ordine ad speculationem, sicut voluntas ad praxin, sed nullus actus voluntatis est speculatio, ergò nullus actus intellectus erit praxis, quia tantùm deberet esse praxis quia ab alio dirigeretur, sed etiam actus voluntatis sæpius à se invicem diriguntur, nec tamen qui dirigit est speculativus, ergò nec actus intellectus licet directus ab alio erit praxis, consequentèr debebit semper esse actus alterius potentiæ ab intellectu.

Dices Ex conclusionis probatione patet VI.
nullum esse hujus dicti & asserti fundamentum potius quàm quod Philosophus dixerit intellectum extensione fieri practicum, sed hoc axioma apud Philosophum non invenitur, ergò ruit totum argumentum, vel omnia arbitrariè dicuntur. ℟. negando ma. nam fundamentum supra attuli, & licet defacto in libris Aristotelis hoc axioma non reperiatur, fortè per in curiam & negligentiam Typographorum omissum est, nam antiqui omnes tanquam Aristotelis citârunt. ut Scotus. D. Thomas &c. Albertus Henricus &c.

Instabis Admisso hoc axiomate tanquam
Philosophi, potest illud sufficienter salvari per hoc quod unus actus tendat in alium suum actum illum dirigendo, per hoc enim fiet extensione practicus. verùmtamen ℟. hoc non esse propriè extra se tendere sed intra se, & propter hoc nego hoc ad praxin sufficere, nam sicut impropriè diceret aliquis me domo exire, si ego ex cubiculo uno in aliud æq; honestum me transferrem, ita quoq; impropriè dicit aliquis intellectum extendi, seu extra se exire per hoc quod ex uno, aut per unum suum actum in alterum tendat actum. Ex hac replica oritur ut

Probetur Conclusio secundò. VII.
Si praxis non esset vel non esse deberet alterius potentiæ ab intellectu nulla daretur scientia speculativa & omnis esset practica, sed hoc non est dicendum ergò. prob. ma. Quia secundùm Adversarios sufficit quòd unus actus intellectus dirigatur ab altero actu intellectus ad hoc ut actus directus, seu regulatus sit praxis, sed assensus conclusionis scientificæ semper dirigitur ab alio actu intellectus, dictante conclusionem sic vel sic inferendam, ergò. mi. probatur quia conclusio scientifica distinguitur à judicio vel saltem ab apprehensione qua syllogizans concipit talem conclusionem esse inferendam sic vel sic. Et hoc est fortissimum argumentum Scotistarum quod convincit nullum actum in-

tellectus esse practicum, sed omnem esse speculativum. Attamen.

VIII. **Arguitur Contra Conclus.** Omnis actus regulatus à notitia practica & imperatus à voluntate est praxis, sed multi actus intellectus regulantur à notitia practica & imperantur à voluntate, ergò erunt præxes, Major est Scoti supra; ubi docet actus aliarum potentiarum à voluntate imperatos esse praxes: minor prob. actus studendi & speculandi possunt imperari intellectui à voluntate dum efficaciter mandat ut studeas, volo ut naturam humanam speculeris, quo imperio posito sequitur dictamen in intellectu dicendo, nunc est studendum, nunc est speculandum, quia sic voluntas imperat ergò. Respondet Smising, Antonius, Andreas Rhada, Vulpes, non omnem actum à voluntate imperatum esse praxin, sed tantummodo illum qui est actus alterius potentiæ ab intellectu: Sed hæc responsio petit principium cum conclusionem pro solutione objectionis ponat. Secundò Respondet Cavellus actum intellectus imperatum à voluntate esse praxin, & si dicas praxis secundùm Scotum debet esse alterius potentiæ ab intellectu, sed actus imperatus non est alterius potentiæ ab intellectu, ergò. tunc respondet nego mi. & dicit illum actum esse alterius potentiæ ab intellectu, quia dicit ipse est voluntatis non quidem elicientis, sed imperantis & hæc responsio licet bona videatur, & ut talis approbetur à Fabro Licheto, Bargio, & aliis, meliùs tamen mihi videtur responderi posse actus intellectus imperatos esse praxes latè sumendo praxin, concedo, strictè sumendo, nego, & ideo quando Scotus q.4. prologi definit praxin stricto definivit modo, non tamen voluit actus intellectus ab omni ratione praxis excludere, cum illi actus & dirigibiles & laude & vituperio digni sint. Sed

Instabis, Scotus dicit actus imperatos intellectus non esse praxes, ergò: prob. ant. quia hæc verba habet: cum igitur dicitur intellectio est imperata à voluntate, ergò est praxis, non sequitur, sed, vel est praxis, vel practica. R. hæc verba teste Mastrio & Pontio difficillima esse quæ varii vario explicant modo, breviter tamen dico Scotum velle non sequi, esse praxin strictè sumptam, sed sequi esse praxin largo modo sumptam. Verùmtamen.

Urgebis Interrogando quomodo ergò sequitur vel est praxis vel practica? ex hoc enim sequi videtur actus intellectus imperatos non modo esse praxes, sed etiam esse notitias practicas R. plus quàm decem esse ad hunc Scoti passum responsiones sat difficiles, cum Mastrio tamen R. breviter ita se rem habere ut actus intellectus imperati aliquando praxes, aliquando verò practica sint, praxes sunt quando imperat voluntas intellectui aliquam speculationem, quæ regulata & laude vel vituperio digna est. Practica notitia actus intellectus imperatus est, quando voluntas intellectui imperat actionem aliquam non directam, nec laude, vel vituperio dignam, quales actiones voluntas benè imperare potest, quare enim voluntas non posset imperare intellectui ut speculetur Syllogismum debere constare tribus terminis in modo & figura benè dispositis, quæ actio intellectus nullo modo praxis erit, sed benè practica, quia directiva praxeos, & hanc esse mentem Scoti non obscurè ex ejus verbis apparet, quando enim dixit non sequi quod actus intellectus praxes sint, subdit, sed sequitur, ergò vel est praxis vel practica, & reddens rationem ait: ipsa enim nata est denominari quasi accidentalitèr à praxi ad quam extensibilis est, non autem est terminus talis extensionis, ecce quod loquatur de cognitione quæ est extensibilis, scilicet directiva & regulativa praxeos.

Ut ergò resolvam quæstionem: IX. *Duplex est finis disciplinarum.* Ante Conclusionem notare oportet primò, In disciplinis organicis, ex quarum numero est Logica duplicem esse finem intrinsecum & extrinsecum Intrinsecus finis est qui attingitur ab ipsis facultatibus, extrinsecus est qui ab aliis facultatibus, attingitur sic verbi gratiâ artis frœni factoriæ finis intrinsecus est frœnum, extrinsecus qui non à frœnifactiva, sed ab equestri attingitur est directio equi, unde ars finem extrinsecum non attingit nisi objectivè tantùm, occasionalitèr & valdè remotè, sic etiam Logicæ intrinsecus finis est dare regulas bonæ divisionis, definitionis, & argumentationis, qui finis scilicet ipsa argumentatio, divisio & definitio, quia non attingitur actu exercito ab ipsa Logica docente, sed abutente, ideò actualis & exercita definitio est Logicæ docentis finis extrinsecus, quia non attingit exercitam definitionem elicitivè, sed tantùm occasionalitèr & objectivè, seu idealitèr, finis autem intrinsecus ut notat Scotus. q. 3. Prologi duplex est, formalis & objectivus, vel ut alii loquuntur quo & qui? objectivus est qui objicitur alicui arti, seu facultati, sic in frœnifactoria finis objectivus, seu qui est ipsum frœnum; finis intrinsecus formalis, seu quo est perfecta cognitio ipsius frœni, & universalitèr perfecta cognitio sui objecti in quacunq; facultate, in Logica verò finis quo, seu formalis intrinsecus in sua latitudine, est cognitio modi, quo diriguntur omnes & singulæ operationes intellectus, finis verò qui & objectivus, est ipse modus cognitus. Notandum 2. Cognitionem speculativam, differre à cognitione practica ex hoc, quòd speculativæ finis sit veritas, practicæ verò opus, seu ex hoc quòd practica ad praxin, speculativa verò ad objectum, ut speculabile, id est, ut merè contemplabile & cognoscibile ordinatur, unde non solùm diversimodè denominant proprias cognitiones, sed etiam diversimodè dividunt illas, nam circa objectum speculabile cognitio speculativa denominatur vera, si conformis est illi, & falsa, si sit difformis, cognitio verò practica non dicitur vera vel falsa, sed bona & mala, unde cognitio directa ab alia cognitione, seu à regulis logicis malè diceretur vera vel falsa, nisi valdè impropriè, quia hæ dictiones cognitionis practicæ & praxis propriæ sint.

His notatis Circa id quod principalitèr in quæstione quæritur quadruplex est sententia, Prima docet Logicam esse scientiam nec tamen esse practicam vel speculativam, sed esse instrumentum ad assequendas utrasque, ita olim sensit noster Gerardus de Odonis apud Fabrum X. *Multæ sententiæ circa hoc, an Logica sit scientia practica, vel speculativa?*

Fabrum & Mastrium & nunc sentit Zabarella lib. 1. de natura Log. cap. 11. & 12. Petrus Niger q. 14. a. 6. quæ opinio modò communiter rejicitur, tàm quia Aristoteles 3. de an. cap. 10. intellectum adæquatè divisit in practicum & speculativum, & 6. Met. cap. 1. scientiam in practicam & speculativam, tum quia cognitio practica & speculativa contradictorias rationes præ se ferunt, vel enim sistit in sola contemplatione veritatis, & sic est speculativa, vel non sistit, sed ordinatur ad opus, & sic est practica, nec datur medium neq; fingi potest absq; eo quòd quæstio evadat de nomine. Nec authoritas Philosophi 1. Top. 9. & 12. à Zabarella adducta videlicet Tria esse problematum genera, alia speculativa, alia practica, alia ex his adminiculantia patrocinatur, quasi per ultima verba intelligatur Logica, quæ nec practica sit nec speculativa, nam Aristoteles per problemata practica & speculativa intellexit scientias practicas & speculativas reales, per adminiculantia autem intellexit scientiam organicam ministerialem, scilicet Logicam: unde non negavit eam esse aut practicam, vel speculativam scientiam, sed tantùm esse practicam aut speculativam realem. Secunda sententia est Logicam esse practicam & speculativã simul, ita Vasquez 1. p. disp. 8. c. 5. Suaretz disp. 44. Met. in fine, Rubius, Hurtadus, Lovanienses, Toletus &c. Tertia sententia est, Logicam esse simplicitèr practicam. Ita tenet Venerabilis Inceptor cum suis, Gabriel q. 11. Gregorius q. 5. art. 2. Aureolus, & alii antiqui ex Recentioribus, Fonseca 2. tract. cap. 3. q. 2. sect. 4. Conimb. q. 4. procem. Aversa, Arriaga, disp. 3. sect. 5. Quarta deniq; sententia dicit Logicam purè esse speculativam, ita Scotus, Illustrissimus Hugo, Cavellus, Mastrius, Faber, Pontius, Lichetus & omnes Scotistæ communitèr, ex Thomistis Complutenses; de mente D. Thomæ non clarè constat, licet ad hanc partem, ut loquuntur Connimbricenses, magis accedere videatur, cùm Dialecticam nunquam practicam nominet, nec inter practicas numeret, & in opusculo super Boethium de Trinit. cap. 3. art. 1. asseruerit, Etsi Logica non contineatur sub Philosophia ut pars principalis, contineri tamen prout contemplationi instrumenta suppeditat. cum qua sententia ad quæstionem tandem Resolutivè

Dico 3. *Logica est scientia purè speculativa.* XI. Ita Authores quartæ sententiæ est etiam D. Augustini lib. 8. de Civit. Dei cap. 4. ubi docet *Logicam esse contemplatricem & partem Philosophiæ*, quem locum Nebridius à Mündelheim vidisse non debuit, cum tamen sic ab Authoribus passim citetur D. Aurelius, unde ille adfert aliam authoritatem ejusdem sancti Doctoris, ex qua deducere intendit Logicam partim esse practicam, partim speculativam, verùm tamen videtur mihi eadem authoritas favere magis conclusioni propositæ, nam ut eundem referat loco citato post multa de partitione Philosophiæ dicta addit, *Proinde Plato utrumq; jungendo* (studium nimirum sapientiæ activæ & passivæ) *Philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit, unam moralem, quæ maximè in actione versatur, alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est, tertiam rationalem, quâ verum determinatur à falso, quæ licet utriq; actioni & contemplationi sit necessaria, maxime tamen contemplatio perfectionem sibi vendicat veritatis, ideò hæc tripartitio non est contraria illi distinctioni quâ intelligitur, omne studium sapientiæ in actione & contemplatione consistere*, ita D. Augustinus in terminis, cujus verba sic clara mihi videntur, ut immeritò indignetur Nebridius contra aliquem Philosophum, qui hunc eundem textum citavit ad demonstrandam Logicam esse scientiam speculativam, nam præterquam quòd congruè explicari posset, veluti explicui supra Aristotelem, ubi dixit esse tria problematum genera, speculativa nimirum, practica, & ex his adminiculantia, clara est ejus mens dum enim dicit tertiam rationalem quâ verum à falso determinatur statim subdit quæ licet &c. quod clarum est ex connexione grammaticali, totum quod sequitur ad Logicam referri, ita ut ejus sensus sit, quòd licet organica sit disciplina Logica, naturali & morali præmittenda, cum sola tamen contemplationem participat rationem speculationis, & idcirco subdit hanc tripartitionem non esse contsariam illi distinctioni, quâ Philosophia in naturalem dividitur & moralem, cùm sub naturali comprehendatur, eò quòd speculativa sit, quæ licet realis non sit, tamen est rationalis non propterea dici nequit quin comprehẽdi possit sub naturali ut dixi supra. Deniq; licet admitteretur quòd intendit Nebridius, nimirum sanctum Doctorem loqui de Physica quasi Physica sibi perspectionem vendicaret veritatis, adhuc non probaret suum intentum scilicet quod Logica sit practico speculativa, imò contrarium, nam sensum faceret quòd sola contemplatio vendicaret sibi Logicam, quæ per encomium vocatur perspectio veritatis, sicut, libro 3. contra Academicos cap. 17. nominat eam Philosophiæ formatricem judicem & perfectricem, & lib. 11. Civ. cap. 15. formam scientiæ, rationem indagandæ veritatis, scientiam &c. quos textus si diligentius Nebridius examinâsset, nunquam mentem sui sancti Institutoris & Magistri in tantum intorsisset, cùm tamen ipse fateatur postmodum magis contemplativam esse quàm activam. Probatur secundo Ex D. Bernardo lib. 5. de Considerat: cap. 2. ubi dicit *speculativa* (id est cognitio) *Est consideratio se in se colligens*, sed Logica est consideratio se in se colligens, seu nullum opus ad extra relinquens, ergò Logica est speculativa.

Probatur Conclusio 3. tum authoritate Aristotelis qui teste Laertio in ejus vita divisit Philosophiam contemplatricem in Physicam & Logicam, tum ex Scoto q. 4. Prologi ubi postquam probavit praxin debere esse actum alterius potentiæ ab intellectu tanquam absurdum infert, quòd Logica esset practica, verba ejus sunt; Etsi dicas unum actum intellectus extendi ad alium (scilicet alium actum intellectus) directum per illum, non propter hoc secundus actus erit praxis, ut modò loquimur, nec primus erit cognitio practica, quia aliàs Logica esset practica &c. hæc Scotus in quibus supponit, licet non probet Logicam non posse esse practicam. Probatur Conclusio 3. Ratione 1. scientia practica adæquatè dividitur in activam & factivam, sed Logica non est XII.

activa,

activâ, nec factiva, ergò Logica non est practica, probatur 1. p. Minoris, Illa est factiva scientia, quæ relinquit post se opus aliquod externum, sed Logica non relinquit post se aliquod opus externum, siquidem Syllogismus non est opus externum, sed internum manens in intellectu. ergò. probatur etiam 2. p. mi. ex Philosopho, nam secundùm illum activa versatur circa actiones quarum principium est electio, sed clarum est electionem esse actum voluntatis, & consequenter Logicam non posse esse activam, quia est de actibus intellectus. Nec valet dicere cum aliquibus, non esse opus scientiam agentem de electionibus esse practicam, cùm posset speculativè agere de electionibus, quia esto verum sit quòd possimus agere de electionibus speculativè, quantum ad veritatem, seu ut cognoscamus, & hoc merè per accidens, non tamen possumus agere speculativè de electionibus quantùm ad praxin, seu opus quod nos bonos reddat, cùm talis actus primò liber sit, secundò laude, vel præmio dignus esse debeat, quales sunt omnes actus morales.

XIII. **Probatur Conclusio** ratione secundò: Finis practicæ scientiæ opus est, speculativæ veritas, sed finis Logicæ est semper veritas, ergò Logica est semper speculativa, probatur mi. quia si aliquando Logica haberet pro fine opus tunc maximè hoc fieret, quando agit de Syllogismo, sed nec tunc est, quia finis Syllogismi est veritas, ideò enim facimus Syllogismos ut per illos veritatem adipiscamur. Denique si Dialectica non esset speculativa, nullam in rerum natura scientiam habebimus speculativam, sed hoc non est admittendum, ergò nec valet dicere, ut dicunt aliqui ad scientiam practicam sufficere, ut unum actum intellectus dirigat per alium suum actum, benè vel malè eliciendum, hoc inquam dici nequit, quia nulla est conclusio scientifica, quantumvis speculativa quam non præcedat aliquis actus intellectus dictans ipsam benè vel malè eliciendam, & hoc tamen non obstante, Adversarii admittunt dari multas conclusiones speculativas, ergò hoc non sufficit.

XIV. **Dices** Saltem actus intellectus imperatus à voluntate est praxis & alterius potentiæ actus ab intellectu, quia est voluntatis, ergò licet Logica consideret actus intellectus, adhuc erit practica. Sed contra est, Quia Logica agit de actibus intellectus secundùm se, & non ut imperantur à voluntate, quòd si verò quandoq; tales actus à voluntate imperentur est merè per accidens, & voluntati quòd imperet, & actibus intellectus quòd imperati sint, nam esto non imperarentur, adhuc intellectus de eis ageret secundùm se, Adde quòd non sufficiat ut actus intellectus sit quomodocunq, actus alterius potentiæ, sed quòd sit propriè alterius potentiæ etiam quoad subjectionem, id est, ne intellectus sit subjectum illius.

Instabis, Ideò ars domi factoria dicitur practica, quia dirigit constructionem domus à voluntate imperatam, ergò Logica dirigens constructionem Syllogismi faciendi à voluntate imperata, erit scientia practica. R. distinguendo ant. ideò dicitur practica, quia dirigit &c. quæ directio est actus alterius potentiæ ab intellectu concedo: secus nego ant. & consequentiam, nam voluntas imperando constructionem Syllogismi non dirigit actum alterius potentiæ ab intellectu. Hinc

Ultimò Probatur Conclusio XV.
Cum Pontio, Logica in nulla parte dirigit actum alterius potentiæ ab intellectu, quia in omnibus dirigit actum intellectus, ergò secundùm nullam partem erit practica, sed si non est practica, debet esse speculativa ergò. Sed

Arguitur 1. Contra Conclusionem congerēdo plures authoritates Aristotelis, nam 1. Topicorum Logicam nō vocat practicam vel speculativam, secundò 6. Metaph. cap. 1. speculativam dividit in Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam, nullam faciendo mentionem Logicæ. tertiò 1. Metaph. cap. 2. dicit scientiam speculativam esse propter se, sed Logica non est propter se, sed propter alias scientias, ergò. quartò 6. Metaph. distinguit speculativam à practica per hoc, quòd speculativa speculetur suum objectum, practica verò faciat, sed Logica facit suum objectum nempè Syllogismum, ergò. quintò 1. Rhet. cap. 1. ait, Dialecticam intentam ad opera quæ benè vel malè fieri possunt, & 1. Priorum 2. ait Logicam non solùm considerare debere generationem Syllogismi, sed etiam faciendi potestatem habere. Verùm breviter ad has omnes authoritates R. & ad primam quidem & secundam dico eas esse ab authoritate negativa, & ideò nil sequitur, argumentum enim ab authoritate in naturalibus scientiis nihil concludit, non enim sequitur, non legitur quòd Aristoteles habuerit duas auriculas, ergò non habuit, & similitèr ad tales authoritates respondē. Ad 3. & quartum locum dico Aristotelem fuisse locutum de scientiis speculativis principalioribus, qualis non est Logica, & quando dicit ad scientiam speculativam spectare ut consideret suum objectum, verum asserit, dum verò infertur Logicam facere suum objectum scilicet Syllogismum, tunc id nego, nam Logica docens non facit, sed utens ut sæpè dixi, quod verò aliqui hinc inferunt secuturum Logicam futuram perfectiorem scientiis practicis, quòd tamen sat absurdum videtur, R. verum id esse si consideretur modus quo in suum objectum fertur, non verò eam absolutè spectando, unde tantùm verum & absolutè loquendo de scientiis speculativis principalioribus, quod præstent practicis. Ad quintum locum dico, Aristotelem intelligendum esse ita, ut per benè vel malè fieri non intelligat moraliter, sed speculativè fieri, nec vel malè sumit Aristoteles in propria & præcisa acceptione, ad authoritatem verò ex 1. Top. desumptam dico, quòd velit quod etiam debeat habere faciendi potentiam suo modo, scilicet objectivè & idealiter, quod non est propriè facere, sic verbi gratiâ etiam idea dicitur concurrere ad effectionem domus, non propriè, sed tantùm idealiter. XVI. *Solvuntur authoritates ex Aristotele.*

Arguitur 2. Ratione, Estq; potissimum fundamentum contrariæ sententiæ; Habitus dirigens actus voluntatis est practicus, ergò & habitus dirigens actus intellectus erit practicus, antecedens concedunt omnes, consequentia XVII.

quentia est optima. Verùmtamen ℟. negando consequentiam & paritatem, disparitas est, quia actiones voluntatis sunt actus alterius potentiæ ab intellectu, non sic actiones intellectus. Sed

Prudentia est habitus practicus, & dirigit etiam operationes intellectus aliquas

Instatur Prudentia est habitus practicus, quia ipsa est directiva omnium virtutum, quæ ad virtutes pertinent, ergò nulla solutio quòd debeant actus esse alterius potentiæ ab intellectu. Sed ℟. dist. ant. Prudentia semper est habitus practicus strictè dictus nego ant. latè acceptus concedo, Imò universaliter concedi potest, operationes intellectus, ut à prudentia procedunt habere rationem praxis, quia ut sic dependent ab electione voluntatis, & sunt capaces erroris practici, ac proinde imputabiles in genere moris, non habent se autem ita ut dirigantur à Logica, quia non cadunt sub directionem Logicæ nisi ut sunt capaces erroris speculativi, scilicet falsitatis, & ideò non sunt praxes, sed meræ speculationes. Attamen contra hanc solutionem alioquin bonam

Urgetur cum Vasquetz. Tum quia etiam in operibus Logicæ principium est electio, quia liberè fiunt, & voluntas movet intellectum ad suos actus sicut & cæteras potentias, ergò non solùm Logica dirigit actus suos in genere speculationis, sed etiam in genere moris, & sic verè erit scientia practica, quia versatur circa opera quorum principium est electio, tum quia Aristoteles supra 1. Rhet. 1. id clarè insinuat & exprimit. Sed ℟. hanc replicam non urgere, quia si aliquid probat, probat quòd nullam esse scientiam speculativam, siquidem omnes actus cujuscunq; scientiæ fiunt vel saltem fieri possunt à nostro intellectu libere, & mediante motione voluntatis, cùm igitur dicit Aristoteles scientiam activam versari circa ea quorum principium est electio, intelligit de operationibus, quibus per se competit procedere ab electione, & tales sunt actiones virtutis moralis, omnes enim tales aut sunt eliciti, aut imperati à voluntate ut operationibus intellectus, ut à Logica diriguntur merè per accidens convenit libertas, seu voluntatis imperium, quia antecedentèr ad quamcunq; voluntatis imperationem potest intellectus errare in suis actibus, & per regulas quas tradit à Logica dirigi, & ideò actus ejus quatenus à Logica diriguntur non sunt praxes. Ad Aristotelem responsum jam est supra. Fateor tamen quòd Logica possit esse practica & speculativa; practica, quia dirigit operationes intellectus, speculativa in quantum demonstrat passiones de suo objecto, tàm totali, quàm partiali, imò absolutè practicam, nec hoc esset contra Scotum, quia ipse fatetur actus intellectus imperatos à voluntate esse praxes, extendendo nomen praxeos.

QUÆSTIO VII.

De Necessitate & utilitate Logicæ.

I. Logica est valdè utilis ad alias scientias acquirendas

Logicam Ad alias scientias acquirendas plurimum esse utilem res est indubitata, quod patet ex multis encomiis quibus ab Authoribus passim afficitur, ut etiam teste Mastrio Ars artium, scientia scientiarum, ad omnia methodorum principia, viam habens appelletur, quod pluribus Magni Augustini testimoniis confirmatur libro 2. Doct. Christ. cap. 31. etenim ait, *Ad omnia genera quæstionum quæ in sacris litteris sunt penetranda & dissolvenda, disputationis scientia plurimum valet*, & cap. 37. *Illa verò conclusionum & definitionum & divisionum pars plurimum intellectorem juvat.* Lib 2. contra Crescon. cap. 2. *Sicut non curo utrum ea ipsa disputandi disciplina Dialectica vocetur, curo tamen quantum valeo nosse ac posse disputare, hoc est veritatem à falsitate in loquendo discernere, quia hoc nisi curavero periculosè errabo.* & lib. 1. cont. eundem cap. 13. *Quid est aliud Dialectica, quam peritia disputandi, quod ideo aperiendum putavi, quia etiam ipsam mihi objicere voluisti quasi Christianæ non congruat veritati, & ideò me Doctores vestri velut hominem Dialecticum meritò fugiendum & cavendum potiùs quam refellendum, revincendumq; censuerunt* & cap. 15. *Cùm enim nunquam desint qui per insidiosas captiones captant incautorum assensiones, ut ex eorum responsionibus concludant, unde illos vel in aperta falsitate deceptos rideant, vel occultam falsitatem decepti persuadeant, Logica ad hoc inventa est.* Ex quibus testimoniis satis clarè liquet, quantæ utilitatis sit Logica. Verùmtamen exinde non colligitur etiam esse tantæ necessitatis quin sine ea aliæ haberi possint scientiæ, hinc quæritur quàm necessaria ipsa sit. & sermo est de Logica artificiali (nam naturalem esse simpliciter necessariam unanimis est consensus, quotiescunq; etenim ex præmissis aliqua consequentia deducitur necessarium est, ut semper judicium vel formale, vel virtuale, de bonitate consequentiæ intercedat, quod judicium per Logicam fit naturalem. Notandum ergò *Necessarium* impræsentiarum dupliciter sumi posse, uno modo *absolutè & simpliciter* sine quo alterum hîc & nunc simpliciter haberi non potest, alio modo *secundùm quid* & est illud quod licet non sit necessarium simpliciter ad esse, est tamen necessarium ad melius esse. Necessarium simpliciter duplex est, physicè & moraliter, physicè necessarium est illud sine quo aliquid esse vel fieri non potest per naturæ vires aut secundùm ordinem naturæ, sic ut quis acquirat calorem, debet esse virtus calefactiva & applicatio: necessarium moraliter, est sine quo aliquid quidem fieri posset, sed non sine magna difficultate; sic dicitur homo necessariò incidere in venialia peccata, seu esse impossibile ei illa vitare, quibus præmissis ad quæstionem

Necessarium duplex.

II. Logica non est absolutè necessaria ad alias scientias.

Dico 1. *Logica non est absolutè & simpliciter necessaria ad alias scientias aquirendas.* Hæc est Scoti. 2. Met. 12. Et etiam D. Augustini. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 37. ubi postquam dixisset Logicam plurimum intellectorem juvare, subjungit *quanquam plerumq; accidat ut facilius homines res eas assequantur quam talium præceptorum nodissimas & spinosissimas disciplinas*, ex quibus verbis clarè constat eam non esse absolutè & simpliciter necessariam. Item Clemens Alexandrinus Logicam comparat sepi, *qua licet arbores fructuq; non egeant ut sint, per illam tamen tuti sunt.* Prob. 2. Ratione; Ut scientiam aliquis sibi comparet satis est quòd principia penetret, indéque per naturales formas differendi conclusiones deduc-

cat, sed hoc sine Logica fieri potest, ergò: mi. quia ad principia nota nulla opus est arte, nam si aliquis deduceret hanc conclusionem; Caput est minus toto corpore, ex illo principio: Omne totum est majus sua parte, & omnis pars est minor suo toto, sed caput hominis est pars corporis humani, ergò est minus suo toto scilicet corpore, evidēter concluderet sine eo quòd adhiberet ullas regulas Dialecticæ artificialis; Per hoc tamen negare non intendo, quòd sine omni demonstratione scientia haberi possit perfecta, sed tantùm sine omni demonstratione facta per regulas Logicæ, quòd autem sine artificiali demonstratione naturalis haberi possit, convincit illa ipsamet demonstratio habita de infallibilitate regularum Logicæ, antequam haberetur Logica artificialis. Quando autem dicit Aristoteles, nullum rem quempiam perfectè cognoscere nisi sciat se scire, adeoque necessarium videtur, quòd scire debeat se demonstrationem habere, quod tamen nemo novit nisi ad regulas Logicæ reflectat, non est intelligendus ita quasi deberet habere actum reflexum, quòd regulas cognoscat bonæ demonstrationis, sed solùm quòd requiratur, ut talis sciens perfectè præmissas penetret, & hoc patet, quia alioquin daretur processus infinitum, nam idem potero dicere de cognitione illa reflexa, & sic de aliis. Deinde sicut credere aliquis potest absque eo quod credat se credere, ita & scire quamvis non reflectat se scire.

III. *Logica est secundùm quid necessaria.*

Dico 2. *Logica est secundùm quid necessaria ad alias scientias acquirendas.* Hæc est Scoti supra. D. Augustin. ex dictis in introductione ad quæstionem. D. Bernardi Serm. 36. in Cantic. Cant. ubi dicit: *Vides quia non probat multa scientem si sciendi modum nescierit*, qui textus sat clarè Logicam, quæ est modus sciendi, necessariam esse concludit, quod quamvis pariter moralitèr exponi possit, optimè tamen applicatur Logicæ, quam nescire multa scientem non juvat ad evitandas captiones; sic D. Aurelius, dum lib. 2. Doct. Christ. cap. 31. ait, *sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & ita plerumq; veras imitantes, ut non solùm tardos sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant; Proposuit enim quidam dicens ei cum quo loquebatur, Quod ego sum tu non es, at ille consensit, verum enim erat ex parte, vel eo ipso, quòd iste insidiosus, ille simplex erat, tunc iste addidit, ego autem sum homo, quod cum ab illo accepisset concluxit dicens, tu igitur non es homo.* Vides quomodo non probet multa scientem, nisi etiam modum sciendi sciat, quâ viâ, quaq; ratione evadere posset falsitates & inquirere discernendo veritatem.

Arguitur in Contra Si Logica esset secundùm quid necessaria ad alias scientias acquirendas, erit etiam necessaria ad acquirendam se ipsam, sed hoc est inconveniens ergò; prob. minor, nam idem non potest esse in actu & in potentia, sed tunc esset in actu & potentia simul, ergò prob. mi. esset namque in actu, quia per ipsam quæreretur Logica, & esset in potentia respectu Logicæ acquirendæ. R. concedendo ma. & negando minorem, nam verè sibi ipsi inservit Logica per applicationem unius partis ad aliam, nam illa pars quæ agit de terminis, inservit parti quæ agit de enuntiationibus, & hæc illi parti quæ agit de Syllogismo, nec est in conveniens quòd sibi ipsi inserviat, nam lumen quod est medium necessarium ad quodlibet videndum, est etiam sibi ipsi necessarium ut videatur: Ad probationem distinguo ma. idem non potest esse in actu & in potentia respectu ejusdem concedo ma. respectu diversorum nego ma. tunc autem Logica non esset respectu ejusdem, sed respectu diversorum, sicut idem calor est in actu respectu sui, & in potentia in quantum potest intendi, sic Logica esset in actu secundùm suas regulas, in potentia, quatenus illis utendo posset acquirere magis perfectam regulam. Sed

Instatur Esset in actu & potentia respectu ejusdem, ergò nulla solutio, prob. ant. quia illæ regulæ quæ supponuntur in actu vel sunt acquisitæ per alias Regulas vel non; si per alias, ergò non possunt supponi esse in actu ad acquirendam Logicam; si non sunt, ergò Logica non est necessaria ad se ipsam acquirendam, quia illæ regulæ sunt Logicæ artificialis, atq; adeò in congruè additur alterum distinctionis membrum, quòd inserviant ad magis perfectam Logicam acquirendam, nam magis perfecta Logica est qualitas Logicæ, non verò ipsa Logica in substantia de qua controvertitur. Sed R. negando ant. ad ant. prob. dico illas regulas quæ supponuntur actu esse, non fuisse acquisitas per alias regulas artificiales, sed per naturales differendi modos, unde verum est Logicam fuisse acquisitam sed etiam omnes suas partes per artificialem, exceptâ illâ, quæ nō artificiale, sed naturale præsupponit instrumentū, ad quod requirebatur alia Logica artificialis, sed erat sufficiens ad adjuvandū acquirere alias partes.

Urgetur Si una pars Logicæ potuit acquiri sine alia, ergò etiam Physica acquiri poterit sine Logica: prob. conseq. quia quemadmodum illa pars Logicæ conducebat ad acquirendam Logicam totam, ita & pars Physicæ conducere poterit ad acquirendam totam Physicam, ergò Logica non erit necessaria. R. negando consequentiam cum probatione, disparitas est quia una pars Logicæ potest conducere ad aliam partem Logicæ duplicitèr, primò quatenus notitia unius deservit ad notitiam alterius propter connexionem objectorum, secundò quatenus objectum unius partis habet rationem instrumenti ad inquirendam cognitionem alterius partis, sive nectantur in subjecto seu objecto, sive non, una pars verò Physicæ inservit alteri parti tantùm primo modo, Logica verò utroq;: sed claritatis gratiâ Nota, quòd quamvis aliæ scientiæ habeant suas particulares definitiones, divisiones, in quantum tamen consideratur earum certitudo & veritas omnes ad Logicam pertinent, nempè ex regulis & præceptis traditis de definitione, & divisione, &c. In Logica.

Restat adhuc probanda Conclusio ex ratione, quod ex præaccelerata Argutione prætermisi supra, sic. Quilibet artifex expeditior est ad opera artis cùm parata habet instrumenta, quàm cùm ipsis destituitur, sed sciendi instrumenta sunt formæ differendi, ergò

ergò intellectus qui sciendi artifex est, multò expeditior atque ad discendum promptior evadet si præfatas differendi formas à Logica obtineat. Deinde ignari Logicæ in plurimos labi errores experientiâ constat, & traditione Aristotelis 4. Met. t. 8. ubi ait, omnia Dialectica addiscantur opus est. Ita etiam Tullius 3. de finibus inquit, sine Logica quemvis arbitramur à vero abduci falliq; posse. Sed

VI. Habitus Logicus immediatè influit in Physicè.

Quæres 1. Utrum habitus Logicæ immediatè & Physicè influat in actus aliarum scientiarum, seu quod idem est, utrum influat effectivè? R. negativè solummodò influit, directivè, tradendo regulas, hinc etiam pro fine hujus quæst. & totius disp.

VII. Logica dirigere omnes operationes.

Quæres 2. Quinam sit finis Logicæ? R. quòd finis Logicæ in tota sua amplitudine sit dirigere omnes & singulas mentis operationes, in quacunq; materia, seu probabili seu necessariâ, si verò consideretur ut eam Aristoteles tradidit ejus finis est directio tantùm tertiæ mentis operationis. Resolutio est Scoti 1. Priorum. q. 2. §. Quantum ad tertium. Probatur quoad 1. p. Quia omnes tres operationes sunt per se dirigibiles in quacunq; materia, ergò Logica ordinatur ad omnes & singulas operationes dirigendas; prob. ant. quia quælibet separatim potest participare proprium errorem, quia si implicaret dari tertiam operationem, adhuc darentur præcepta de secunda, universalem verbi gratiâ negativam converti simpliciter &c. Et si implicaret secunda, adhuc darentur præcepta de prima verbi gratiâ quòd ad distinctè quidditatem apprehendendam oporteat concipere genus & differentiam objecti, quamvis una magis indigeat directione quàm alia. Prob. secunda pars, quia quidquid in sua Logica Aristoteles tradidit fecit in gratiam Syllogismi, ut ipse testatur Doctor, ergò adæquatus ejus Logicæ finis erit directio Syllogismi: ant. patet ex dictis, tenet etiam consequentia; Ergò sit hujus quæstionis & etiam disputationis finis, nam quod ab aliis hic pariter pertractari solet de unitate scientiarum, subalternatione, & similibus, cùm sint omnibus scientiis communia, hic impertractata relinquo, & differo, usque dum egero de scientia in libris Priorum. Sit igitur finis

DISPUTATIO II.
DE DISTINCTIONIBUS.

Hanc materiam Antiquiores Scotistæ aliqui, qui etiam Formalistæ appellati fuerunt ita fusè tractârunt, ut novam scientiam inchoare potius visi fuerint cujus objectum esset formalitas, quàm claram doctrinam de distinctionibus proponere ex quorum prolixitate ortum est ut, Mastrius & Bellutus putant, quòd plures etiam excellentis indolis à Schola Scoti perdiderit Alumnos, & quotidie perdat, ut mirum sit quòd in Schola Scotica tàm fusa tractatio non tollatur & ab aliquibus veluti omninò necessaria proponatur, Et licet Mastrius & Bellutus, antiquiores redarguant veluti superfluè fusos, eâdem censurâ mihi tamen digni videntur, qui non contenti rem semel in Logica proponere, eandem materiam iterùm in Metaphysica repetunt, asserentes se in Logica ea tantum proponere quæ ad Logicos spectant, verùm nè eandem materiam tradam hic inchoatè, author futurus operis imperfecti ut alibi repetere cogar; ideò eam ita expediam, quatenus nec superfluus nec mutilus videar, si igitur.

QUÆSTIO I.
De Distinctione ut sic, in quonam formaliter consistat?

I. Differentia inter distinctum, diversa & divisa.

Ante Resolutionem Notandum 1. Maximum esse discrimen inter distincta, divisa, differentia, & diversa, ac opposita; nam distincta illa dicuntur quæ per negationem sui invicem vel realiter vel formaliter exprimuntur; divisa distinctioni superaddunt negationem unionis seu connexionis, unde quæ sunt divisa sunt etiam distincta, non tamen è contra, quæ sunt distincta sunt etiam divisa. Differentia superaddit rebus distinctis dissimilitudinem in natura, unde homo & brutum non solùm distinguuntur, dividuntur, sed etiam differunt: Opposita verò sunt quæ habent aliquam specialem inter se repugnantiam, ut patet ex summulis, & hoc maximè verum est, si omnia sumantur propriè & in rigore: nam frequentèr ab Authoribus ita accipiuntur ut coincidere nonnulla inter se existimentur.

II. Distinctio duo dicit.

Notandum 2. Distinctionem dicere duo: unum fundamentalitèr, alterum formaliter, fundamentalitèr dicit ipsam rem quæ est vel eadem vel distincta, formalitèr dicit formam, ratione cujus est eadem vel distincta, sicut se homo & lignum habent, quæ per suas entitates fundamentalitèr distinguuntur; formalitèr verò per formam illis entitatibus superadditam à qua denominantur distingui. Quæ iterum duplicitèr accipi potest primò negativè, ut coincidit cum non identitate: nam distinctio propriè inter positiva extrema est, ut cùm negationes propriè entia non sint, ita neq; propriè distinguuntur; quia licèt inter ens & non ens maxima sit distinctio, nam opponuntur contradictoriè: tamen quia non fundatur in uno positivo extremo non dicitur positiva, sed negativa: secundò potest sumi positivè & sic est ratio positiva sive realis, sive rationis inter duo extrema positiva, quare privatio distinguitur ab habitu negativè non positivè, Hinc Trobeta in suis formalitatibus, teste Mastrio, dicebat, quòd omnis distinctio sit non identitas, non tamen è conversò omnis non identitas sit distinctio, quia non identitas latius patet quàm distinctio, cùm etiam conveniat non enti, distinctio verò cùm sit relatio positiva ut statim dicam, præsupponit extrema positiva, & convenit

tantùm enti ; ex quo deducit quòd inter negationem & affirmationem, inter privationem & habitum, non potest intercedere distinctio, sed tantùm non identitas ; unde quod invenitur quòd habitus distinguatur à privatione, & affirmatio à negatione, debet intelligi solùm negativè quô etiam modô conceditur Titium, vel Cajum distingui à Chimæra negativè, scilicet in quantum non est idem chimæræ. His prænotatis controvertitur inter Authores utrum distinctio formaliter sumpta realis & propria consistat in aliquo positivo an potius in negativo. Circa quam materiam plures sunt & fuerunt sententiæ ; vestigiis tamen Doctoris nostri inhærendo

III. *Distinctio consistit in positivo.*

Dico 1. *Distinctio propriè sumpta consistit in aliquo positivo.* Hæc est D. 2. d. 3. q. 1. & Probatur 1. Si non consisteret distinctio propriè sumpta in aliquo positivo, deberet consistere in negativo ut fatentur Pasquilinus Joannes à S. Thoma & alii Recentiores passim qui contrariam sequuntur opinionem, sed distinctio non potest consistere in negativo, ergò consistet in aliquo positivo ; ma. est Advers. probatur mi. Quia illa negatio identitatis convenit tàm enti, quàm non enti, distinctio verò tantummodo convenit enti ut dixi in Notabili secundo, ergò distinctio non poterit consistere in negatione identitatis, quia hæc magis latè patet quàm distinctio. Probatur Conclusio secundò. Dissimilitudo præter negationem unitatis in qualitate dicit quid potissimum superadditum, ergò & distinctio præter negationem identitatis dicet quid positivum superadditum : ant. patet, quia negatio similitudinis inter album & nigrum non sufficit ad formalem demonstrationem dissimilitudinis inter illa, nam talis negatio reperitur etiam inter albedinem & chymæram, quia licèt albedo non sit similis chymæræ, ac proinde negationem ipsius dicat, non tamen dicitur dissimilis illi sicut dicitur nigredini, ergò dicit aliquid præter negationem dissimilitudo, subsumo sed eodem modo se habet dissimilitudo & distinctio, nam sicut hæc opponitur identitati, ita illa opponitur similitudini, ergò etiam distinctio debet consistere in positivo. Confirmatur Conclusio 1. Quia non identitas, non est formaliter distinctio, ergò non consistit in ea licet eam præsupponat : probatur ant. Quia non identitas in aliquo signo alicui competit, pro quo non competit ei distinctio, nam idem & non idem sunt contradictoria, idem autem & distinctum sunt contraria, sed oppositio contradictoria est prior quàm oppositio contraria, cùm hæc illam præsupponat, & per consequens potest alicui competere esse idem vel non idem prius, quàm esse idem vel distinctum. Confirmatur 2. Quia si humanitas abstrahatur abomni entis passione, & ab omnibus propriis passionibus, certum est quòd humanitas in tali abstractione & statu præcisionis non dicatur formalitèr distincta à lapide, quia hic est status purissimæ essentiæ, unde de ea in tali statu non possunt enunciari prædicata per se intrinseca & primò convenientia, & tamen in tali abstractione humanitas dicitur non eadem lapidi, ergò non est formalitèr non identitas unius rei cum alia, esto eam præsupponant.

IV.

Arguitur in contra. Per illud distinguitur unum ab alio per quod tollitur identitas utriusque, sed per negationem identitatis tollitur immediatè identitas unius ab alio, verbi gratiâ per negationem identitatis tollitur immediatè identitas Petri cum Paulo, ergò. prob. mi. quia identitas & negatio ejus opponuntur contradictoriè, ergò per negationem tollitur immediatè ipsa identitas. R. dist. ma. per quod tollitur immediatè identitas positivè concedo, negativè nego majorem : hæc etenim non sufficit, sicut nec negatio similitudinis ad dandam denominationem dissimilitudinis. Sed

Diversò modo se habet distinctio & divisio.

Instatur Eodem modo se habet divisio sicut se habet distinctio, sed divisio non tollit per positivum unitatem, ergò nec positivè distinctio identitatem, Probatur ma. quia quemadmodum identitas correspondet unitati & in ea fundatur, ita distinctio divisioni correspondet in multitudine : nam in multitudine fundatur, ergò. R. 1. dist. ma. eodem modo se habet divisio & distinctio negativa concedo ma. eodem modo se habent divisio & distinctio positiva nego ma. & concessa : mi. distinguo consequens similitèr sicut ma. nam distinctio quæ cum sola nô identitate coincidit cum divisione convenit, non verò illa quę est propria inter positiva extrema. Resp. secundò negando ma. ejusque probationem, nam licèt identitas unitatem consequatur & in unitate fundetur, alia tamen ejus est natura ab unitate, quoniam conceptus unitatis est absolutus, identitatis verò relativus, unitas ex sua ratione formali excludit pluralitatem, identitas plura supponit & inter plura versatur : ut tamen in unum & idem esse coadunata, sic quoq; distinctio licèt divisionem & pluralitatem sequatur & in pluralitate fundetur, non tamen est ejusdem omninò rationis & naturæ cum divisione & pluralitate, quia distinctio propriè dicta importat diversitatem positivam inter aliqua plura in peculiaribus eorum rationibus fundatam, unde aliqua esse distincta vel diversa formaliter dicit aliquid positivum, quia in tali esse constituuntur propriè per proprias rationes positivas, sed aliqua esse inter se divisa vel separata, non dicit quid positivum, quia in tali esse sufficientèr intelligitur per solam ablationem unitatis vel unionis inter illa : ut constat de partibus continui quæ sufficientèr intelliguntur ab invicem solutæ & divisæ per solam ablationem indivisibilis, vel partis continuativi. Sed

Urgetur. Illud positivum per quod aliqua distinguuntur inter se, vel est quid superadditum, vel nihil, si nihil ; ergò gratis imputatur Hurtadus qui res formalitèr se ipsis distinctas asserit, & gratis attuli quòd distinctio fundamentalitèr sit ipsa illa res, quæ ab alia distinguitur ; si verò est aliquid superadditum, illud superadditum vel distinguetur se ipso, vel per aliud, si per aliud, dabitur processus in infinitum, si se ipso, ergò similitèr illa extrema se ipsis & sine ullo addito distinguentur, & consequentèr gratis multiplicantur superaddita. Verùmtamen ad hanc ursionem sat in Scholis frequentem R. esse quid superadditum illud positivum per quod

extrema

extrema inter se distinguuntur, quando autem dicitur quòd illa superaddita iterùm per alia in infinitum distingui debebunt negatur sequela, quia seipsis distinguuntur, nam quemadmodum quantitas non est quanta per aliam quantitatem, nec actio producitur per aliam actionem, sic nec illud superadditum quod est distinctio, erit distinctum per aliud superadditum, seu per aliam distinctionem, sed erit distincta seipsâ. Ut totam hanc solutionnm melius intelligas & percipias.

V. *Ad distinctionem non est progressus.*

Dico 2. *Ratio positiva per quam aliqua distinguntur non est absoluta rei essentia præcisè sumpta.* Hæc sequitur ex priori, estq; Scotistarum communiter contra Hurtadum, qui dicit distinctionem esse formaliter cujuslibet rei, ipsam essentiam, Contra quem probatur conclusio. Essentiæ rerum secundùm se non sunt relativæ, & ideò debet addi forma relativa per quam unum referatur ad aliud, sed per distinctionem una res refertur ad aliam, tanquam ab ea diversa, ergò distinctio non est formaliter rei essentia. Probatur secundò quia id quod distinguitur ab alio, & id per quod distinguitur tanquam per principium distinctivum non est formaliter ipsa distinctio, quia quod distinguitur est concretum habens ipsam distinctionem, non verò ipsa distinctio in abstracto, & id per quod distinguitur est principium & radix ipsius distinctionis, non autem ipsa distinctio, ergò neq; essentia, neq; principium formale constitutivum essentiæ est formaliter ipsa distinctio, nam essentia est concretum quod distinguitur, & principium ejus constitutivum est radix & origo distinctionis & ratio fundandi ipsam distinctionem, non autem ipsa distinctio.

VI. *Tertia.*

Dico 3. *Illud positivum superadditum in distinctione propriè sumpta prout est entis affectio est relatio, vel prædicamentalis, vel transcendentalis.* Est Scoti supra contra Adversarios præcedentes, & probatur quia distinctio per suam rationem formalem est ad aliud, cùm sit ratio formalis distinguendi non quidem idem à seipso, sed ab alio, nihil enim distinguitur à seipso, sed ab alio, ergò per ordinem ad aliud, sed quando aliquid sic fit per ordinem ad aliud est per relationem, ergò distinctio cum fiat per ordinem ad aliud est quid relativum, Quòd confirmatur, quia omnia requisita ad relationem ei conveniunt : nam concurrunt utrimque extrema positiva, ratio fundandi, quæ est pluralitas rationum in utrisq;, & tandem relativa denominatio. Dixi autem hujusmodi relationem importatam, vel esse transcendentalem, vel prædicamentalem; nam datur aliqua distinctio quæ est rei identificata, & hæc est propria entis passio & datur etiam aliqua distinctio quæ est relatio prædicamentalis & purum rei accidens, quia adest & abest præter subjecti corruptionem, ut distinctio quâ ego distinguor â Titio verbi gratiâ existente, quo defuncto perit etiam illa distinctio, & talis distinctio dicitur esse aliquid superadditum rei essentiæ non tantùm formaliter ut est transcendentalis, sed etiam realiter. Sed

VII.

Dices. Relatio supponit extrema distincta, quia idem ad seipsum non refertur, si ergò distinctio est relatio supponet extremorum distinctionem, & sic illa superfluè additur, aut dabitur processus in infinitum. R. dist. ant. supponit extrema distincta fundamentaliter concedo formaliter nego. Sed

Instabis. Relatio supponit extrema non tantùm fundamentaliter, sed etiam formaliter distincta, ergò nulla solutio. R. dist. ant. Relatio supponit extrema formaliter distincta ut talia denominentur, & sint ante distinctionem advenientem, nego ant. supponit, &c. ut ipsa relatio formaliter in tali esse constituat, concedo, quia hoc particulariter convenit relationi per distinctionem importatæ, quia ipsa constituit extrema inter quæ versatur formaliter & actualiter distincta.

VIII. *Si accipitur in largiori acceptione præscindit à prædicatamentali & transcendentali.*

Dico 4. *Sit distinctio consideretur in largiori acceptione prout positivam & negativam comprehendit, tunc relatio superaddita in qua formaliter consistit, præscindit a transcendentali & prædicamentali.* Hanc non inveni ab Authoribus in terminis sic propositam videtur mihi tamen quòd deducatur ex præcedentibus. Probatur. Quia dantur multæ distinctiones quæ licet relationes sint, non sunt tamen prædicamentales neque transcendentales, ergò. Probatur ant. nam distinctio quâ ab æterno Deus non fuit Angelus, non est prædicamentalis, nec esse potest, nec transcendentalis, ut patet, ergò debet esse præscindens & tales relationes sunt omnes illæ quæ versantur inter ens & non ens, inter Chymæram verbi gratiâ & Titium, &c. Prob. 2. Quia si relatio consideretur in sua tota amplitudine prout & realem & rationis & positivam & negativam comprehendit, tunc non poterit aliqua ratio communis univoca assignari, ergò debebit assignari aliquod præscindens & æquivocum, & hæc sufficiant pro prima quæstione.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Distinctio ?

I. *Multa olim distinctionum genera*

Veteres Thomistæ, in divisione Distinctionum parciores extiterê, utpotè qui solùm duo distinctionis membra & genera admiserunt, scilicet rei & rationis; Scotistæ verò Antiquiores profusi è contra fuerunt & copiosi, utpotè qui septem assignârunt distinctionum genera, nempè distinctionem rationis, ex natura rei, formalem, realem, essentialem, se totis subjectivè. & se totis objectivè. Distinctionem rationis esse dicebant quæ fit ex fabricatione intellectûs, Ex natura rei vocabant, inter illa, inter quæ intercedit contradictio sine omni opere intellectûs, sicut dicebant distingui definitum & definitionem, superiora ab inferioribus, modũ intrinsecum â re cujus est modus, ut Essentiam Divinam ab infinitate, creatam à finitate, Petrum à sua differentia individuali, & albedinem à gradu intensionis ejus. Formalem appellabant eam, quæ reperitur in unica re habente plures formalitates quarum una diversam habeat conceptibilitatem ab alia, & sic distinguunt plures potentias in eadem anima, subjectum & passiones, perfectiones attributales in Essentia Divina, licet enim singulæ in eadem re Physica sint immersæ, quia tamen singulæ propriam habent conceptibilitatem sibi adæ-

quatam, ideò inter se formalitèr distinguuntur, quod de modo dici nequit respectù rei, cujus est modus: licet enim res sit conceptibilis sine modo, non tamen ècontra. Realem appellabant illam, quæ versatur inter plures res, seu inter plura quorum unum non est entitativè aliud, unde dicuntur distingui realitèr quæ sunt res & res, & non aliquid rei. Essentialem dicebant inter illam, quæ versatur inter illa quæ habent diversas essentias, seu quorum unum non est de conceptu quidditativo alterius, circa quam multùm laborant ut eam à reali distinguant; Sexta est se totis subjectivè, alitèr subjectiva, & versatur inter ea, quæ non conveniunt in aliqua realitate potentiali, & contrahibili per alias realitates ad ipsa, ut Deus est creatura, cùm enim Deus sit simplex, non est in eo ordo realitatum quarum una contrahatur ad aliam; Septima denique objectiva, seu se totis objectivè, & versatur inter ea quæ in nullo conceptu reali quidditativo conveniunt, quò pactò ajunt distingui ultimas differentias. Hæ autem distinctiones sic se habent ad invicem; quòd hæc ultima, cùm sit major omnium, infert omnes alias, & penultima omnes alias præter ultimam, & sic ascendendo usq; ad primam, non tamen ècontra. Ita communitèr dicti Antiquiores Scotistæ suas distinctiones explicabant, qui propterea etiam Formalistæ appellati sunt; Verùmtamen quia hæc multiplicatio distinctionum parvam claritatem affert, utpotè valdè explicatu difficilia sunt nonnulla membra, ideò Recentiores Scoti Discipuli eam non probant, sed mediâ incedunt viâ, ita ut non nimis pauca ponant membra, nec nimis multa; Neoterici sequuntur diversâ tamen ratione, nam isti inter realem & rationis modalem admittunt, illi verò inter realem & rationis formalem, ex quo patet Scotistas Recentiones non nisi tria distinctionum genera ponere, ad quæ omnia alia reducuntur. Notandum autem quod Neoterici distinctionem modalem eam vocent quæ non est inter rem & rem, sed inter rem & modum rei, modificantem rem, qualis est sessio respectu sedentis, quam nolunt dicere realem, quia modus non potest separatim existere à re modificata. His itaq; præmissis, pro clariori dicendorum notia ad quæstionem.

II. *benè dividitur in realem & rationis.*

Dico 1. *Distinctio prima sui divisione adæquatè dividitur in realem, seu ex natura rei, & rationis, sive quæ fit per operationem intellectûs*, Ita quàm plures Scotistæ, Rhada 1. p. Controv. 4. Mastrius, &c. Probatur Conclusio primo ex regulis bonæ divisionis, scilicet quotiescunq; aliquod commune in inferiora dividitur, debent primò membra immediatiora assignari & non remotiora, nec tàm multa quæ confusionem pariant, sed in divisione data membra dividentia sunt immediatiora, nec enumerantur plura, vel tot quæ confusionem parere possent, ergò. Prob. mi. membra quæ dividunt immediatè ens in tota sua latitudine, sunt ens reale & rationis, capiendo ens reale pro omni eo quod est extra nihil, nam impossibile est aliquam rationem entis excogitari, quæ non dicat, aut ens reale, nimirùm aliquid habens esse independentèr ab intellectu, sed identitas & distinctio sequuntur rationem entis veluti ejus passiones & proprietates, ergò, quandoquidem ens prima sui divisione dividitur in reale & rationis sic paritèr dividetur distinctio. Probatur Conclusio 2. Tunc est legitima & immediata divisio alicujus communis, cùm membra dividentia ita se habent ad rationem communem, ut sub ipsis contineantur alia inferiora, sive per modum generum, sive per modum specierum, sed data membra omnes alias distinctiones sub se complectuntur, aut veluti genera, aut veluti species, ergò. Major patet ex dictis, minor constabit ex mox dicendis per hanc disputationem, sicut & subsequentèr: aliam subdivisionem distinctionis realis pono &

III. *Definitio realis subdividitur.*

Dico 2. *Distinctio ex natura rei subdividitur benè in distinctionem ex natura rei propriissimè realem, & in distinctionem ex natura rei formalem.* Hæc colligitur ex Scoto 1. d. 2. q. 7. §. sed hic restat, & d. 8. q. 4. §. ad quæstionem, & 2. d. 1. q. 5. & alibi sæpè. Probatur, Quia ut docet Philosophus 5. Met. t. 18. Identitas præcisè fundatur super unitatem, distinctio verò super multitudinem & pluralitatem, ergò tot modis reperitur distinctio realis, quot modis reperitur pluralitas ex parte rei, subsumo, sed pluralitas ex parte rei reperitur duplex, ergò etiam duplex distinctio, probatur subsumptum, Quia una est pluralitas rerum & dicitur pluralitas simplicitèr, & altera est pluralitas realitatum, seu formalitatum, & dicitur pluralitas secundum quid, & nulla alia præterea datur inter res, ergò: quare utramq; rei pluralitatem explicabo, si explicuero rem & formalitatem, seu realitatem. Itaq; per rem hic intelligitur non tantùm id quod per se primò & immediatè existit, vel sic existere potest ut multi formalistæ volunt, sed omne id quod per veram efficientiam & physicam causalitatem accipit esse, sive se solo existere possit, sive non, & ita se habent omnes Physicæ entitates, omnes nimirùm substantiæ, sive completæ, sive incompletæ, omnia item accidentia, seu absoluta, seu respectiva, hæc enim omnia sunt entia habentia existentiam in recto, etsi non omnia se solis existere possint, ut patet de relationibus: nam hoc solùm indicant exilem illa habere existentiam & essentiam ab altera dependentem, non verò carere prorsùs omni existentia, & proindè nata sunt fundare distinctionem realem, utpotè quia sunt veræ res & vera entia Physica per veram causalitatem Physicam producta. Per formalitatem verò, seu realitatem intelligitur id, quod est aliquid rei præteritùs explicatæ, non quomodocunqûe, sed per identitatem realem, sive perfectam, ut est identitas attributorum in Deo, quæ habetur ratione infinitatis extremorum, sive imperfectam, ut est identitas graduum Metaphysicorum, in creatis tamen non recipit esse proximè à causa per verum influxum Physicum, sed tantùm per simplicem dimanationem Metaphysicam, hoc modo dicit Scotus passionem emanere à subjecto 1. d. 3. q. 3. & potentias ab anima hominis in 2. dist. 6. q. 1. Sunt nonnulli etiam Scotistæ qui distinctionem dividunt in Numericam, specificam, generícam, adæquatam, inadæquatam, &c. Mihi tamen videtur quòd sint meræ explicationes nominales, atqûe

atq; adeò iis super sedendum duxi, unde principaliora distinctionis membra Realem & formalem atq; rationis in sequentibus quæstionibus particulariter examinabo.

QUÆSTIO III.

De Distinctione Reali.

I. Visis iis quæ ad explicandam distinctionem secundùm se, & multiplicitatem necessaria videbantur, descendendo nunc ad enodandas singulatim quaslibet species, & inprimis in hac quæstione agam de distinctione reali, utpotè quæ est magis communis & obvia, pro quo tamen

II. Notandum 1. Quòd Quæstio hæc non procedat de distinctione reali in tota sua latitudine prout contra distinguitur à distinctione rationis, & coincidit cum distinctione ex natura rei, seu illa quæ habet suum esse independenter ab operatione intellectûs, quia sic sumpta non est species ab aliis distincta, sed est genus ad omnes distinctiones, quæ habent esse sine operatione & fabricatione intellectus, quomodocunq; illud habeant, sed sumitur pro distinctione reali propriè dicta, quæ etiam dici solet distinctio realis entitativa ut distinguatur à distinctione formali, quæ etiam reperitur inter extrema sua ex natura rei, & tamen non dicitur realis, in hoc sensu quia non versatur inter extrema quæ sint res ac entitates, sed puræ formalitates.

III. Notandum 2. Quòd nec quæstio futura sit de distinctione secundùm eam considerationem & rationem quam distinctio pro formali importat, quasi quæreretur an distinctio realis præ se ferat relationem realem inter extrema distincta; nam in præsenti non refert an distinctio relationem realem importet necne, sed quæritur de distinctione ratione fundamenti, ad quod potest sequi illa relatio, quia hæc distinctio non dicitur realis simpliciter, seu entitativa, eò quòd ipsa sit relatio realis, sed quia extrema sunt verè res ratæ & firmæ quoad existentiam, unde Deus dicitur distingui realiter à creatura, cùm tamen relationem realem ad illam non habeat; his notatis duo potissimum examinanda in hac quæstione occurrunt, primum in quonam consistat natura & conditio distinctionis realis, alterum est quænam sint ejus sufficientia & legitima signa. Quod primum attinet sicut variivaria senserunt de divisionibus distinctionum ita quoq; multiplicia opinantur explicando singula membra, videtur tamen superfluum singulorum sensus recensere & enumerare, quare potiùs ad ipsam materiam enodandam progredior &

IV. Dico 1. *Distinctio realis illa est, quæ versatur inter rem & rem sumendo rem in ea acceptione quam adhibui in præterita quæstione, explicando quid res significet.* Hæc est plurimorum Scotistarum signanter Mastrii, Baronis contra Pontium. Et etiam D. Augustini lib. 6. Trinit. cap. 6. quem in terminis infrà citabo; Ut probetur autem Conclusio notetur prius ex Scoto 1. d. 36. Quòd res dupliciter primò accipi potest, vel prout dicitur à *ratus rata ratum*, & sic dicta res solet appellari res simpliciter, vel prout originem habet à *reor reris*, quod significat opinari, & sic sumpta vocatur res secundum quid, quà ratione omnia à nobis opinabilia etiamsi sint impossibilia res appellantur, licèt tantùm secundùm quid, quia sunt res opinabiles, Res autem primo modo accepta, secundum Scotum 1. d. 36. ad 1. princ. iterûm dupliciter, dici potest ens ratum, aut quia habet actu esse firmum & verum essentiæ, aut existentiæ, vel etiam subsistentiæ, aut saltem tale esse sibi non repugnat per quod distinguitur à figmentis, quæ neutro modo habent esse. Quo præmisso probatur Conclusio: Distinctio realis versatur simpliciter inter rem & rem, non prout venit à reor reris, sed ut venit à ratus rata ratum, sed ratitudo & firmitas non habetur in re nisi per ordinem ad existentiam actualem, vel possibilem, ergò distinctio realis potest intercedere tam inter duo entia rata & firma quoad existentiam actualem quàm possibilem, quorum unum simpliciter non est aliud; Quare sequitur quòd distinctio realis de qua hic ago est illa, quæ versatur inter duo extrema quæ sunt res, vel entia habentia esse ratum & firmum modo explicato, id est existentiam actualem, vel possibilem perfectam, vel imperfectam, sive possint per se produci & immediatè, sive petant necessariò produci cum alio, vel in alio, sicut universaliter est de omnibus relationibus prædicamentalibus & modis, quæ licet per se esse & produci non possint sine subjecto & fundamento, etiam per potentiam Dei absolutam: ex eo tamen quia eis de novo advenire possunt, ac destrui illis permanentibus, arguitur quòd ipsa quoq; propriam habeant existentiam, licet diminutam & imperfectam secundùm quam possunt produci & destrui illo remanente, atq; ideò possunt dici res prout à realitate distinguuntur quæ nullam habet propriam existentiam, aut productionem Physicam. Tota hæc doctrina confirmatur ex Augustino supra cit: ubi sic dicit, *In uno quoq; corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura; Potest enim & diminuta magnitudine manere idem color & eadem figura, & mutato eodem colore manere eadem magnitudo & eadem figura.* Et lib. de fide & Symb. cap. 9. *Si duo sibi corpora copulentur ita ut juxta invicem collocentur, ipsa copulatio non est corpus, quandoquidem separatis illis corporibus quæ copulata dicebantur, nulla invenitur, nec tamen quasi discessisse & migrasse intelligitur.* Ex quibus omnibus facilè occurritur argumentis nonullorum Scotistarum, qui existimant quòd distinctio realis debeat versari inter extrema realia & positiva, quia non est hîc sermo de distinctione sub sua ratione formali scilicèt relationis, sed sub ratione fundamenti; Et etiam aliis quiècontra autumant quòd ad distinctionem realem necessaria non sint extrema realia, aut positiva, vel existentia, sed sufficere quascunq; negationes & privationes, & non entia, utpote cùm habeant inter se maximam oppositionem scilicet contradictoriam; quia hoc quidem verum est, si distinctio sumatur negativè, id est, pro simplici non identitate, non verò si sumatur positivè, pro diversitate, quæ est passio entis, hæc enim necessariò versari debet inter duo extrema positiva, quorum est ut habeant se taliter quatenùs unum entitativè sit extra aliud, neque

cum

cum illo communicare posit inesse, quod privationibus & negationibus convenire nequit, utpotè quæ incapaces sunt essentiæ & existentiæ realis.

V. *Sententiæ pro signo distinctionis realis.*

Quantum ad alteram quæstionis partem, multùm diversificant inter se Authores, nam aliqui nimis multa signa afferunt, aliqui verò nimis pauca, nam Baro unicum signum distinctionis realis adfert, separationem veluti sufficientem, cùm tamen clarum sit eam non sufficere: aut si defenderit veluti sufficientem multam eam debere sustinere torturam, imò expresse contra Doctorem loquitur, in 2. d. 2. q. 2. ubi ait: Ea realiter distinguuntur quorum unum est, vel esse post separatum ab altero, vel saltem talia sunt, quæ sic ad invicem se habent, sicut illa quæ sunt separata, vel separabilia, per quæ posteriora verba clarè innuit non solùm ex separatione colligi debere distinctionem realem, sed etiam ex aliis quæ se habent per modum separabilium. Pontius assignat 3. signa distinctionis realis, scilicet separationem, principium & principiatum, causam & causatum, & subjectionem in rebus diversis, quæ nonnulli alii etiam amplectuntur diversimodè: nam aliqui putant solam separationem ut Baro, alii mutuam separationem, ut Neoterici, alii solam oppositionem producentis & producti, pro signo adæquato distinctionis realis afferunt, ita Fonseca, alii alia sentiunt, attamen contra Eos

VI. *Non est separatio sola, nec relatio producentis & producti, nec subjectatio.*

Dico 2. *Nec sola separatio, nec sola oppositio producentis & producti, causantis & causati, nec sola subjectatio in rebus diversis signum adæquatum est distinctionis realis.* Videtur esse communis Scotistarum, & probatur quoad singulas partes, & inprimis quoad primam; Quia multa distinguuntur realiter, quæ tamen à se invicem separari nequeunt, ergò separatio se sola non est signum sufficiens adæquatum distinctionis realis, probatur ant. Quia relativa universaliter distinguuntur à se invicem realiter, & tamen unum non potest esse sinè alio, cùm sint simùl naturali existentia, Relatio prædicamentalis & quilibet modus extrinsecus distinguuntur à fundamento & re modificata, & tamen nec relatio sine fundamento, nec modus sine re modificata existere potest, item Relationes Divinæ suppositales, nec separari possunt quoad existentiam, nec quoad identificationem cum essentia: nam nec paternitas potest esse sine filiatione, nec realiter identificari essentiæ quin etiam filiatio identificetur eidem, & tamen certum est inter se realiter distingui. Deniq; secundùm ipsos Thomistas materia & forma realiter distinguuntur sicuti & subjectum & passio, & tamen secundùm ipsos, nec materia potest esse sine forma, nec passio sine subjecto, sicut & plura alia, ut actus vitalis sine potentia, unio sine partibus unitis subsistere nequeunt, quæ tamen realiter distinguuntur, ergò separatio actualis etiam, vel potentialis non est signum adæquatum distinctionis realis, Minùs itaq; verum erit quod debeat esse separatio ut volunt Recentiores, nam ad distinctionem realem cum omni proprietate sufficit, quòd alterum extremorum existere possit sine altero. Probatur secunda pars Conclusionis contra Fonsecam, Quia homo & equus realiter distinguuntur absq; tali oppositione relativa causæ & effectus, seu producentis & producti, item albedo & dulcedo in lacte realiter distinguuntur & tamen inter illas non intercedit oppositio producentis & producti & multa similia alia, ergò oppositio producentis & producti non est signum adæquatũ distinctionis realis. Tertia pars videtur quidem quasi evidentissimum & adæquatum esset signum, utpotè cùm nihil à seipso dividi possit & separari, si ergò aliqua reperiuntur in pluribus rebus realiter distinctis, signum evidens est illa realiter distingui: quare probatur Conclusio etiam quoad hanc partem, Quia anima rationalis subjectatur in diversis corporis partibus, angelus in diversis partibus loci sui adæquati, & Deus est in omnibus mundi rebus quantumcunq; dissitis per illapsum generalem, non minùs quàm anima in diversis corporis partibus, & tamen nec anima, angelus, aut Deus distinguuntur realiter, ergò hoc signum non est adæquatum. Item Essentia Divina est in Patre, Filio & Spiritu Sancto realiter distinctis, & tamen non distinguitur, ergò. Deniq; licet explicetur prout faciam in sequenti conclusione, videtur tamen superfluum, quia coincidit cum separatione actuali secundùm unionem, ergò.

VII. *Prædicta sunt signa distinctionis realis de facto, non de casu per impossibile.*

Dico 3. *Licet omnia prælegata simùl sumpta sint adæquatissimum signum distinctionis realis, non sunt tamen signum adæquatum distinctionis realis de casu per impossibile.* Hæc est nova quam apud Authores sic propositam non reperi. Prima pars deducitur tamen ex D. Augustino 1. Trint. 1. ubi dicit, nihil seipsum gignere posse, & 6. Trint. 6. ubi ex separabilitate colligit distinctionem realem vide eum citatum supra concl. 1. Probatur 1. p. Quia cùm omnia singulatim non sint adæquatum signum distinctionis realis, ergò erunt simùl sumpta, tum quia omnia quæ distinguuntur realiter, aut ideò fit, quia sunt separabilia, aut quia inter ea intercedit oppositio producentis & producti, aut quia subjectantur in rebus diversis, ergò omnium distinctionum de facto realium sunt adæquatissimum signum, ant. patet ex dictis, consequentia est legitima, Quare solùm sciendum quomodo intelligi debeat subjectatio in rebus diversis, videlicet quòd debeat esse naturalis subjectatio in diversis plurium rerum, non ejusdem, quia si Deus albedinem poneret in duobus parietibus, illa albedo non distingueretur realiter à seipsa. Pontius addit quòd illa diversa non debeant facere unum per se Physicum, vel integrale sic contingit in anima rationali, quæ licet informet caput, manus, pedes, tanquam diversa subjecta, verùmtamen caput, manus, pedes sunt tales partes, ut ex illis resultet totum integrale, corpus scilicet humanum. Quod tamen Mastrio non placet, sed dicit hanc regulam sic debere intelligi, quòd illa dicantur realiter distincta, quæ sunt in pluribus rebus realiter distinctis totaliter & adæquatè, qualiter non est anima: mihi tamen videtur in idem coincidere. Prob. 2. p. Quia schola Scoti si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc realiter distingueretur ab eo, sed in tali casu nullum

nullum interveniret signum ex allatis, ergò: probatur mi. quia non esset ab eo separatus in essentia, neq; separabilis, neq; esset unius ejusdem subjectatio in diversis, neq, oppositio producentis & producti, ut est ipsum suppositum quæstionis, ergò nullum intercederet ex allatis signum, consequentèr non sunt adæquatum signum distinctionis realis in casu etiam de impossibili. Quare

VIII. Dico 4. *Signum adæquatum distinctionis est separatio actualis, vel potentialis, aut proportionalis simùl sumpta.* Ita Doctor supra, Mastrius, &c. Probatur Conclusio, Quia omnia quæ distinguuntur realitèr, aut actu sunt separata in esse, aut separari possunt per Dei potentiam, aut saltem correspondent his proportione (saltem se habent proportionalitèr) quæ separari possunt in esse, ergò: probatur ant. Quia ideò dicimus substantiam & quantitatem realitèr distingui, quia actu separantur, & ideò distinctam esse formam à materia, quia separari possunt, Et ideò dicimus Divina supposita realitèr distincta etiam in casu prioris conclusionis, quia correspondent his quæ separari possunt, item relationes alias oppositas & disparatas (qualem dicit Doctor fore in casu quo Spiritus Sanctus non procederet à Filio) compositum à materia & forma distinctum, quia se nimirùm habent ut producens & productum, & unum essentialitèr ab alio dependet, de quibus talia contradictoria prædicari possunt, qualia verificari nata sunt de ipsis rebus, quæ separatæ sunt, vel separabiles.

IX. Distinctio multiplex divisio. Distinctio Realis jam explicata subdividi solet, in positivam & negativam, positiva in essentialem & accidentalem. Distinctio negativa est quæ versatur inter ens & non ens, ut inter materiam & privationem, inter duo non entia, ut inter duas privationes, unde quia propriè non est inter rem & rem, dicitur realis negativè, & imperfecta: Positiva est quæ versatur inter duo extrema positiva quorum unum entitativè non est aliud: Realis essentialis est, quæ oritur inter duo ex principiis eorum essentialibus, & ita distinguantur res quæ extant sub diversis generibus, vel speciebus, quia hæc habent essentias & naturas alterius rationis. Distinctio realis accidentalis est, quæ à principiis accidentalibus causatur, & talitèr distinguitur homo albus à nigro, & ad hanc reduci potest distinctio numerica individuorum, quatenùs principium individuationis, unde oritur, etsi pertineat ad substantiam individui, est tamen extra essentiam ejus.

QUÆSTIO IV.

An detur Distinctio Formalis, & quid sit?

I. Ingressus ad quæstionem. Quanquam Naturæ conformissimum sit prius quæstionem instituere de re an sit, quàm quærere quid sit, ut ipse quæstionis titulus præ se fert, nihilominùs hîc ordo iste invertendus erit, & antecedentèr examinandum quid distinctionis formalis Scotisticæ nomine intelligatur, utpotè cum diversas diversi ad-

hibeant explicationes, imò & acceptiones plures sint, & postea decidendum an detur, Nam inprimis distinctio accipi potest pro distinctione diversarum formarum accidentalium, sic paries albus & niger dicuntur distingui formalitèr; Secundò pro distinctione diversarum formarum substantialium, sic Petrus & Paulus non dicuntur distingui formalitèr, quia habent eandem specie essentiam, sed benè Petrus & Buccephalus, quia habent essentias diversas: & de duabus istis acceptionibus non est nobis controversia, quia certum est, quòd illa distinguantur realitèr; Tertiò deniq; modò accipitur distinctio formalis pro distinctione aliqua quæ est à parte rei actualitèr ante omnem operationem intellectus, quæ tamen non est distinctio realis propria, nec paritèr est rationis, seu per fictionem intellectûs. Pro clariori dicendorum ex superiori quæstione intelligentia, Nota Entia positiva esse in triplici differentia, quædam enim sunt, quæ per se sine aliis rebus quas includunt existere possunt, quædam verò quæ quidem sine aliis existere nequeunt, possunt tamen de novo advenire alicui rei quæ per se existere possunt, & ut dicebam suprà, sunt omnes relationes & modi extrinseci, quæ simplicitèr res appellantur, licet in hoc differant, quòd primæ per se existere possint non tamen secundæ; Tertium genus rerum positivarum est, quæ neque per se existere possunt, neque de novo adveniunt alicui, quia sunt talis naturæ, ut nec illa res in qua semel existunt unquam esse possit sine illis, & è contra nec illæ sine rebus ipsis in quibus sunt. & tales sunt omnes gradus Metaphysici, quæ quidem res vocantur positivæ in quantùm omne illud quod est quid positivum dicitur res, quod non est ens rationis, ut tamen à prioribus duobus generibus distinguantur, vocantur formalitates: quia quemadmodum forma denominat suum subjectum formalitèr, verbi gratiâ albedo parietem, ita etiam formalitates denominant formalitèr rem in qua sunt, non vocantur tamen formæ, ut distinguantur ab ipsis formis realibus. His præmissis ad secundam partem quæstionis.

Entia sunt in triplici differentia.

II. *describitur distinctio formalis.* Dico 1. *Benè describitur distinctio formalis, Quòd sit diversitas quæ intercedit inter hujusmodi formalitates tàm a rebus quam inter se, quibus correspondet ante omnem operationem intellectûs actu alius & alius conceptus objectivus, ut adæquate unus non sit alius.* Hæc quamvis non sic proponatur in terminis ab omnibus, in re videtur esse communis. Et explicatur per singulas partes. Dicitur diversitas quod habet rationem generis, quia per hoc convenit cum aliis distinctionibus reali nimirùm & rationis, quæ æq; explicantur per diversitates; dicitur quæ intercedit inter formalitates tàm à rebus quàm inter se; per quod distinguitur à distinctione reali, quæ non intercedit inter formalitates hujusmodi, sed inter res & res quæ per veram Physicam causalitatem esse accipiunt, seu postea per se existere possint, sive non, hujusmodi autem formalitates non accipiunt esse per veram Physicam causalitatem, sed solùm per Metaphysicam

emanationem ut proinde rebus ita identificentur, ut nec res sine ipsis, nec ipsæ sine rebus esse possint. Additur quibus ante operationem intellectûs, &c. per quod distinguitur à distinctione rationis, & virtuali, quæ non habet ut versetur inter conceptus actu diversos objectivè, sed virtute tantùm: quatenùs scilicet eadem simplicitèr res ob eminentiam æquivalet pluribus realitatibus, unde intellectui occasionē præbet concipiendi rem per modum plurium formalitatum conceptibus inadæquatis. Additur deniq; ut adæquatè unus non sit alius, tùm propter dicta modò, tùm quia formalitas est ratio objectiva conceptibilis in re aliqua conceptu perfecto & adæquato, distincto à conceptu quo concipitur alia formalitas ejusdem rei, vel ipsa res, per quod denotatur etiam illos conceptus debere esse inter rem & formalitatem, vel inter formalitates inter se: adeoque rei immersæ per veram identificationem. Pontius addit per particulam quibus ante omnem operationem intellectûs competunt prædicata contradictoria, verùm non videtur esse necessaria: eo ipso enim dum dicitur quòd unus actu alius non sit, insinuatur ipsis competere posse prædicata contradictoria.

III. *Datur distinctio formalis Scoti.*

Dico 2. *Datur hujusmodi distinctio formalis media inter realem strictè dictam & rationis.* Hæc Conclusio est una ex celebrioribus totius Philosophiæ & Theologiæ, Auctores pro ea citare qui vel sequuntur, vel contra quos est superfluum est, cùm eam quasi omnes extra scholam Scoti, aversentur & impugnent, gratis tamen & insufficientèr, ut ex ipsis inimicis & adversariis nonnullus inter cæteros modestior scriptor Neotericus Franciscus Oviedo testimonium perhibet Controv. 4. Met. p. 2. dicens, *Totus multorum est labor, qui de hac re scripserunt in impugnanda hac distinctione, quam non explicant, neq; ad mentem Scotistarum referunt, & facile in illam multa congerunt argumenta, à quibus omnibus se abstinerent, Scotistarum mentem sollicitè si indagassent, & prius ad hanc distinctionem explicandam, quàm impugnandam suam navassent operam.* Quod quidem verissimum est, nam multi, ut dicit Mastrius impugnant quod non intelligunt, nec unquam somniavit Scotus. Sed ad rem ipsam progrediendo, Probatur Conclusio 1. Authoritate Doctoris, ubi multis in locis clarè distinctionem asserit, sunt etenim quoque nonnulli qui planè hanc distinctionem afferunt dicentes, quòd fortasse verbo eidem faverit sententia nequaquam, ut citat plures Baro. Apol. 6. Met. act. 7. sed frustra nam in 1. d. 2. q. 7. n. 41. clarissimè distinctionem formalem asserit, dum concludit dicens, Dico quòd ratio quâ formaliter *suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ ut essentia habentem aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectûs, sive creati, sive increati*; Ex quibus ego sic subsumo, sed illa distinctio non est realis, ut est de fide, nec rationis, quia dicit præcedere omnem intellectûs actum, sive creati, sive increati, ergò est formalis media. Et ibidem d. 13. q. un. n. 26. *Ad tertium principale dico, quòd antecedens de distinctione principiorum sola ratione, falsum est.* Et in 2. d. 16. q. 1. inquit, *Alia sunt contenta in aliquo unitivè, quasi posteriora, quia quasi passiones continentes, nec sunt aliæ res ab ipso continente, isto modo ens continet multas passiones quæ non sunt res aliæ ab ente, ut probat Aristoteles in principio 4. Metaph. distinguuntur tamen formaliter ab invicem, & quidditative & etiam ab ente.* Et dist. 3. q. 6. n. 12. *Comparando autem ad illud quod est supra se, dico quòd illa realitas à qua sumitur differentia specifica, est actualis respectu illius realitatis à qua sumitur genus, vel ratio generis, ita quòd hæc realitas non est formaliter illa.* Et his similia plura habet aliis in locis, sufficiunt ista ad demonstrandum Scotum eam distinctionem tenuisse, & incepisse: utpotè cùm ante illum nulla illius fuerit mentio.

Probatur Conclusio 2 Authoritate Sanctorum Patrum, & in primis D. Augustini serm. 3. de tempore, ubi ait, *Aliud est anima, aliud ratio, & tamen in anima est ratio, & una est anima.* Et epist. 102. expresè dicit: *Memoria, intelligentia, voluntas, non sunt idem*, Et lib. 15. de Trin. 7. docet, *Mentem non esse animam, sed partem ejus excellentem in ea*, intellige per partem idem quod potentiam, & sermone 63. de verbis Domini, *Tria hæc sunt in se* (scilicet quod dixerat supra memoria, intelligentia, voluntas) *quæ potes numerare non separare*, & similia plura alibi habet; Ex quibus clarè liquet idem sensisse D. Augustinum quod docent Scotistæ, videlicet animam non esse omninò simplicem, sed compositam Meaphysicè, scilicet inter quæ intercedere distinctionem necesse est, cùm expresè dicat esse aliud, ubi autem magis intercedit distinctio quàm inter talia, sed non realis ut ipse quoq; fatetur, ergò alia, ista autem non est rationis, ergò formalis. Deinde D. Bernardi qui sermone undecimo in Cantica inquit: *Inanima tria intueor, rationem, memoriam, voluntatem, & hæc tria eandem esse animam*, ubi quodammodo in terminis cum D. Augustino coincidit, sed ut clariùs cognoscas eundem mellifluum Doctorem nostram doctrinam tenuisse, sequentem accipe textum sermone 80. in Cantica Cant. *Nulla forma est id cujus est forma est autem magnitudo* (id est intellectus, quia supra dixerat animæ magnitudinem comprobari ex captu æternitatis, quod utiq; fit per intellectum & voluntatem) *formæ animæ, nec enim ideò non forma, quia inseparabilis est illi, hoc siquidem sunt substantiales differentiæ omnes, hoc non modò propriè propria, sed & propria quædam, hoc etiam aliæ innumerabiles formæ*, & infrà inter alia exempla affert *risibilitatem & rationalitatem*, quod ipsæ homo non sint, cùm tamen nullus homo inveniatur sine risibilitate & rationalitate. Vides an Scotista meliùs posset argumentari, an meliùs rem declarare? dum non modò dicit de intellectu & anima non esse idem, verùm etiam similiter omnes substantiales differentias eadem non esse, & insuper proprietates rerum: ubi autem magis intercedit distinctio quam inter illa, quæ idem non sunt, cumque ex mente ipsius mellifluí Doctoris realis non intercedat, nec rationis, ergò formalis. Baro citat pro Conclusione alios multos Sanctos Patres, inter quos est Anselmus, Boethius, Damascenus, Cyrillus, Hilarius, & ex Scoto Augustinum asserens

asserens se in ipso opere sententiam sancti Augustini non invenisse, quod mihi non nihilum ridiculum est, quòd Vir alioquin in scribendo indefessus & impiger in præallegata loca tum ex S. Augustino tum ex S. Bernardo, tam obvia & magis clarè rem nostram deducentia non inciderit, aut viderit, aut quæsierit, cùm ex professo in actione 8. Apolog. 6. Met. sententiam Scoticam intendat ex Patribus defensare. Sed ne Conclusio videatur esse minùs peripatetica & Aristotelica, quamvis ex eo quòd eam non proposuerit Aristoteles, aut ignoraverit, non sit sequela & consequentia probans talem non dari, ideò

IV. Probatur Conclusio 3. Ex authoritate Aristotelis, qui licet, ut notat Baro in terminis sic distinctionem & doctrinam nostram asserat, rem tamen tenet, nam in primis 4. Metaph. t. 3. ait, *quòd ens & unum sint una natura*, & hoc idem dicit 4. Top. cap. 1. *distincta verò ratione quidditativâ*, & per consequens sunt eadem realitèr non formalitèr, sed formalitèr distincta 3. Met. t. 10. ait, *Genus esse extra rationem differentiarum, ita ut formaliter se invicem excludant secundùm proprias rationes formales*, ex quo sequitur genus & differentiam hac distinctione media discerni, si enim *essent prorsus idem*, planè differentiæ participarent genus: & 5. Ethicorum inquit *virtutem & justitiam esse eandem rem, esse tamen distincta secundùm rationem quidditatem*, quod est idem dicere, quasi essent distincta formalitèr, qui plures videre voluerit Aristotelis authoritates consulat Mastrium & Baronem.

V. Probatur Conclusio 4. Ratione 1. Quia in homine verbi gratiâ ultra res Physicas, quæ sunt ejus partes Physicæ, nempè corpus, & anima, reperiuntur etiam realitates Metaphysicæ, quæ sunt varii gradus essentiæ ejus, verbi gratiâ realitas, animalis, rationalis, risibilis, &c, quæ partes non pluralificantur, nec per præcisiones formales, nec per præcisiones objectivas, id est, per conceptus objectivos inadæquatos, sed per adæquatos in ordine suo, ergò etiam in ordine suo distinguuntur quia ubicunq; plura sunt, distinctio ut intercedat necesse est, sed non realitèr, quia in ordine ad totum quod integrant sunt inadæquati, ergò formalitèr: ma. est certa prob. mi. quoad 1. p. Quia intellectus per actionem suam non producit in homine has rationes, sed illas jam formatas & plurificatas reperit, alioquin homo non esset animal rationale & risibile à parte rei, sed tantùm per intellectum, prob. mi. quoad alteram partem, Quia nec homo, nec angelus, nec alia quælibet creatura est simplex aliqua entitas in parte rei, non modo physicè, sed etiam metaphysicè ex variis gradibus, ergò quantumcunq; concipiatur adæquatè concipi nequit, nisi sub variis & distinctis rationibus, quæ licet sint adæquatæ in ordine suo, sunt tamen inadequatæ in ordine ad totum quod integrant. Probatur Conclusio ratione 2. Quia multa realitèr identificata variis explicantur distinctis & adæquatis definitionibus, sed definitio, explicat essentiam & quidditatem cujus est definitio, quam habet ante omnem operationem intellectûs, ergò si in aliquibus identificatis dantur plures definitiones adæquatæ, plures etiam dabuntur realitates, etiam inter illa concedenda est aliqua distinctio, non realis, quia illæ realitates de quibus sunt definitiones, sunt rebus identificatæ, nec etiam rationis, cum illæ res sint ante omnem intellectûs operationem

Opponitur contra Conclusionem Authoritas Scoti nam in 1. d. 2. q. 5. postquam argumenta attulisset plura ad probandam Conclusionem nostram, nihilominùs tamen subdit: *Nunquid igitur debet concedi aliqua distinctio? Respondeo, melius est uti ista negativa, hoc non est formalitèr idem, quàm hoc est sic & sic distinctum, sed --- nonne sequitur A & B non sunt idem formalitèr, ergò sunt formalitèr distincta? Respondeo quod non oportet sequi.* Et alibi vocat distinctionem istam formalem *virtualem*. item *Rationis*, ergò non est de mente ejus distinctio aliqua media inter realem & rationis, quæ esset ex natura rei. R. tamen ad primum cum Barone ex Wadingo negando consequentiam, Ad Doctoris ergò authoritatem dico, quòd benè dixerit non sequi à non idem ad distinctum, seu diversum, illationem, rationem reddit ipse D. 1. d. 8. q. 2. Quia non identitas magis latè patet quàm distinctio, nam aliqua non sunt idem formalitèr, nec tamen distinguuntur formalitèr: quia secundùm probabilem sententiam modus intrinsecus non est idem formalitèr cum eo cujus est modus, non tamen sequitur, ergò distinguitur formalitèr ab eo: quia non dicit per se formalitatem; Ad secundum locum ubi Scotus appellat distinctionem formalem, virtualem, respondeo, quòd non volit eam esse virtualem tantùm præscindendo, nam postea ait 1. d. 2. q. 7. Brevitèr igitur dico omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, quòd in Essentia Divina ante actum intellectûs est entitas A & est entitas B & hæc non est formalitèr illa, ergò quandoque fit ante actum intellectûs, non potest esse tantùm virtualis, seu rationis ratiocinatæ, Quod autem distinctionem formalem potiùs explicari voluit tunc per non identitatem, fecit ideò ut se accommodaret communi loquendi modo, qui tunc in usu erat, Tartaretus & Vigerius addunt Scotum ideò non identitatem vocasse nostram distinctionem formalem, eò quòd non importet veram relationem, Quando verò eam appellat rationis, non vult quòd per rationem & actum intellectûs fabricetur, sed vel ideò, quia ratio considerat aliqua verè esse distinctas formalitates, quarum una non est altera, vel sumit rationem pro eo quòd importat quidditatem rei, ut benè notat Baro, quo sensu dici solet hæc est ratio formalis rei, leo & equus sunt diversæ rationis, dum itaque dicit esse rationis, vult dicere esse inter diversas formalitates.

VI. *Solvitur Aristoteles.*

VII. *Distinctio formalis coincidit cum reali ut opponitur rationis distinctioni.*

Arguitur 2. Ratione cum Oviedo, Distinctio formalis coincidit cũ distinctione reali, ergò non est media inter realẽ & rationis, prob. ant. Ideò aliqua realitèr distinguuntur, quia unum ex natura rei non est aliud, verbi gratiâ, ideò materia & forma distinguuntur realitèr quia ante omne opus intellectûs materia non est forma, & forma non est materia, sed etiam ante opus intellectûs una formalitas non est alia, & ista alia non est illa, ergò coincidit cum distinctione reali, consequentèr nulla dabitur media. R. negando ant. cujus probat: majorem dist. ideò quia unum non est aliud realitèr, concedo ma. quia unum non est aliud formalitèr, nego ma. & dist. similitèr minori nego consequentiam. Itaq; distingui realitèr dicit non esse idem realitèr, quod non habent formalitates, quæ tantùm non sunt idem formaliter, & sunt idem realitèr, sed

Instatur Non esse idem realitèr non est aliud quàm non esse idem ante omnem operationem intellectûs, sed formalitèr illæ ante omnem actum intellectûs non sunt idem, ergò non solùm carent identitate formali, sed etiam reali. R. negando majorem, Quia non esse idem realitèr non dicit quomodocunq; non esse idem ante operationem intellectûs, sed ita non esse idem, ut sint vel actu separata, vel separabilia, vel proportione correspondent his quæ sunt sic separabilia, quando verò aliqua non sunt idem ante actum quemcunq; intellectûs, & illa non identitas non deducitur ex actuali, vel potentiali, aut proportionali separatione, sed ex sola separabilitate secundùm conceptibilitatem ex natura rei exigitam, apud intellectum perfectè & adæquatè concipientem, hæc non identitas non est realis, sed formalis.

Urgetur separatio, vel separabilitas non est sufficientissimum signum quòd aliqua distinguantur realitèr, & alia formalitèr, seu distinctionis formalis & realis, ergò nulla solutio: prob. ant. separatio unius ab alio formalitèr non constituit distinctionem, sed præsupponit illam, & ideò hæc entitas ab alia potest separari, quia ab alia distinguitur, ergò separatio, vel separabilitas non est sufficiens signum distinctionis realis, & formalis, probatur consequentia, Quia hæc consequentia nulla est, non distinguitur realitèr quia non potest separari realitèr, neq; ista realitèr distinguitur, ergò potest separari, sed potiùs inferendum distinguitur realitèr, ergò potest separari, non distinguitur, ergò non potest separari, ergò separatio, vel separabilitas non est sufficiens signum distinctionis realis & formalis, ergò nullum est caput, vel signum ex quo secernatur distinctio ex natura rei realis à formali. R. negando ant. cujus probationis ante concessõ dist. consequens, ergò non erit sufficiens signum distinctionis realis & formalis à priori, transeat à posteriori, nego consequentiam, & eadem distinctio currit in aliis assumptionibus usq; ad ultimam consequentiam, Quia ex separatione in esse jam explicata distinctio realis sufficientèr secernitur à formali tanquam per signum à posteriori, & per diversitatem existentiarum tanquam per rationem à priori, quia diversitas existentiarum est veluti reale constitutivum distinctionis, qualis autem sit diversitas existentiarum inter illa quæ distinguuntur realitèr, & inter ea quæ distinguuntur formalitèr, facilè aliquis colliget ex iis, quæ dixi de diversitate rei & realitatis, nempè quòd res propriè dicta suum esse accipiat per veram causalitatem Physicam, seu postea se sola existere possit, seu non realitas verò non nisi per emanationem Metaphysicam cujus est realitas, seu formalitas, per quæ puto satis esse factum argumentis Oviedo. Attamen.

Arguitur 3. Omnis distinctio præter realem & modalem est per intellectum, ergò non datur distinctio formalis ex natura rei distincta ab illis, probatur ant. quia extrema sunt in re separabilia mutuò, vel non mutuò, estq; distinctio realis, vel modalis, vel non sunt separabilia & tunc non sunt ex natura rei distincta, quia nullum signum talis distinctionis appareret, ita arguit Suarez disp. 5. Met. sect. 2. n. 11, & sect. 1. n. 20. Attamen R. negando ant. cum ejus probatione, quia non sola separabilitas secundùm existentiam est signum distinctionis ex natura rei, sed etiam diversitas definitionum per conceptus adæquatos, item contradictio reperta in eadem re inter diversas realitates, per quod patet falsum assumi à Suarez separabilitatem pro signo adæquato distinctionis realis, quia multa distinguuntur realitèr, quæ tamen separari non possunt ut constat de toto & partibus in schola scotistica, de subjecto & passione, materia & forma in schola Thomistarum. Sed VIII.

Instatur, Distinctio illa formalis media apud nos non tollit identitatem in ipsa entitate rei, sic enim esset realis, sed solam identitatem conceptûs, sed ad tollendam hanc identitatem sufficit distinctio rationis, ergò illa media erit adhuc distinctio rationis. R. concessâ ma. dist. mi. sed ad tollendam identitatem conceptûs sufficit distinctio rationis, quando inadæquato conceptu definitio explicat formalitatem, transeat mi. quando definitio conceptu adæquato secundùm adæquatam conceptibilitatem explicat formalitatem nego mi, Itaq; quando aliqua dicuntur distingui formalitèr, non sufficit quòd aliquid quomodocunq; concipiatur, sed requiritur quòd illæ formalitates actu concipiantur, quarum una non est altera ut suprà dictum est. *Distinctio formalis non tollit identitatem.*

Urgetur. Definitio quæ conceptu adæquato explicat aliquid, explicat essentiam rei, ergò si illa censentur formalitèr distincta quæ habent diversas definitiones secundùm conceptum adæquatum, habebunt etiam essentias diversas ac etiam consequentèr existentias, quia quamlibet essentiam sequitur propria existentia, ergò vel distinctio media erit realis, vel si ex diversitate definitionum non colligitur distinctio realis, erit rationis: consequentèr stat argumentum, aut futuram realem, aut rationis, quia sine necessitate fieret talis multiplicatio. R. dist. ant. Definitio explicat essentiam rei, si definitio sumatur in rigore, quæ propriè constat genere & differentia, concedo ant.

ant. unde in tali casu verum est quòd definitio arguat distinctionem realem, quia ista non convenit nisi rebus propriam essentiam & existentiam habentibus: Definitio explicat essentiam rei si in largiori sumatur acceptione prout est aliquid explicans conceptum quidditativum alicujus rei secundùm propriam conceptibilitatem qualiscunq; sit, nego ant. Quæ itaq; definiuntur per posterius definitionis genus non arguunt distinctionem realem, sed tantùm formalem, adeoq; quia formalitates per hoc genus explicantur non distinguentur realiter, nec tamen inde sequitur quòd distinguantur ratione, seu per intellectum tantùm: quia inter essentias quas existentiæ consequuntur in rebus adhuc dantur realitates, quæ quidem per veram Physicam actionem non producuntur, sequuntur tamen veluti propriæ passiones per emanationem Metaphysicam, Quod benè notandum est, quia omnes quasi objectiones contra distinctionem formalem dabiles oriuntur ex æquivocatione ly reale, quod sumi potest prout derivatur à re propriè dicta, quatenùs res opponitur realitati, vel formalitati, vel sumi potest pro omni illo quòd opponitur enti rationis, unde distinctio ita realis erit prout principia realia fuerint, si enim principia realia fuerint primo modo distinctio erit realis propriè, si verò posteriori modo realia fuerint, distinctio non erit realis propriè dicta & simpliciter, sed secundùm quid, seu ex natura rei formalis, hinc inquit D. 4. d. 46. q. 3. ad 1. quòd pluralitas & numerus eorum quæ ex natura rei tantùm distinguuntur non est numerus & pluralitas simpliciter, sed tantùm secundùm quid, & quia talis est distinctio qualis est multitudo super quam fundatur ex 5. Met. 18. ideò cum multitudo realitatum & formalitatum sit tantùm multitudo & pluralitas secundum quid, talis erit quoq; distinctio super ipsam fundata.

IX. Dico 3. *Datur distinctio formalis prædicta inter gradus Metaphysicos, genus scilicet & differentiam, inter naturam specificam & hæcceitatem, item inter subjectum & passiones, ac etiam inter ipsasmet passiones & proprietates.* Hæc est Scotistarum post Scotum Magistrum, & probatur Conclusio 1. universaliter tùm ex probationibus conclusionis prioris, tum quia inter ista omnia intercedunt diversi conceptus adæquatè conceptibiles, inter quos cùm non versetur distinctio realis ac entitativa, necesse est ut intercedat aliqua alia, sed nullo alio potius quàm formali, ergò, quòd autem non intercedat inter prædicta distinctio realis, inde patet: quia nec separari possunt, nec se habent ut producens & productum, causa & causatum, physicè loquendo. Probatur Conclusio specialiter, quoad singula membra & primo quòd inter gradus Metaphysicos sic. Si non daretur distinctio formalis & ex natura rei inter hos gradus, sequeretur unum non esse magis communem quàm alterum, sed hoc est inconvenientissimum, & contra omnes qui tales terminos magis & minùs communes admittunt, ergò. Prob. sequela, Quia si animalitas & rationalitas verbi gratiâ est eadem indivisibilis entitas nullo modo ex natura distincta, non esset signum alicujus termini magis, vel minùs latè patentis, nam rationalitas æq; latè pateret ac animalitas; minor etiam probatur, Quia tunc non daretur ulla compositio Metaphysica, quia hæc semper fit ex ratione communiori contrahibili, & alia contrahente, ergò. Prob. 2. eadem pars, prædicata contradictoria non possunt competere, uni eidemq; rei nullam in se habenti distinctionem ante opus mentis, sed animalitati & rationalitati, sicut & aliis gradibus Metaphysicis competunt ante omnem intellectûs operationem prædicata contradictoria, ergò, prob. mi. Animalitas est principium conveniendi cum bruto, & principium sentiendi; rationalitas verò non est tale principium, sed esse principium conveniendi & non esse principium conveniendi sunt contradictoria, ergò animalitati & rationalitati conveniunt prædicata contradictoria.

Dices illa contradictoria quidem non verificari sine omni distinctione, sed sufficere distinctionẽ rationis ratiocinatæ per præcisiones objectivas. Sed contra 1. Quia videtur impossibile quodammodo dari præcisiones objectivas secundùm conceptus adæquatos sine distinctione formali. Contra 2. Ergò per solam distinctionem rationis ratiocinatæ verificari de eodem potest quòd existat & non existat, quod si sequelam non admittunt sicut non possunt, manent adhuc obligati ad dandam disparitatem. Occhamus respondet ad argumentum principale distinguendo illud universale Scoti principium, Non possunt verificari contradictoria de eodem sine ulla distinctione intrinseca negat, sine extrinseca concedit, quæstionem dicit fieri per præcisiones formales in ordine ad diversa connotata & effectus quos res respicit. Sed contra hoc argumentum facit, Quòd conveniant aliqua contradictoria rebus quæ non conveniunt formalitati esse rei per ordinem ad diversos effectus, ergò solutio nulla, prob. ant. Animalitati convenit intrinsecè reperiri ubi non convenit reperiri rationalitati, & è contra, sed hæc contradictoria non conveniunt ipsis per ordinem ad ullos effectus, quia etiamsi nullus haberetur conceptus ad effectus quos possunt causare, adhuc homo haberet conceptus hujus contradictionis. X.

Dices; Animalitas hominis non reperitur in bruto. Contra saltem similis reperitur in bruto, sed nihil simile rationalitati reperitur in bruto, ergò animalitati, secundùm se & ab intrinseco convenit esse simile, cui non convenit esse simile rationalitas. XI.

Dices secundò; principaliter contra probatam conclusionis partem, si animalitas distingueretur à rationalitate, esset indifferens ex se ut esset in homine, vel in bruto, sed hoc est absurdum, prob. mi. si animal esset indifferens ad hominem & ad brutum similiter ratio entis & substantiæ quæ reperitur in Deo, angelis, & anima rationali erit indifferens ex se ut sit in lapide & ligno, &c. & sic nec Deus, nec angeli essent entia spiritualia, quandoquidem includerent conceptum objectivum qui potest esse in lapide: prob. sequela, Nil potens esse in lapide est spirituale, ergò si conceptus XII.

objectivus entis, vel substantiæ, quæ est communis univocè Deo, angelis &c. potest esse in lapide, nec Deus nec angeli erunt entia spiritualia, & cõsequenter gradus ille entis vel substantiæ repertus in Deo communis univocè ipsi & lapidi nec erit creatus nec increatus, nec spiritualis nec materialis. R. negando mi. cujus probationis concedo ant. & nego hinc sequi nec Deum nec angelũ fore entia spiritualia, ad Probationem R. dist. ant. Nil potẽs esse in lapide est spirituale realitèr concedo ant. de se formalitèr consideratum nego ant. & consequentiam. Itaq; dico quòd sicut conceptus objectivus animalis de se formalitèr consideratus nec est rationalis nec irrationalis, sed in differens ad utrumque; ita conceptus entis communis Deo & creaturæ ex se formalitèr consideratus nec est spiritualis, nec materialis, nec creatus, nec increatus, sed indifferens ad utrumque; & quemadmodum animal contractum ad rationalitatem est realitèr rationale, ita gradus entis contractus ad Deum & angelum est realitèr spiritualis, & contractus ad lapidem est realitèr materialis.

XIII. **Probatur 2. p. Concluſ.** Natura humana verbi gratiâ in Socrate est singularis in ipso, sed illa natura non est singularis se ipsâ, ergò per aliquod aliud præter ipsam, sed illud quidquid est: (est autem hæcceitas) est ipsi realitèr identificatum, & tamen tunc in natura reperitur aliud & aliud, inter quæ distingui necesse, sed non realitèr, quia nulla natura humana est sinè singulari, nec per rationem, ergò per distinctionem mediam formalem: probatur mi. principalis, Quia si de se natura illa esset singularis, non posset habere plura individua quod est absurdum, probatur sequela, Quia quod est de se hoc est immultiplicabile, quia individuum est quod de uno solo prædicari potest, ergò tunc non posset nisi de uno solo prædicari. Confirmatur Quia natura divina ideò de se est immultiplicabilis, quia est de se hæc, ergò si natura humana etiàm esset de se hæc, esset quoq; immultiplicabilis.

XIV. **Probatur 3. p.** Scilicet quòd passiones distinguantur à subjectis verbi gratiâ ab anima distinguitur formalitèr intellectus & voluntas, Intellectus & voluntas possunt demonstrari de angelo & anima rationali, sed nihil idem demonstrari potest de se ipso, ergò demonstrantur de anima veluti de alio, sed non demonstrantur veluti de realitèr distinctis, ergò veluti formalitates ab ipsa anima & angelo formalitèr distinctis. Confirmatur Quia passiones in secundo modo dicendi prædicantur, & insunt subjectis, essentiæ autem in primo modo, sed nil in est alteri primo modo & secundo simul, quia nihil potest sibi ipsi & ad se ipsum esse prius & posterius, ergò distinguuntur, redit consequentia prior

XV. **Probatur ultima pars.** Ratio potentiæ seu principii activi contrahitur per differentias summè oppositas, ergò ipsæ potentiæ debent esse inter se oppositæ, probatur ant. quia contrahitur per liberum necessarium, hæc autem summè diversa sunt, ergò etiam intellectus & voluntas inter se erunt diversæ, probatur consequentia, quia intellectus est potentia necessariò agens, voluntas verò libera positis omnibus requisitis ad agendum potens agere vel non agere, Qui super hæc plures probationes cupit, videat Authores passim, imò supra posita argumenta cuilibet parti applicare poterit, maximè tamen illud quod desumitur ex via per contradictionem. Nam de qualibet parte poterit dicere, implicare ut de una eadem re verificentur & prædicentur duo contradictoria, sed de his satis; restat adhuc resolvenda alia difficultas, nimirum utrùm hæc eadem distinctio detur in divinis? Scotistæ quidem omnes universaliter affirmant, negant Neoterici, vel diversimodè explicant & retorquent argumenta ne nobiscum in terminis consentire cogantur, qui frequenter in re non discrepant, sed sit Conclusio ultima quâ

XVI. *Distinctio formalis reperitur etiam in Deo.*

Dico 4. *Eadem distinctio formalis Scotistica reperitur inter essentiam divinam & attributa, & inter attributa inter se.* Hæc est etiam Scholæ Scoticæ, & Probatur Conclusio 1. Authoritate sanctorum Patrum D. Aug. 7. Trinit. cap. 5. ubi ait *non eo Pater quo Deus, nec eo Deus quo Pater*; *ergò* à Parte rei est aliqua distinctio inter Deum & Patrem in sententia D. Augustini, quia si nulla esset omninò distinctio, jam eo ipso quo Deus est, Pater esset. Item D. Damasceni lib. de fide cap. 4. ubi ait, *si dixeris bonum, justum, &c. non naturam Dei sed quæ circa naturam* sunt dices ergò secundùm D. Damascenum bonitas, justitia &c. idem est judicium de aliis attributis Dei, est aliqua distinctio ex natura rei non realis, quia in divinis omnia sunt idem nisi ubi obviat relationis oppositio, ergò formalis; nam rationis esse non potest, nisi dicere quis vellet Deum esse justum justitiâ fictâ; ac factâ per nostrum intellectum. Probatur Conclusio 2. Ratione 1. Essentia divina & Paternitas verbi gratiâ distinguuntur ante omnem operationem intellectus, sed non realitèr ergò formalitèr: Probatur ma. Essentia divina est communicabilis & identificata filio, Paternitas non est communicabilis & identificata filio, sed impossibile est idem sinè ulla distinctione esse verè & realitèr communicabile & identificatum, & non identificatum; ergò impossibile est essentiam divinam & Paternitatem nulla distinctione ante opus intellectus nostri distingui. Probatur 2. Pater distinguitur realitèr à filio, ergò debet habere aliquid actu per quod distinguatur à filio, sed non haberet si essentia non distingueretur à Patre, ergò, probatur subsumptum: Quia essentia eadem est in Patre & in filio; tertiò. De fide est Verbum seu Filium produci per intellectum, & non per voluntatem, & Spiritum sanctum produci per voluntatem, & non per intellectum, idq; sinè dubio ante omnem operationem intellectus nostri, ergò intellectus & voluntas ante omnem operationem intellectus nostri distinguuntur; subsumptum est de fide, probatur consequentia, Implicat aliquid produci per unam potentiam ex duabus identificatis, & non produci per alteram, sed secundum fidem aliquid producitur per intellectum quod non producitur per voluntatem, & aliquid iterùm per voluntatem quod non producitur per intellectum, ergò impossibile est quòd sibi sint formalitèr identificata. Confirmatur Conclusio,

clusio, (pertinet hæc confirmatio ad primam probationem) Ex Concilio Toletano in definitione de fide in confessione fidei dicente, Quòd relationes divinæ numerentur, essentia non, quod essentia non generet Pater vero sic, ergò. Visis hisce argumentis Occhamus fassus est in divinis dari distinctionem formalem, secus tamen esse in humanis, sed quis nō videt rem ridiculam in Deo simplicissimo admittere veritatem duarum propositionum contradictoriarum, & non admittere paritèr in humanis, non ne homo componitur Deo excellentiori modo? Jesuvitæ efficaciam videntes admittunt aliquam quidem distinctionem, sed ne reales sint cum Franciscanis, virtualem eam post Cajetanum appellant, sed dicitote mihi illa distinctio virtualis vel fit cum operatione intellectus, vel est in dependentèr ab ipso; si primum, erit rationis ratiocinatæ, adeoq; duo contradictoria eidem convenire non poterunt: si secundum quid quæso dicit Schola Scoti, nonne idem? quid ergò palliatis veritatem virtuali verbo? Attamen Jesuvitæ quia sententiam nostram rationibus oppugnare non possunt, ideò solitâ censurandi libidine fugillare & cavillare nituntur, quod ex pugnare desperant; Itaq; contra Conclusionem ultimam.

XVII. *Jesuitæ arrogantia ex ignorantia.*

Opponunt 1. Authoritatem Concilii Florentini, sessione ultimâ, ubi habetur quòd inter personas & essentiam non sit nisi distinctio rationis, & in eodem Concilio in quadam Disputatione Theologica, inter Joannem, qui partes Latinorum defendebat, & Marcum qui stabat pro Græcis habetur, Ergò personæ & essentia secundùm modum nostri intellectus tantum concipiuntur. Secundò in Conclusio Rhemensi damnata est sententia Gilberti Porretani, asserentis Deum esse suam sapientiam, contra quam sententiam etiam acrius invehitur D. Bernardus signanter serm. 80. sed sententia Scoti idem docere videtur, ergò etiam videtur esse damnata. Sed dedignor cavillationibus chartas implere, & fusiùs in Adversarios invehere: quamvis fortè abs re non esset, juxta illud, Respondе stulto secundum suam stultitiam, ne forte superbiat, Attamen modestiæ conformius est absurditatibus similibus immotis relictis, ne majorem excitent fœtorem, pertransire silentio, & ad ipsa doctrinalia accedere, unde R. ad Concilium Florent. 1. Id tantùm in eo fuisse agitatum, nihil tamen fuisse resolutum. 2. Casu quo aliquid resolutum esset, Concilium per distinctionem rationis non intellexisse aliud, quàm distinctionem quæ non est strictè realis, illa autem est nostra formalis: nam hic erat oppositus sensus erroris, quem damnabant; quia error asserebat esse strictè realem distinctionem, Et similitèr intelligendi sunt omnes sancti Patres, qui frequentèr in oppositum citantur, quia aliud non negant quàm quòd non detur in divinis distinctis strictè realis inter attributa, Et quando D. Damascenus dicit *Essentiam à personis distingui cogitatione*, verum est, sed non tantùm; vel intendit dicere, quòd cogitatio inveniat fundamentum illa distinguendi inter se, ex eo quòd competant eis prædicata contradictoria ante opus intellectus. Vel dic ad Concilium, quòd inter illa sit distinctio rationis, id est: quam recta ratio admittit, non verò quæ fabricetur per solam rationem. R. similiter ad Concilium Rhemense, nam illud damnavit sententiam Gilberti asserentis inter Deum & sapientiam esse distinctionem realem, quod nunquam somniavit Scotus, sed contrarium veluti verus filius Ecclesiæ tenuit identificata realitèr sibi invicem esse omnia attributa, quamvis formalitèr sint distincta, Imò Neoterici dicentes Scotum fuisse Authorem distinctionis formalis sibi contradicunt, dum asserunt esse eam damnatam cum Gilberto, si enim fuit damnata cum Gilberto, jam Scotus ejus author non fuit sed Gilbertus, qui longè ante Scotum vixit. Unde

Diversus sensus & mens est Scoti, à mente Gilberti.

Instant Gilbertum non voluisse affirmare inter attributa distinctionem realem sed formalem, ergò Scotus cum eo coincidit, probatur ant. quia non potuit affirmare quòd sapientia Dei distinguatur realitèr ab ipso Deo, siquidem hoc non vidit; R. hoc non obesse quòd non viderit quin affirmaverit, nam defacto Thomistæ plurimi non viderunt potentias animæ separatas ab ipsa anima, & tamen inter potentias & animam asserunt distinctionem realem, ergò & Gilbertus potuit facere hoc, sicut & revera fecit.

XVIII. *Distinctio formalis non facit in Deo compositionem.*

Arguitur 2. Ex ratione Si daretur distinctio formalis inter attributa divina, daretur in Deo compositio saltem Metaphysica, verbi gratiâ, Ex essentia & sapientia, sed hoc est in convenientissimum dicere ergò: probatur mi. tum quia contrarium omnes sancti Patres clamant & prædicant, Concilia determinant, tum quia omnis multiplicitas opponitur summè simplicitati, quo in Deo est ergò. R. duplicem esse compositionem una est quæ dicit imperfectionem, & altera quæ dicit perfectionem, & nullam dicit imperfectionem; prima est verbi gratiâ compositio animalis & rationalis, secunda est quæ inter essentiam divinam & attributa invenitur: unde quando Patres & Concilia dicunt Deum esse simplicissimum non esse compositum ullo modo, intelligi debent de compositione quæ argueret imperfectionem, & de simplicitate quæ dicit negationem omnis distinctionis involventis imperfectionem, & hinc in forma cum Pontio R. distinguendo ma. sequeretur in Deo compositio accepta compositione pro unione distinctorum formalitèr sine ulla imperfectione, concedo ma. compositio dicens imperfectionem, nego ma. per quam distinctionem & præmissam explicationem patet quid dicendum sit ad minorem, ejusq; probationem. Quod si quæras quare pluralitas in Deo non involvat imperfectionem, & tamen involvat in creatis eadem pluralitas formalitatum? R. 1. cum Scotistis communitèr ideò in creaturis multiplicitatem formalitatum, quia in creatis una formalitas perficitur ab alia, seu una dicit potentiam ad aliam per modum perfectibilis: sic animal dicit potentiam ad rationalitatem, à qua perficitur, in DEO autem non dicit talem potentiam ad aliam, adeoq; nulla involuitur in eo imperfectio. Pontius respondet ideò unionem plurium formalitatum in creatis dicere imperfectionem, quia illa unio habet dependentiam in esse realis existen-

existentiæ à causa extrinseca, unde unio formalitatum quæ est in Deo non dependet in esse realis existentiæ à causa extrinseca, nullam in Deo dicit imperfectionem sed perfectionem, perfectionis enim est omnia quæ aliquis habet habere à se, & non ab alio: & imperfectionis est non habere à se, nec posse habere, sed debere habere ab alio; Verùmtamen principale argumentum continuando

Instatur Sequeretur quòd de essentia divina posset sinè imperfectione prædicari quòd non sit formalitèr sapiens, sed hoc est absurdum ergò, probatur mi. quia sic non esset à se, sed ab alio sapiens formalitèr ergò. R. concessâ majori, quod scilicet possit dici de essentia divina quod pro formali non sit sapientia, sufficit quod realitèr & fundamentalitèr sit sapiens, ad probationem minoris Respondeo dist. Non esset à se sed ab alio formalitèr sapiens, id est ipsa essentia non esset formalitèr sapientia, concedo ant. non esset à se, sed ab alio realitèr distincto, nego ant. probationis.

Urgetur Ergò si pro illo priori non est formaliter sapiens, erit formalitèr non sapiens, quod quantum sapiat gustent Scotistæ: verùm R. distinguendo illatum, erit formalitèr non sapiens, id est negatio formalis sapientiæ erit de conceptu essentiæ, nego illatum, erit formalitèr non sapiens, id est: non considerabitur sub formali sapientia concedo illatum, sufficit ergò quòd aliquo priori sit fundamentalitèr sapiens: nam in tali fundamentali sapientia consistit omnimoda perfectio, utpotè à qua aliæ omnes promanant.

XIX. *Distinctio formalis benè salvat difficultates in Mysterio Trinitatis.*

Arguitur 3. cum Oviedo ex Mastrio, ubi conatur argumentum Conclusionis nostræ in fringere; Ideò hæc distinctio formalis à Scoto potissimum excogitata est, ut salventur quædam difficillima in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, scilicet quomodo Relationes sint realitèr cum essentia, & tamen essentia sit communicabilis pluribus, & non sic relationes &c. sed hæc distinctio nihil juvat, imò lædit mysterium Trinitatis, ergò non est admittenda: probatur mi. tum, quia sic in Deo Paternitas & Deitas erit duplex entitas, quarum una ante operationem intellectûs non est alia, quæ si distinguuntur, distinguentur realitèr, non formalitèr, Quæ entitates nequibunt coalescere in unam, quæ simplicitèr una est, si una non habeat se per modum actûs & potentiæ. si enim utraq; se habeat per modum actûs, non fiet unum aliud, quàm aggregationis; si ergò essent duæ entitates Deitas & Paternitas, necessè erit aut quòd una se habeat per modum actûs, & potentiæ, altera quòd est imperfectionis, aut non erit Deus unus nisi aggregatione, Deniq; unaquæq; ut distincta ab alia erit entitas incompleta, quia cùm alia veluti comparte constituet ens unum integrum, & unum simplicitèr quod ante operationem intellectûs erit veluti unum compositum, ergò hæc distinctio non juvat, sed potius lædit mysterium Sanctissimæ Trinitatis. R. ad majorem principalitèr quòd non præcisè propter mysterium Trinitatis hæc distinctio adinventa sit, sed propter necessitatem etiam in creatis ad salvandam præcipuè metaphysicam compositionem, ita qui eam in divinis non vellet admittere, adhuc teneretur in humanis, verùmtamen pronunc concedo ma. & nego mi. ad cujus primam probationem dico distinguendum esse primam assumptionem, Essent in Deo Paternitas & essentia duæ entitates & res, prout lato vocabulo entitas & res appellatur: omne id quod habet esse ante operationem intellectûs nostri, concedo ant. & tali modo relationes aliqualitèr res appellari possunt: Essent duæ entitates & res, prout res accipitur ordinariè ut contradistinguitur à modo, nego ant. Et in tali acceptione vocabuli rei, Relationes non dicuntur res; Quare Scotus quodlibeto 3. dicit personalitates divinas in se spectatas quatenus ab Essentia præscindunt, nec rem, nec ens, nec entitatem appellari, sed solas habitudines rei & entis existentis, Imò solemniores Scotistæ negant illas esse formalitèr entia, & in recto: quia sunt ultimò constitutivæ divinarum personarum, & de ultimò constitutivis docet Scotus 1. d. 3. q. 3. sub litt. E. non esse formalitèr entia, & quidditativè, sed tantum realitèr ac identicè, quia ergò Paternitas ut distincta à Deitate non est una res vel entitas aut ens, sed tantùm ejus formalitas in ipsa immersa per realem identitatem, distinctio inter illa reperta non est realis vel entitativa, Ex quo patet quid dicendum ad alterum, nempe quòd illæ duæ entitates nequibunt coalescere in unam, nempe falsum esse in illimitatis & infinitis, quamvis valeat in entitatibus finitis & limitatis, ubi neutra habet totalitatem essendi: quare ut unum per se constituant, necessariò unum debet concurrere per modum actûs & potentiæ, hinc quamvis Deitas & Paternitas sint entitates formalitèr distinctæ, sunt tamen perfecta identitate sibi realitèr identificatæ, quæ identificatio perfecta ex unius vel amborum extremorum ex orta impedit omnimodam compositionem, & facit personam ex essentia & relatione constitutam esse per unam unitate simplicitatis & identitatis, non verò unionis & compositionis. Ad alteram etiam minoris probationem R. negando assumptum, & consequentiam. Quia pars ut pars ab eo exceditur, cujus est pars, & ideò dicitur incompleta, essentia autem divina ex se ponitur formalitèr infinita, unde omninò ei repugnat habere rationem partis, Tum quia ad constitutionem divinæ personæ veniunt essentia & relatio potiùs ut realitèr identificata, quàm ut formalitèr distincta, & ideò neutra habet rationem in completi.

Instatur; Compositio est distinctorum unio, ergò si persona in divinis constituitur ex essentia & relatione ex natura distinctis, necessariò erit composita ex ipsis R. negando ant. simplicitèr loquendo, sed Compositio est verè componibilium distinctorum unio, quæ ea ratione qua finita sunt & limitata ordinantur ad perfectionem alicujus tertii constituendam.

Instatur denuò? Ut duo extrema sint verè componibilia, sufficit distinctio formalis ex natura rei, ut constat de realitatibus metaphysicis, quæ veram faciunt compositionem ob talem distinctionem formalem R. negando ant, Nam ideò realitates metaphysicæ efficiunt compo-

compositionem, quia una est potentialis ad alteram, quod dici non potest de essentia & personalitate in divinis, cùm ambo sint in ultima actualitate.

Urgetur; Quod ex realitatibus Metaphysicis una sit potentialis ad aliam, ideò est: quia ex natura rei formalitèr distinguuntur, sed idem erit de essentia, & relatione si ponantur formaliter distinctæ, ergò ℟. negando ma. Potentialitas namq; relationis genericæ non provenit ex distinctione earum formali, sed ex imperfecta earum identitate reali, quia habent realitatem mendicatam à tertio, à quo si abstrahantur, non erunt amplius realitèr idem ut docet Doctor in 1. d. 8. q. 3. non sic autem est de essentia divina & relatione, quæ inter se identificantur ratione infinitatis, ideoq; earum realis identitas est perfectissima & summa, & consequentèr tollit omnimodam potentialitatem unius realitatis ad aliam, quia nulla res est in potentia ad se ipsam, nec à se ipsa perfectibilis.

QUÆSTIO V.

De Distinctione Rationis.

Pro majori Intelligentia tàm dictorum quàm dicendorum, abs re non erit notare prius quid Thomistæ & Neoterici, per præcisiones intelligant, quarum frequentissimam faciunt mentionem; Itaq; per præcisionem nihil aliud intelligunt, quàm actualem separationem intellectualem unius ab alio per unicum conceptum, atq; ideò volunt præcisionem esse aliam à distinctione rationis, quia hæc involvit conceptus diversos, quibus eadem res realitèr indivisibilis cognoscitur alio & alio modo; Estq; duplex præcisio: una formalis & altera objectiva; Formalis est, quando intellectus intelligit unam eandemque rem in divisibilem in se cum ordine ad aliquas operationes, quas elicere potest sine ordine ad alias, verbi gratiâ, si intellectus consideret voluntatem in ordine ad volitionem, & sic in illo voluntas esset præcisa à se ut est principium nolitionis, & ideò hæc præcisio dicitur formalis, quia res tantùm in intellectu est divisa in ordine ad diversa connotata, quæ respicit. Objectiva præcisio secundùm Thomistas est, quando intellectus concipiens diversas operationes, aut connotata unius rei in se indivisibilis, & ante cognitionem earundem unam formalitatem in illa re concipit, quæ esset principium operationum aliquarum, non concepta alia formalitate, quæ esset principium aliarum operationum, ita ut non solùm actus intellectûs sit præcisivus, aut connotata illius rei sint diversa, sed etiam quòd in ipso objecto directè una formalitas præscindi & cognosci possit, non cognitâ aliâ, Quod revera coincidit cum distinctione formali (unde etiam Neoterici nullam admittunt præcisionem objectivam) nisi fortè recurrerent Thomistæ ad conceptus suos in adæquatos, & ita fiet ut præcisiones formales coincidant cum distinctione rationis ratiocinantis & præcisiones objectivæ cum distinctione rationis ratiocinatæ: quidquid tamen sit, quomodo coincidant aut distinguantur, ad nostram materiam progredior. Itaq; distinctio rationis est, quæ nõ inest rebus quæ distinguuntur prout sunt in se, sed tantùm prout substant conceptibus nostris, Et hæc est duplex una rationis ratiocinantis, altera ratiocinatæ; Prima est quæ fit ab intellectu nullo habito fundamento in re, quæ ut distincta concipitur, & talis est, quando in aliqua propositione identica idem nunc concipitur sub ratione prædicati, & statim etiam sub ratione subjecti, verbi gratiâ dicendo Petrus est Petrus, nec valet dicere quòd tunc sit mera terminorum repetitio, aut illam distinctionem si quæ intercedit non cadere supra Petrum, sed supra secundas intentiones, Quia repetitio est quando idem objectum semel & bis ac etiam tertiò eodem modo concipitur, ut si diceres *Petrus & Petrus & Petrus*; dum verò dicitur *Petrus est Petrus* jam primâ vice concipitur *Petrus* ut subjectum, & altera vice ut prædicatum, unde non solùm pluries concipitur sed etiam ut plures: quia intentionaliter geminatur, ut substat diversis intentionibus subjecti & prædicati, Nec illa distinctio cadit super conceptus formales, quia tunc esset distinctio realis; nec propriè supra secundas intentiones, sed supra rem ipsam conceptam, quatenus habet esse objectivum in intellectu, ita ut propriè idem dicatur á se ipso distingui non secundùm esse reale, sed secundùm esse objectivum & intentionale. Distinctio rationis ratiocinatæ est, quæ fit per intellectum cum fundamento in re ipsa quæ distinguitur, & dicitur rationis, quia formalitèr & actu non est in rebus, sed fit & actuatur per rationem; dicitur verò rationis ratiocinatæ, quia est quasi inchoata à parte rei, etsi complementum ab intellectu recipiat, quatenus res circa quam versatur intellectus præbet occasionem, seu fundamentum talis distinctionis propter eminentiam suæ naturæ de qua intellectus format conceptus in adæquatos, id est quibus non exprimitur totum id quod est in re, nam licèt singuli aliquid attingant in re, nullus tamen seorsim sumptus adæquat totam naturam & rationem objectivam rei, sic Thomistæ distinguunt attributa in divinis, & gradus Metaphysicos, & hæc distinctio cum virtuali coincidit, non tamen cum formali, ut volunt nonnulli, quia hæc versatur inter conceptus adæquatos, non verò in adæquatos.

Deferibitur & dividitur distinctio rationis.

DISPUTATIO III.

DE ENTE RATIONIS.

Bonaventura, Baro, tractans hanc materiam Apolog. Metaph. Incidentali prima, actione prima, existimat titulum hunc non debite proponi de ente rationis, sed potiùs debere proponi de ente irrito, ratio ipsius est, quia non sola ratio fabricat hoc ens, sed etiam aliæ potentiæ interiores; verùmtamen novum non est quod totus aliquis tractatus intituletur de principalissima specie materiæ illius, circa quam versatur, unde manendum censeo potiùs in terminis Majorum nostrorum, & maximè vel hinc cùm plurimi tàm Scotistæ quàm alii negent ens rationis propriè fieri posse aliter, quàm per intellectum, quàm declinare ad affectatas & apparentes novitates, quæ tamen non sunt quid novi in re, & si quis adhuc materiam hanc intitularet de ente irrito, credo quod adhuc intelligeretur contra Baronem ex vacua olla contrarium existimantem, sed ad rem progrediendo sit.

QUÆSTIO I.

An detur Ens Rationis?

I. *Ens rationis variè accipi potest.*

Ad quæstionis Statum exactiùs cognoscendum. Adverte ens rationis in rigore derivari à ratione vel ab intellectu, eò quòd ab ipso fiat, vel in ipso insit; unde multiplicitèr accipi potest, primò enim significat omne illud ens quod potest produci à ratione, seu ab intellectu per verum & realem ac Physicum influxum, quales sunt omnes actus intellectûs, & omnes alii actus, qui per directionem intellectûs producuntur; Secundò per ens rationis significatur omne illud, quod subjectatur in intellectu & ab eo recipitur, & in hoc sensu appellantur actus, habitus, & species intelligibiles entia rationis, eò quòd in ratione seu in intellectu subjiciantur; tertiò ens rationis accipitur pro eo, quod objicitur intellectui, seu quod consideratur & intelligitur ab intellectu, & in hoc sensu omnia entia realia possunt vocari entia rationis, quia illa omnia intellectui objiciuntur; quartò significatur per ens rationis illud, quod non habet esse à parte rei, esto illud habere possit, sed pro nunc tantùm habet illud in intellectu, & sic Anti-Christus & homo qui post centum annos nascetur, imò omnia entia possibilia dicuntur esse entia rationis; quintò denìq; ens rationis prout ad nostrum spectat propositum est illud, quod nec existit à parte rei, nec existere potest, & habet suum esse tantùm objectivè in intellectu, & in hoc sensu de ente rationis agam in hac disputatione, Et juxta hanc multiplicem acceptionem entis rationis multiplicèr dicuntur aliqua dependere à ratione, seu ab intellectu; effectivè scilicet, directivè, subjectivè, & objectivè, ut benè notat Comptonius, effectivè dicuntur ea pertinere & dependere ab intellectu, quæ ab ipsomet eliciuntur, directivè, quæ ab ipso effectivè & simul ab alia potentia producuntur, subjectivè ea dependent, quæ in ipso intellectu recipiuntur, objectivè verò quæ ipsi cognoscenda & intelligenda objiciuntur, ut sunt omnia entia realia, & quæ suum esse ab ipso recipiunt, & sunt entia illa quæ vocantur rationis. Itaq; circa materiam propositam duplex est sententia, Prima negat dari entia rationis, ita Paulus Venetus, Valerius q. 1. Philos. Bernardinus Mirandulanus, in expositione prædicamentorum, & eam tanquam probabilem tenet Franciscus Majoronius vocatus Doctor illuminatus q. 1. quodlib. Secunda sententia huic ex diametro opposita admittit dari entia rationis, quæ est in Scholis communissima & ab omnibus quodammodo recepta, cùm qua resolutivè ad quæstionem

II. *Datur Ens rationis.*

Dico *Dantur entia illa quæ communitèr vocantur entia rationis.* Ita Doctor in 1. d. 36. n. 9. ubi distinguit ens, in ens extra animam & est reale, & ens in anima quod est ens rationis. D. Thomas opusculo 4. cap. 1. ubi dicit hæc entia tunc esse, cùm intellectus fingit per modum entis id, quod non est. Est etiam Conclusio nostrorum Sanctorum Philosophorum Hypponensis & Claravallensis, nam D. Aurelius tract. 19. & 40. in Joannem Entia hæc figmenta, idola cordis, nugas, phantasias, humanas cogitationes, & volaticas cogitationes appellat, D. Bernardus verò tractatu de Conscientia cap. 6. vocat talia intellectus figmenta cogitationes distentorias, quas dicit esse quando de longinquis rebus & regionibus & regnis disponit & tractat, longinquissima autem regna sunt & regiones, quando concipiuntur montes aurei, arces & urbes in aëre, item in tract. de gradibus superbiæ & humilitatis invehitur gravitèr, quod Lucifer æqualitatem Dei appetierit, quæ appetentia in probabili sententia de qua infra agam, est ens rationis ergò. Sed probatur Conclusio ratione; Quia formantur de variis entibus propositiones, quorum existentia non est realis, ergò illa entia erunt ficta & rationis: probatur consequentia. Quia intellectus tales propositiones formando, non concipit prorsùs nihil, ergò quandoquidem id quod concipitur non est ens verum & reale, erit saltem ens secundùm nostrum concipiendi modum, & illud vocatur ens rationis, ant. est manifestum: quia quando dicitur chymæra est animal, &c. chymæra non est ens reale, ergò erit ens rationis. Probatur secundò ad hominem; Quæro à te, datur ne propositio contradictoria huic: Non datur ens rationis, si negas impingis contra prima principia; si admittis ergò etiam concipis

concipis dari ens rationis, quæ est propositio contradictoria alteri. Neq; dicas te negativè concipere; nam quæro ly negativè tenet ne se vel ex parte cognitionis, vel ex parte objecti; si hoc, æquivalet huic propositioni, Concipio non dari ens rationis, & nonne vides quod hæc propositio non sit contradictoria illi, quam dicebas & cogebaris dicere esse posibilem? si primum, evadet hæc propositio, non concipio dari ens rationis, si verò non concipis, quarè ergò illud negas. Si dicas nego illud, quia concipio entia realia quæ non sunt entia rationis, & hoc non solvit difficultatem, sed convincit intentum, nam quæro iterùm illa negatio vel cadit super ens rationis, vel super ejus negationem, si secundum erit hic sensus entia realia non sunt entia rationis, ubi ego infero, ergò hæc sunt & dantur, duæ enim negationes faciunt unam affirmationem, si primum, ergò dantur entia rationis: quia negatio non cadit super negationem, sed super positivum. Probatur Conclusio tertio; Hæc propositio est vera, Deus per suam entitatem excludit alium Deum, ergò hic ex parte objecti repræsentatur alius Deus, nempe falsus & chymericus, quod est ens rationis, cui implicat existere, Nec satis faciunt Adversarii respondendo quòd repræsentetur verus Deus, & vera aleitas; quia si hoc esset, tunc propositio data supra esset falsa, quia quod revera est non excludit Deus, sed ei necessariò coexistit, quòd si contendat, quod quidem eis, id est vero Deo & veræ aleitati, coëxistat, non tamen eis simul unitis, faciunt & probant nostrum intentum, quia sequitur quòd ex parte objecti repræsentetur unio aliqua ficta, Et si dicunt quòd unio non sit ex parte objecti, sed quòd sit actus intellectus veram aleitatem vero Deo intentionalitèr conjungens, contra hoc facit quòd propositio illa Deus per suam entitatem excludit alium Deum sit falsa, cum omni veræ aleitati reali, actui intellectûs, & vero Deo Deus coëxistat, Ita ut si alius Deus in conceptu suo nihil aliud dicit, quam veram aleitatem, verum Deum, & verum actum intellectûs, ergò datur à parte rei alius Deus, hæc enim omnia à parte rei existunt.

III. Dices; Alius Deus in conceptu suo dicit verum Deum, veram aleitatem, & actum intellectûs falsum, seu falsò illa intentionalitèr unientem. Contra hinc non evitatur difficultas: verus etenim Deus, vera aleitas, & actus falsus illa falsò uniens existunt à parte rei, si ergò conceptus alterius Dei objectivus nihil in se aliud quàm hæc involvit, datur à parte rei alius Deus

IV. Dices; Existunt quidem verus Deus & aleitas, sed non eo modo quo per actum repræsentantur. Contra Respondendo, quæro ille alius modus vel est quid posibile, vel impossibile; si secundum, ergò datur objectum impossibile, si primum recurrit difficultas, omni enim posibili coëxistit Deus, ergò alium Deum non excludit, consequentèr propositio ista Deus per suam entitatem excludit alium Deum, est falsa, quæ tamen est certissima, adeoq; contradictoria erit vera Deus non excludit alium Deum, quæ est planè falsissima. Etsi adhuc te exsolvere coneris dicendo, quòd modus ille alius non teneat se quidem ex parte objecti, sed ex parte actûs nihil facis; quia cùm modus non distinguatur ab entitate actûs, modus ille existet à parte rei, adeoq; quidquid est de conceptu essentiali alterius, Dei à parte rei, existit, & consequentèr alius Deus existit à parte rei, quod Catholicus animus abhorret, quoniam dicit Deus per Prophetam Deut. 32. v. 39. Non est alius Deus præter me.

Arguitur contra Concluſ. 1.

V. *Impoſsibile poteſt concipi.*

Quod est impossibile non potest concipi nec intelligi, sed ens rationis est impossibile, ergò non potest concipi, nec dari poterit consequentèr; minor patet, quia ens rationis est illud quod nec est nec esse potest, major verò probatur, quia intelligi sequitur esse, & solum ens reale est objectum adæquatum intellectûs, sed ens rationis est impossibile realitèr, ergò etiam mentalitèr. R. negando ma. magis enim latè patet intelligibile, quàm posibile, nam omne posibile est intelligibile, non tamen omne intelligibile est posibile, nùm posit intellectus fingere quod nec est nec esse potest, quòd autem objectum solum intellectus sit ens reale verum est, loquendo de objecto per se, non verò de objecto per accidens: per accidens enim potest etiam cognoscere alia, quàm entia realia.

Instatur; Omne intelligibile prius est quàm intelligatur etiam per accidens, sed ens rationis non est prius quàm intelligatur etiam per accidens, ergò non potest esse objectum intellectus etiam per accidens. R. disting. ma. Omne intelligibile est prius quàm intelligatur in esse posibili, seu essentiæ concedo ma. in esse existentiæ nego ma. & distincta sic minori, negatur consequentia. Imò si alitèr respondere velles simplicitèr majorem negare poteris, tùm quia Deus ab æterno se & omnes creaturas cognovit antequam essent, tùm quia actus practicus est causa sui objecti, adeoq; illo prior, unde quando dicitur quòd objectum debeat esse prius actu, intelligendum est de objecto motivo, non verò terminativo. Sed contra Responsionem primam

Urgetur. Hæc prioritas in esse posibile non sufficit, ergò nulla solutio: probatur ant. Quia juxta tritum & vulgatum Philosophorum, nihil est in intellectu quod non prius fuit in sensu, ergò esse prius in esse posibile non sufficit, sed requiritur esse existentiæ à parte rei, consequentèr quia ens rationis non fuit prius in esse existentiæ, cognosci non poterit, nec consequentèr poterit dari. Verum R. negando ma. ad probationem dico primò, quod nimium probet si quid probat. nam hinc etiam sequeretur quod nec Deus, nec angeli, nec gratia cognosci posset, cùm ista omnia sensum effugiant, unde dico secundò illud axioma hunc habere sensum, & intelligentiam, quòd nihil sit in intellectu quod non prius fuit in sensu, vel per se, vel per aliud, ad cujus similitudinem formatur, unde R. in forma dist. probat. majorem, nihil est in intellectu quod non prius fuit in sensu per se directè & formalitèr, vel occasionativè, concedo ma. per se directè

& formaliter semper nego ma. Entia ergò rationis in intellectu sunt ex eo, quia ad similitudinem entium realium formantur & concipiuntur.

VI. *Non omne quod producitur à causâ reali est reale.*

Arguitur 2. Quidquid producitur à causa reali debet esse reale, sed ens rationis producitur à causa reali, scilicet ab intellectu, ergò debet esse reale. R. dist. ma. si producatur quoad aliud esse quàm objectivum seu intentionale, transeat major, si non producatur, nisi quoad esse objectivum, seu intentionale, nego majorem & distinctâ similiter minori nego consequentiam.

Instatur Inter effectum & causam debet esse proportio, sed causa est realis, ergò etiam effectus debet esse realis, ergò sive quoad esse intentionale producatur, sive ad aliud erit reale si ab intellectu veluti à causa reali producitur; sed R. dist. ma. debet esse proportio in esse producentis & producti, seu quoad primarium effectum, concedo ma. debet esse proportio quoad secundarium effectum nego ma. & concessâ mi. nego conseq. Itaq; non requiritur proportio entitativa, seu inter naturas versatur, sed sufficit proportio quæ consistit in eo, quòd unum ab alio accipere esse possit, & alterum possit ipsum producere.

Urgetur Inter illud quod est reale absolutè, & illud quod est nihilum nulla est omninò proportio, nec quoad effectum secundarium, nec quoad effectum primarium, sed esse intentionale entis rationis est purum nihilum, ergò causa realis illud non poterit producere; probatur minor, nam major est certa, Inter reale & inter illud quod est nihilum non datur medium, quia contradictoriè sibi opponuntur, sed esse entis rationis non est reale, ergò est purum nihilum R. concedendo ma. & negando mi. ad cujus probationem dico, quòd nihilum potest dupliciter sumi, primò enim sumitur pro eo quod nec est nec esse potest, & si sic sumatur, tunc ens rationis est purum nihilum; si verò sumatur tàm strictè pro eo quod nec est actu nec esse potest in apprehensione, & in hoc sensu ens rationis non est purum nihilum, sed aliquo modo ens: siquidem habet esse in apprehensione, Ex quo non liceret alicui inferre, ergò est medium inter duo contradictoriè opposita, quia ens reale & nihilum secundò modo sumptum, non contradicunt sibi. Alii adhuc opponunt quasi ens rationis nullam haberet causam, quia potentia quæ illud producere deberet, cùm sit vitalis, præsupponeret suum objectum, adeoq; facere non posset, sed ex dictis facilè solvuntur, nam causa est intellectus, & potentia suum objectum motivum tantum præsupponit, non verò terminativum, quale objectum est ens rationis respectu intellectûs.

QUÆSTIO II.

Quid sit Ens Rationis?

I. *Variæ descriptiones Entis rationis.*

Videor hic peccare contra superiora tractata, ubi ut aliquid definiatur, requisivi quòd sit ens reale, unum, positivum, & per se, quale tamen non est ens rationis, unde gratis inquiritur hic ejus definitio, verùm licet ens rationis propriè dictâ definitione definiri non possit prout est rerum, potest tamen, definiri in quantùm unum conceptum per se exprimit in intellectu sive ille conceptus sit rei, sive rationis, In quo autem ejus natura consistat, inter Authores non parva est lis, nam diversi diversimodè sentiunt, Suaretz disp. 54. Met. sect. 1. n. 6. ait Ens rationis esse quod cogitatur ut ens, cùm tamen in se entitatem non habeat, idem sentit Aversa quæst. 5. Log. sect. 2. Differunt tamen inter se, nam Suaretz per ly cogitatur intelligit quid commune cogitationi intellectuali & phantasticæ, siquidem tenet phantasiam posse facere ens rationis: Aversa autem intelligit solam operationem intellectûs, quia tribuit soli intellectui entis rationis effectionem. Pontius definit ens rationis esse illud, quod nequit aliquid efficere, neq; inexistere alicui potenti aliquid efficere, nisi per considerationem potentiæ potentis aliquid considerare, ita disput. 1. Log. de Ente rationis citans pro se Scotum quodlibeto 3. Tertiò describunt aliqui ens rationis idq; satis communiter, quòd sit illud quod habet esse objectivè tantùm in intellectu, hæc est quorundam Scotistarum & Mastrii disp. 3. De ente rationis. Alii deniq; tenentes quamlibet potentiam vitalem internam posse ens rationis efficere, sic definiunt illud: Quòd sit illud quod est incapax realis existentiæ & Essentiæ, habens suum esse per fictionem dependenter ab opere potentiæ potentis comparare, aut considerare aliquid. Ex quibus sententiis antequam unam vel aliam determinando eligam, suppono 1. Ens formaliter sumptum omninò distingui ab ente reali sumpto reali tàm pro existente, quàm pro potente existere, quod patet tum ex dictis, tum ex Aristotele satis distinguente ens quod est in anima ab ente quod est extra animam. Suppono secundò ens rationis distingui etiam à puro nihilo, quia purum nihil dicit negationem cujuscunque entis, sive in re, sive in apprehensione, tum quia purum nihil nullam habere potest existentiam, sive realem, sive objectivam: nam si posset secundùm se habere aliquam existentiam, jam non esset purum nihil, sed admixtum cum aliqua entitate, unde purum nihil dicitur involvere in suo conceptu formali duplicem negationem entis scilicet realis & objectivi. Suppono tertiò ens rationis ab ente reali distingui non per negationem sed per aliquod positivum, per quod formaliter constituitur; Et hoc satis patet à sensu contrario, Ens enim reale licet dicat negationem entis rationis, adhuc tamen per illam negationem non constituitur in esse entis realis, ergò etiam licet ens rationis dicat negationem entis realis, tamen per illam non constituetur in esse entis rationis, Imò si ens rationis consisteret formaliter in negatione entis realis, cùm talis negatio à parte rei detur, daretur etiam citra fictionem alicujus potentiæ ens rationis. His itaque præsuppositis

Dico

II. Dico 1. *Non benè definitur ens rationis esse illud, quod cogitatur ut ens cum tamen in se entitatem non habeat.* Hæc conclusio est contra Suarem, Aversam & Mastrium, eam tamen sequitur Pontius disp. 1. & Prob. 1. Cum eodem, ens rationis est illud, quod cogitatur ut ens, cùm tamen nullam in se entitatem habeat, vel intelligunt quòd cogitetur ut aliquod ens reale, aut aliquod ens rationis, cùm tamen nullam entitatem habeat realem, aut rationis, non primum, falsum est enim, quòd requiratur ad entia rationis ut concipiantur veluti entia realia, quia frequentissimè cogitantur ut entia rationis, & non ut entia realia, nec dicere potes cum Mastrio prout ipse solvit argumentum Didaci & Smising, quasi tantùm per actum reflexum cogitetur ut ens rationis, nam ex Luxuriante intellectu etiam per actum directum fit ens rationis, tùm ut alia confundat, tùm ut quandoq; nonnulla refutet, & semetipsum exerceat & delectet, prout frequentissimè faciunt ingenii qui sunt vagabundi, & prout dicit Bernardus noster, qui longinquas regiones mente pervagantur, & in spatiis impossibilibus ordinationes disponunt mirabiles, Addo & quæro à Mastrio (si forte ingenio eum non attingo ad quæstionem solicitare revera audeo) quem actum reflexum habuit Lucifer in ea potentia quâ appetiit æqualitatem Dei, secundùm quam appetentiam & etiam omnem actum voluntatis secundum ipsum datur, & fieri potest ens rationis, reverâ nullum: nam Theologicæ morulæ tantùm ei non admittunt spatium, & si adhuc actum reflectum habuisset, vel habere potuisset, iterùm quæro, utrum per illum actum reflexum, sine ulteriori actu alio fecit ens rationis? si fecit tunc arguo sic: ergò sicut sine alio actu reflexo tunc fecit ens rationis, ita sine omni facere quis potest & potuit Lucifer, & si alius aliquis requiritur, ergò ad illum alium iterùm alius, & sic in infinitum, ergò standum est in primo scilicet non requiri an per intellectum apprehendatur reflexè ut ens rationis, vel non. Probatur Conclusio secundò. Deus facit entia rationis ut defendam infrà, sed Deus non cognoscit per modum entium realium, ergò non requiritur ut cognoscatur per modum entium realium ma. patebit ex dictis: prob. mi. Deus non potest aliter cognoscere rem quam sit in se, sed si cognosceret ens rationis per modum entis veri, cognosceret aliter quam in se esset, ergò non requiritur quòd cognoscatur per modum entis veri. Sed

III. Dices; Ens rationis non cognoscitur nisi per speciem entis realis, ergò semper cognoscitur per modum entis realis. R. ens rationis habere propriam speciem per quam cognoscatur saltem ab intellectu Divino, vel Angelico unde negandum est antecedens & consequentia simùl, quare si semel habet propriam speciem per quam cognoscatur habebit eam semper & non tantùm ut cognoscatur, sed etiam ut fiat, Deinde modus entis realis non potest esse ens rationis quia revera modus entis realis datur â parte rei & est possibilis, ergò.

IV. Dico 2. *Malè definitur à Pontio ens rationis definitione quam tradit disp. 1. Log. suprà relatâ.* Probatur 1. Cum Mastrio disp. 2. Metaph. q. 9. n. 243. Ens rationis debet definiri modo contrario enti reali, nam contrariorum eadem est natura & lex secundùm vulgatum, sed non benè definitur ens reale per hoc quòd sit illud, quod possit aliquid efficere, vel alicui in existere potenti efficere ergò à pari malè definitur ens rationis esse illud quod nequit aliquid efficere; benè autem definitur ens reale quòd sit illud quod potest existere in rerum natura præter operationem intellectûs, ergò oppositò modo definitur ens rationis quòd sit illud quod nequit existere citra alicujus potentiæ fictionem. Probatur secundò omnis illa definitio convenit enti reali objectivo, ergò mala est definitio, patet consequentia, quia mala est definitio quæ convenit aliis à definito, si ergò illa definitio convenit enti reali posito in esse objectivo, sequatur quòd mala sit definito: ant. probatur nam enti possibili, seu posito in esse objectivo verbi gratiâ Antichristo possibili convenit quòd nihil possit efficere. nam ad efficientiam exercendam requiritur causa in actu posita, nec etiam Anti-Christus alicui aliquid efficere potenti in existit, nisi per fictionem intellectûs, ergò tota definitio illi convenit, ergò malè definitur à Pontio ens rationis.

V. Dico 2. *Qui tenent tàm voluntatem quàm intellectum facere posse ens rationis, malè definiunt illud quòd sit illud quòd habet tantùm esse objectivè in intellectu, benè tamen per ultimam datam suprà.* Probatur 1. p. Quia si voluntas potest facere ens rationis, ergò malè definitur quòd sit illud quòd tantùm habet esse objectivè in intellectu: quia illud non solùm habet in intellectu, sed etiam in voluntate, ergò. Probatur 2. p. Quia non est assignabile à quacunq; potentia vitali intrinseca fictum ens rationis, cui ultima definitio non conveniret, ergò est bona. Hæc tamen definitio Pontio non placeret propter illam particulam realis essentiæ & existentiæ, arbitratur enim obscurum explicari per magis obscurum, quia magis obscurum est quid sit existentia & essentia, quàm quid sit ens rationis, quòd esto verum sit, si de essentia & existentia secundùm se sermo sit; si tamen prout de facto explicatur, essentiam & existentiam intelligas multò faciliùs cognoscere poteris quid essentia, vel existentia sit, quàm quid sit ens rationis, unde replica Pontii parum valet.

VI. *Explicatur authoritas Scoti.* Opponitur contra conclusionem authoritas Scoti dicentis quodlibeto 3. n. 2. ens rationis esse quòd præcisè in intellectu considerante, ergò malè dicitur quòd habeat esse dependenter ab opere cujuscunq; potentiæ potentis comparare. R. Scotum loco citato non definivisse ens rationis in tota sua latitudine, siquidem tale etiam ab aliis potentiis fieri potest, sed solùm definivisse propriam speciem entis rationis, sumendo ens rationis strictè pro eo solo, quod habet esse in ratione, seu in intellectu, quòd autem non intenderit definire ens rationis in tota sua latitudine patet, nam frequenter ipse Doctor admisit ens rationis fieri posse per actum voluntatis, phantasiæ & aliarum potentiarum vitalium internarum.

VII. *1. Negatio est tantùm incapax realis existentiæ positivæ.*

Arguitur 2. Ex ratione, Negatio est incapax realis existentiæ, ergò malè definitur ens rationis per incapax realis existentiæ, probatur ant. Quia negationi realitèr existere repugnat. R. dist. ant. est incapax realis positivæ existentiæ, concedo ant. est incapax veræ existentiæ negativæ, nego ant. & conseq. sufficientèr itaq; negatio idem est de privatione, excluditur ab entibus rationis per particulam habens suum esse dependentèr ab opere potentiæ potentis comparare, negationes autem & privationes non habent suum esse dependentèr à tali potentia, siquidem sunt ante operationem cujuscunq; potentiæ. Sed

Instatur. Non omne ens rationis habet suum esse dependentèr ab opere potentiæ potentis comparare, ergò per hoc privationes & negationes non distinguuntur ab ente rationis, si non distinguuntur, ergò nec benè definientur. Probatur ant. Relatio resultans ex duobus entibus rationis similibus non habet suum esse dependentèr ab operatione alicujus potentiæ potentis comparare, & tamen est ens rationis: ergò. R. negando ant. ad cujus probationem dico ex duobus entibus rationis habentibus similitudinem nunquam resultare ens rationis, quæ sit relatio, hæc enim est differentia inter relationem realem & rationis, quòd illa positis extremis statim resultet, quia consurgit ex natura illorum, ut sæpè docet Doctor 1. d. 31. quodlib. 6. & alibi, sed relatio rationis ultra extrema indiget operatione intellectûs, quâ efficiatur; si enim tali operatione non indigeret, sequeretur relationem rationis esse quid reale, nam illud est reale, quod habet esse independentèr ab opere intellectus, vel alicujus alterius potentia potentis comparare. Sed

Urgetur; Scotus frequentèr docet quòd ex chymæris & aliis rationis entibus relatio resultet rationis, ergò non est necesse quòd fiant de novo per comparationem & negotiationem alicujus potentiæ. R. Quòd si hoc Scotus quandoq; dicit, intelligendus est quòd resultet per intellectûs, vel potentiæ potentis comparare negotiationem, quod licet non exprimat, id tamen supponit: quod patet ex definitione entis rationis.

QUÆSTIO III.

An Denominationes Extrinsecæ sint entia rationis?

I. *Ponitur status quæstionis.*

Satis intricatè hæc quæstio disputatur in Schola Scoti, nam nonnulli Scotistæ affirmativam tenent, alii è contra negativam, & quælibet pars mentem Scoti attingere putat, dùm una & altera eundem pro se citat, & trahit: unde status quæstionis est, an quando oculus verbi gratiâ videt parietem, intelligit intellectus lapidem, resultet in pariete, vel lapide præter denominationem illam quòd paries dicatur visus, & lapis cognitus, à visione oculo in existente, vel à cognitione intellectui inhærente, Ens & respectus aliquis rationis. Itaq; nota denominationem aliam esse intrinsecam, aliam extrinsecam, Denominatio intrinseca est, quæ provenit à re, vel forma in existente in re denominata, ut dum dicis, quòd Joannes sit doctus, quòd paries sit albus, & aliquæ denominationes tales intrinsecæ dicuntur intrinsecæ per identitatem, & non per solam inhærentiam, vel adhærentiam, ut homo est rationalis, &c. Denominatio extrinseca est illa, secundùm quam aliquid dicitur & denominatur non tanquam à forma in se inexistente, sed in alio à se distincto, sic Petrus dicitur visus non à visione sibi inhærente, sed in oculo alterius. Suppono autem tanquam certissimum similes denominationes extrinsecas dari, tùm authoritate Scoti 1. d. 30. q. 2. n. 12. ubi ait, Deum sola relatione nova quæ est in creatura ad ipsum, ipsum denominari Dominum; tùm quia quotiescunque aliquid habet denominationem novam absq; ulla forma sibi intrinsecè inhærente, illa denominatio debet dici extrinseca, sed de facto habent multa denominationes novas absq; ulla forma intrinsecè nova, ergò dantur denominationes extrinsecæ, minor probatur: quia paries dicitur de novo visus, cognitus, absq; visione, vel intellectione intrinseca in eo subjectata, nec requiritur ad veritatem prædicationis alicujus quòd prædicatum ipsi insit physicè semper, sed sufficit quòd ipsi insit physicè, vel logicè, hoc ergò prænotato & præsupposito ad quæstionem

Denominatio est intrinseca alia extrinseca utraq; explicatur.

II. *Denominationes extrinsecæ non sunt entia rationis.*

Dico *Denominationes extrinsecæ provenientes à formis realibus non sunt entia rationis.* Ita Ruvius in sua Logica tractatu de ente rationis, Mastrius, Comptonius, &c. contra Baronem Apol. 1, Met. Incidentali. Probatur Conclusio, ens rationis non datur ante fictionem intellectus, vel negotiationem potentiæ potentis comparare, sed denominationes extrinsecæ dantur ante talium potentiarum negotiationem, ergò, ma. patet, probatur mi. Deus dicitur creator, & paries qui ab aliquo animali videtur dicitur visus antequam cognoscatur creator, vel quod paries sit visus: nam si Deus nullum creasset intellectum, sed sola insensibilia entia, verè fuisset dictus creator: sed tunc non per ens rationis, siquidem tunc nulla fuisset potentia quæ illud effecisset, ergò esse Creatorem quæ est denominatio extrinseca (nam per hoc quòd Deus dicatur Creator, nulla forma ponitur in ipso realis, aliàs esset mutabilis: siquidem posset illi aliquid de novo advenire, quòd ab æterno non habuit) non est ens rationis, sed reale: Nec valet dicere quòd denominationes provenientes ab aliis potentiis non sint rationis, benè tamen quæ proveniunt ab intellectu, quia quamvis hujusmodi denominationes possent peculiariori aliqua ratione dici ens rationis, quia scilicet proveniunt ab actibus rationis, non possunt tamen dici entia rationis in sensu prout hic accipiuntur entia rationis, quia tàm benè actus intellectûs, quàm aliarum potentiarum vitalium dicunt habitudinem ad objectum, itaq; denominationes ab eis provenientes pari modo erunt reales, quia omnes proveniunt à formis realibus. Probatur secundò cognoscere & cognosci sunt relata, ergò ipso eo quod Petrum cognoscam, Petrus est cognitus à me absq; ulla fictione præcisè ex eo quod detur cognitio quæ ad Petrum terminetur, ergò absq; ulla fictione Petrus est cognitus, ergò hæc deno-

denominatio cogniti absq; ulla fictione convenit Petro.

III. Authores contrariæ sententiæ putantes scilicet quòd denominationes extrinsecæ sint entia rationis, id ideò faciunt, quia primò ad denominationem realem requirunt veram unionem formæ denominantis, cum re denominata, & ideò cùm forma extrinseca non habeat veram unionem cum subjecto denominato, denominatio non est realis, sed rationis; Verùmtamen hoc eorum fundamentum est nullum, quia falsum est in extrinseca denominatione non reperiri suo modo unionem realem formæ denominantis, cum re denominata: non quidem per modum inhæsionis, sed adhæsionis, seu habitudinis ad rem denominatam, per quam unionem licet nihil sit in termino, verè tamen aliquid dicitur esse ad terminum. Secundò putant denominationem debere aliquid ponere in re denominata, seu subjecto, hoc non est opus; nam Deus realiter denominatur Creator absq; eo quod nova forma insit ipsi, quando verò dico realiter, non intendo asserere quod prædicatum sit aliquid inhærens subjecto de quo enuntiatur, sed sensus est quòd illud quod verè est, verè sic denominari, quasi diceretur Deus realiter denominatur Crearor, id est, Deus est verè Creator, paries est realiter visus, id est verè visus. Et si quando dicit Scotus denominationes extrinsecas esse entia rationis, non est intelligendus quòd dicat denominationes esse ens rationis formale, id est fictum, quòd nec est, nec esse potest; sed materiale tantùm, id est, quod ab intellectu concipitur: cui tamen esse non repugnat, & in hoc sensu Scotus 1. d. 36. q. un. §. concedo illud esse cognitum, quòd creaturæ habent ab æterno per actum intellectûs Divini vocat ens rationis, ut notat Fuentes; Verum tamen est, quòd si quis consideraret lapidem verbi gratiâ esse cognitum per cognitionem aliquam inexistentem ipsi, quòd denominatio cogniti sic concepta esset ens rationis, quia nec est, nec esse potest cognitus per cognitus per cognitionem in se ipso existentem vitaliter, hinc tamen non sequitur denominationem extrinsecam esse ens rationis, si consideretur ipsa prout esse cognitum à potentia cognoscente terminatur ad ipsum objectum, Per hæc notata plures solvi poterunt difficultates super hanc materiam occurrentes, maximè si benè observetur & exactè natura entis rationis supra data

QUÆSTIO IV.

Utrum negationes & privationes sint entia rationis?

I. Pro quæst. Intelligentia notandum privationem & negationem idem non esse, nam licet utraq; dicat carentiam, hæc tamen non est nisi ratio generica, differunt itaq; in hoc, quòd privatio sit carentia formæ in subjecto apto natò habere talem formam, verbi gratiâ carentia visûs in oculo cœci, aut carentia albedinis in pariete dicuntur privationes, quia carentiæ sunt in subjectis talibus quæ sunt apta susçipere tales formas, cœcus namq; aptitudinem habet ut recipiat formam visûs, paries carens albedine est aptus natus recipere albedinem, & sic de multis aliis similibus. Negatio autem est carentia formæ in subjecto, quòd subjectum non est aptum natum habere talem formam: sic carentia visûs in talpa dicitur negatio, quia talpa non potest recipere visionem, sic etiam carentia irrationalitatis in homine negatio vocatur, cum homo sit incapax irrationalitatis etiam de quacunq; potentia. Negatio autem duplex est, alia vocatur intra genus alia extra genus appellatur, negatio extra genus est, quæ nullum determinatum entis genus sibi vendicat cui conveniat, sed tam de ente quàm de non ente, de quo est facta, affirmatio opposita illi negationi verificatur, verbi gratiâ non homo verificatur tàm de chymæra quæ est non ens, quàm de lapide qui est ens reale, nam nec de chymæra, nec de lapide verificatur affirmatio opposita illi negationi non homo: Negatio intra genus vocatur negatio secundùm genus, & est negatio alicujus formæ, vel alicujus rei, quæ alicui non convenit quatenùs est tale ens, esto secundum genus ipsi non repugnet, verbi gratiâ irrationalitas in homine est negatio intra genus, esto enim in quantum homo aliquis est non possit esse irrationalis, tamen secundùm quod animal est non repugnat ipsi irrationalitas, sic etiam cæcitas in talpa est negatio visûs in quantum est talpa, est tamen visûs capax in quantum est animal.

Negatio duplex est.

Notandum 2. Sermonem hic non esse de negationibus, aut privationibus subjectatis in entibus rationis, nec de iis quas intellectus posset concipere in entibus realibus in quibus à parte rei non possunt reperiri, ut si quis conciperet spiritualitatis negationem in Deo, aut corporeitatis in homine, quia certum est hujusmodi esse entia rationis, sed sermo est de negationibus & privationibus verè & à parte rei subjectatis in entibus realibus, ut est de negatio brutalitatis in homine, caloris in aqua, &c. Circa quam materiam duplex est sententia, prima est P. Suaretz disp. 45. Met. sect. 3. & aliquorum Scotistarum dicentium negationes & privationes esse entia rationis, secunda è contrario negat, & hæc est communior Scotistarum cum Pontio, &c. cum quibus ad quæstionem

Non est sermo de negationibus entium rationis.

III. Dico 1. *Negationes & privationes non sunt entia rationis, quatenùs videlicet considerantur ut subjectatæ in entibus realibus.* Hæc est contra Thomistas quos sequitur Suaretz disp. 42. Met. sect. 2. Probatur conclusio manifestè; Quia negationes & privationes verè & realiter à parte rei independenter ab opere potentiæ potentis fingere existunt in subjectis realibus, sed quæ sic existunt non sunt entia rationis, ergò negationes & privationes non erunt entia rationis, probatur ma. Quia etsi nullus daretur intellectus, vel potentia comparare potens, verum esset quòd paries niger haberet privationem albedinis, & talpa negationem visûs, &c. mi. etiam patet ex definitione entis rationis. Sed

Negationes & privationes non sunt entia rationis.

VI. Arguitur in contrarium, Chymæra non est ens reale, ergò est negatio entis realis, in eodem subjectata, sed chymæra est ens rationis, ergò negatio entis realis est ens rationis, sed eadem

Non benè dicitur chymæra non est ens reale, ergò est ens rationis.

eadem est ratio de omnibus negationibus entium & formarum realium; R. concesso ant. negando consequentiam, nam non licet argumentari sic: Petrus non est Paulus, ergò Petrus est negatio Pauli, quandoquidem Petrus est quid positivum explicatum per negationem. Sed

Instatur, Si negationes & privationes non essent entia rationis, sed positiva explicata per negationem, sequeretur quòd omnes negationes & privationes essent per se & immediatè intelligibiles, sed tales non sunt, ergò. Minor patet, quia intelligibilitas est proprietas solius entis realis, ergò. R. dist. ma. essent intelligibiles intelligibilitate terminativâ, concedo ma. intelligibiles intelligibilitate motivâ; Nego ma. illud autem quod assumitur ad probationem minoris universalitèr verum non est, de intelligibilitate motiva, nam multa sunt entia realia quæ non sunt intelligibilia intelligibilitate motivâ, nam relationes secundùm communiorem sententiam nequeunt intellectum per se movere ad sui cognitionem, unde sciendum non esse universalem proprietatem entis realis intelligibilitatem, tùm quia ut dixi, entia relativa movere non possunt, licet sint entia positiva, tùm quia intellectionem veram terminant entia rationis, licet non sint entia realia positiva. Sed

Urgetur? Illa intelligibilitas quæ convenit negationibus & privationibus, vel est ejusdem rationis eum intelligibilitate entis realis, vel entis rationis, si entis realis, ergò negatio erit ens reale, quia qualis est proprietas tale esse ens necessè est à posteriori, si rationis erunt, ergò entia rationis, sed reales non sunt, ergò rationis. Probatur subsumptum, quia negationes & privationes sunt carentiæ entis realis, ergò patet antecedens ex Aristotele 1. phys. 8. ubi vocat negationes & privationes non entia, ergò. Quod autem unum vel alterum esse debeant inde patet, quia alioquin daretur medium. Antequam respondeam in forma, notandum est ens reale duplicitèr sumi posse propriè & laxè, propriè sumptum est, quod habet entitatem suam extra suas causas existentem & positivam, ens reale laxè sumptum est omne illud, quod habet esse independentèr ab opere potentiæ potentis fingere, sive illud privativum sit, sive positivum, hoc prænotato R. concedendo primum argumentum, & distinguendo subsumptum, sed reales non sunt, id est, propriè dicta entia realia, concedo subsumptum, non sunt entia realia impropriè dicta, id est. talia quæ habent suum esse dependentèr sine omni opere potentiæ potentis fingere nego subsumptum, Et quando posteà adhuc dicitur quod inter ens reale & rationis non detur medium, distinguitur data propositio, inter ens rationis & reale propriè dictum non datur medium, nego, quia tunc mediat ens reale impropriè dictum inter ens rationis & reale sumptum in tota sua latitudine, videlicet prout comprehendit tàm positivum, quàm negativum existens ante operationem potentiæ considerare potentis concedo, dictum illud, sed nihil est contra me, nam nec dico, esse ens reale propriè dictum, sed nec concedo quòd sit ens rationis, sed assero aliquid, licet sit negativum, quod suum esse independentèr à fictione habet.

Dico 2. *Si negationes & privationes considerentur tanquam entia realia & positiva tantùm, tunc tàm negationes, quàm privationes sunt entia rationis.* V. Est communis contra Pontium. Probatur, illud est ens rationis quod habet totum suum esse à potentia potente fabricare & fingere, sed si considerentur negationes & privationes ut realia entia tantùm, tunc suum esse aliud non habent quàm dependentèr ab operatione potentiæ potentis fingere, ergò sunt entia rationis, ma. patet, probatur minor quia ante operationem intellectûs, vel alterius potentiæ fingere potentis negationes & privationes nullum habent esse reale, nec possibile ut in sensu reduplicativo esse reale habeant, ergò.

QUÆSTIO V.

De causa creata Entis Rationis?

Solent nonnulli hic fusè de quatuor causarum generibus respectu entis rationis tractare, nam aliqui dixerunt ens rationis habere quidem causam materialem, formalem, & finalem, non tamen efficientem, alii è contra habere quidem causam efficientem, non verò formalem, materialem, & finalem; Attamen mediâ viâ hìc incedendum judico, & dicendum ens rationis habere omnia quatuor genera causarum non quidem propriè & in rigore, sed suo modo, nam imprimis chymæra verbi gratiâ habet pro causa materiali illam partem quæ consideratur ab intellectu tanquam perfectibilis ab alia parte, & pro formali eam partem quæ consideratur ut perfectiva alterius partis, quòd autem habeat quoq; causam finalem videtur satis per hoc probari, Quia illud dicitur habere causam finalem, quod fit propter aliquem certum finem, sed entia rationis fic fiunt, ergò, probatur mi. nam sæpè multa fingit intellectus ut faciliùs res propriè dictas explicare possit, ergò, tùm quia sæpè entia rationis facimus ut videamus intellectûs nostri fœcunditatem, subtilitatem, illimitationem, quòd videlicet ea quæ nec sunt, nec esse possint, concipere valeat; Quod autem habeat causam efficientem quasi res indubitata est, dubium tamen est, quæ potentia illud fabricare & facere possit? Et imprimis tot quot entia rationis admittunt, concedunt quoq; quod fiat per intellectum, ita quod, vel ideò dictum sit ens rationis, quia causam suam effectivam, rationem habet. Controversia tamen est inter Authores de aliis potentiis, Arriaga disp. 6. Metaph. existimat quòd ens rationis per omnes potentias sensitivas externas fieri possit, quem sequitur Baro: attamen isti veluti contra Torrentem natantes ab omnibus rejiciuntur; Mastrius & plures alii Scotistæ dicunt, quòd nec phantasia, nec ulla alia potentia materialis interna ens rationis facere possint, alii è contra affirmant tàm phantasiam, quàm alias potentias ens rationis fabricare posse, ita Suaretz disp. 14. Met. sect. 1. n. 18. Merinerius hìc q. 4. Fuentes, Arriaga, Baro, differunt tamen inter se quia aliqui putant solam phantasiam humanam, alii omnem

omninò

I. *Ens rationis habet omnia quatuor genera causarum.*

omninò ens rationis fingere posse, Plures Scotistæ denió; inter quos est Mastrius contra Pontium docent intellectum & voluntatem ens rationis tantùm fabricare valere, Antequam meam aperiam mentem prius.

Notandum 1. Quòd ens rationis propriè dictam causam etiam efficientem habere non possit, quandoquidem nec propriè ens est, unde causam efficientem habebit eo modò, quò est, cùm non sit, nec esse possit à se, qui est solius Dei benedicti conceptûs, nulli alteri absse communicabilis, unde causam habebit impropriè & metaphoricè, proportione scilicet aliqua ita videlicet, quòd sicut se habet causa realis ad effectum realem, ita & causa metaphorica ad effectum metaphoricum; Unde intellectus dici non poterit respectû ejus causa realis, quia denominatio causæ realis provenit non ab entitate causæ in quantum ens est, sed in quantum causa, per ordinem scilicet ad effectum, ut ergò causa dicatur realis, debet aliquid in effectu illi correspondere: unde illam denominationem desumat, sic Deus non dicitur causa vitalis respectu lapidis, nam licet in se vitalis sit ut causa, tamen hic & nunc non est vitalis: quia nihil in effectu est vitale, unde aliud est producere aliquid per physicam & realem virtutem, aliud physicè & realiter, hinc intellectus per suam cognitionem veluti per suam virtutem producit ens rationis, non tamen physicè & realiter, quia effectus non est physicus & realis.

Notandum 2. Ens rationis prout hìc pertinet ad nostrum propositum duplicitèr capi posse, primo propriè & in rigore pro eo videlicet, quod solùm habet esse ex vi rationis, seu intellectûs, unde etiam suam principalissimam desumpsit denominationem; Secundò minùs propriè & magis laxè, seu pro ente proportionali & æquivalente illi, quòd fit à ratione; quando ergò quæritur quæ potentia possit ens rationis efficere, non est sermo de ente rationis in prima acceptione tantùm, quia sic esset repugnantia in terminis quod alia potentia ab intellectu quæ dicitur ratio, ens rationis efficere possit, sermo ergò est etiam de ente rationis in secunda acceptione, nempè an sicut datur aliquod ens quod solùm existit objectivè in intellectu, ita detur, vel dari possit ens quod solùm objectivè existat in potentia aliqua distincta ab intellectu, unde quando dicit Scotus 1. d. 45. q. uni. & aliàs sæpè relationem impossibilem quam causat voluntas non esse ens rationis, intelligendus est non esse ens rationis in prima acceptione, benè tamen in secunda

Notandum 3. Ens rationis adhuc duplex esse, aliud materiale, quod scilicet formalitatem entis rationis non participat, potest tamen participare per actum potentiæ fingentis, quò sensu omnes negationes, privationes & denominationes extrinsecæ à Scoto frequentèr dicuntur entia rationis materialiter & fundamentalitèr, quia possunt intellectus vel alteri potentiæ præstare fundamentum fictionis, ut concipiat id quod non est ac si esset. Aliud est formale, quod scilicet actu participat formalitatem entis rationis, quia scilicet actu fingitur ab intellectu, vel alia potentia esse, & ita objectivè existit in ea, ut extra illam nec existat, nec existere possit, Quare etiam in præsenti non est quæstio de ente rationis in materialitèr accepto, quia sic non controvertitur: concedunt enim omnes tàm voluntatem, quàm alias potentias ens rationis facere posse, sed est quæstio de ente rationis in posteriori acceptione. Per notabile facilè explicari potest authoritas Doctoris, qui sæpè, ut dixi, negationes entia rationis vocat, eum videlicet, locutum fuisse de ente rationis materialitèr & fundamentalitèr accepto, non verò formalitèr. His prænotatis

Dico 1. *Nulla potentia externa ens rationis facere potest.* Hæc est communior contra Arriagam & Baronem. Probatur. Nullus sensus externus est collativus, Ergò nullus sensus externus, facere potest ens rationis. Verum tamen quia non videtur necessarium (de qua re paulò infrà) ut ens rationis semper per actum collativum formetur, ideò probatur conclusio aliter: Nullus sensus externus potest concipere quòd nec est, nec esse potest, ergò nullus sensus externus potest facere ens rationis: probatur ant. si posset sensus externus aliquid tale apprehendere, esset quando baculum integrum in aqua concipit esse fractum, vel colores in collo columbæ, vel aliquid simile, sed talia; esto non sunt, tamen esse talia possunt, potest enim esse baculus fractus in aqua & veri colores in collo columbæ, vel aliquid aliud simile, ergò, &c. Nec videtur egere conclusio pluribus probationibus, cùm sit communis, cujus veritatem ipsemet sensit Arriaga dum dicit, concludendo *videtur tamen sensu externos entia rationis efformare non posse*, & licet Baro sit obstinatior, utpotè qui solus, imò & totus (cùm præter formam dispositivam, methodumq; quâ ex objectionibus solitis duplices efformat conclusiones, ubi satisfaciunt alii una simplici distinctione nihil, aut raro affert novum aliquid præter quæstiones nominales) videri cupit. Confirmatur conclusio, quia omnia entia rationis sunt extra latitudinem objecti adæquati sensuum externorum, ergò: probatur ant. quia objectum adæquatum eorum est ens sensibile externum & materiale, sed entia rationis non sunt talia, ergò entia rationis sunt extra objectum adæquatum sensuum externorum, sed cum Arriaga

V. *Potentia externa non facit ens rationis.*

VI.

Dices; Potest Deus creare colorem alligatum alicui loco, & potentia visiva ipsum alibi videre, ergò potest videre colorem cum præsentia impossibili, ergò videre objectum quod nullum habet esse præter objectivum in potentia visive. ꝛ. dist. 1. conseq. Quantum est ex natura coloris, nego consequentiam, quantum ex Decreto Dei id provenit, concedo consequentiam, ex se enim color indifferens est ad hunc & illum locum. Unde non sufficit ad fabricandum ens rationis, ut concipiatur aliquid quòd non est, sed quod nec esse potest, ille color autem tàm in alio loco esse potest, quàm in collo columbæ; licet in eo non sint nisi colores apparentes.

Dico 2. *Phantasia potest facere ens rationis.* Ita Baro & plures Scotistæ in suis Manuscriptis contra Pontium, Mastrium, &c. Probatur conclusio, phantasia potest phantasiare & componere plures res inter se, quæ nec sunt, nec esse

VII. *Phantasia facit.*

possunt, ergò potest facere ens rationis: ant. patet, nam frequentèr somniamus de hircocentauris, chymæris, & aliis rebus omninò impossibilibus, sed illæ omnes operationes sunt phantasiæ, & vera entia rationis, ergò phantasia potest facere. Baro Conclusionem probat sic: Intellectus potest facere ens rationis, ergò etiam imaginativa, probat consequentiam, quia intellectus nihil agit nisi coagente imaginativa, unde est illud Aristotelis *oportet intelligentem phantasmata speculari*, si dicas: Phantasiam intellectum non posse sequi in omnibus, quia intellectus versatur circa universalia, imaginatio non, sed solùm circa accidentia & singularia. Respondet, 1. quærendo si phantasia non plus percipiat quàm accidentia, unde intellectus plus sciat & discat, cùm nihil sit in intellectu quod non prius fuerit in sensu. Secundò id nihil nocere, quia factio omnis circa singularia versatur, & ipsi sufficere dicit, si imaginatio faciat hoc numero monstrum, quod est ens rationis, licet non faciat monstrum ut sic. Per hanc probationem satis patet ad argumenta contrariæ sententiæ, quæ consistunt in his duobus: quòd nempè sensus internus non versetur nisi circa singularia, & quòd non possit percipere nisi accidentia, quia nihil plus percipit, quàm sensus externi antecedentèr percepêre. Verùmtamen in forma adhuc

VIII. Dices Cum Mastrio, & Pontio. Nunquam experimur quòd per phantasiam aliquod percipiamus nisi quod existit, aut existere potest, ergo: prob. ant. à Pontio fusissimè, quia si aliquid phantasia apprehenderet, quod nec existit, nec existere potest, hoc maximè faceret quando apprehenderet compositum aliquod ex impossibilibus verbi gratiâ ex equo & leone, sed dum hoc concipit, non concipit aliquid impossibile, nam solummodo concipit colores talium animalium cum tali figura externa, & conjunctione, quod esse potest: nam tales colores possunt esse simul & etiam talis figura, quàm discursum latè prosequitur Pontius, sed libentèr vellem audire probationem, quód phantasia non apprehendat nisi solam figuram externam, ego non video, cur non posset apprehendere substantiam: nam experientia constat multos in somniis non solùm figuram, aut colores apprehendere, sed etiam sæpissimè substantiam, & quæso cur non possit phantasia phantasiare substantiam equi & substantiam leonis, & illa simùl combinare, cum sit potentia comparativa, ergò benè dicitur quod phantasia faciat ens rationis donec contrarium probetur. Confirmatur responsio, Quia quando ovis vidit lupum venientem & fugit, tunc non apprehendit tantùm colores, ergò aliquid aliud à coloribus, ergò substantiam lupi, prob. ant. quia colores illi non sunt ipsi contrarii, quantum in se sunt, cum sæpè tales videat aliàs & tamen non fugiat, ergò etiã in somniis phantasia non apprehendit solos colores, sed etiam substantiam: adeoq; sequitur benè posse ens rationis facere. Hæc confirmatio non parùm est onerosa sententiæ contrariæ.

IX. *Voluntas potest facere ens rationis.* Dico 3. *Voluntas potest facere ens rationis*: Ita Scotus in 1. d. 45. q. un. n. 4. ubi dicit, *Si ens rationis, seu relatio rationis stricte sumatur prout denominationem suam habet a ratione, voluntas non facit ens rationis, si verò sumatur pro relatione rationis alio modo, id est, pro ea quæ nihil ponit in re, sive sit per intellectum, seu non, voluntas potest facere ens rationis.* Est etiam Mastrii, Baronis & multorum Scotistarum contra Pontium & alios. Probatur Conclusio. Quia voluntas omnia habet requisita ad ens rationis faciendum, ergò poterit illud facere: probatur ant. Nam imprimis & potentia collativa, ut docet Doctor quodlibeto 17. ex ratione patet, quia potest voluntas unum objectum comparare alteri, sicut intellectus: non quidem per modum judicii & cognitionis, sed per modum ordinis, ac acceptationis; tum quia voluntas potest dare esse objectivum alicui, ergò potest facere ens rationis: nam potest velle impossibilia, etiam ut talia ab intellectu ostensa, volitione saltem inefficaci, imò potest voluntas ex sua libertate bonitatem in objecto fingere, ubi reverâ non reperitur, nec reperiri potest, neq; ut bonum ab intellectu proponitur: ergò potest tale esse objectivum bonitate tribuere, quale requiritur ad ens rationis constituendum: patet consequentia, quia in tali casu voluntas est quæ primò fingit bonitatem in objecto, quæ non est, nec esse potest: & hanc non fingit intellectus; Per quod solvitur communis responsio scilicet quòd intellectus fingat illam bonitatem & voluntas præsupponat jam fictam, nam præter bonitatem veram & apparentem datur etiam secundùm Scotum bonitas præfixa, seu finis præstitutus in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & 4. Et est quando objectum ostenditur præcisè ab intellectu sub ratione mali, & voluntas tamen ex sua libertate & malitia præfigit ipsi aliquam bonitatem, quâ præfixâ tendit in illud objectum, tanquam bonum bonitate à voluntate præfixâ.

Arguitur Voluntas non potest ferri in aliquod objectum, nisi quod est ipsi ab intellectu propositum, ergò voluntas non potest facere ens rationis, sed præsupponet jam illud factum; R. dist. ant. quando voluntas fertur in objectum apparens peccando ex ignorantia, debet esse ab intellectu objectum propositum, aut concedo ant. quando tendit & fertur in objectum præfixum peccando ex mera malitia, debet esse objectum ipsi propositum ab intellectu sub ratione mali, vel impossibilis, nego ant. axioma itaq; vulgatum est tantùm verum, quando voluntas tendit in objecta aliqua, quæ ab intellectu proponuntur tanquam bona, vel tanquam apparentia bona. Hinc negatur consequentia.

X. *voluntas potest ferri in aliquid quod hic & nunc non est ipsi propositum ab intellectu.*

Instatur sequeretur ex data distinctione quòd voluntas tenderet in incognitum, sed hoc videtur fieri posse haudquaquam; nam *nihil* dicitur *volitum quin sit præcognitum*, ergò, probatur sequela quia bonitas in illo casu non esset ipsi ostensa in objecto, ergò. R. negando seq. ad probationem distinguo ant. in tali casu bonitas non esset voluntati ostensa ab intellectu, in tali & hoc objecto concedo ant. non fuisset ostensa in alio objecto nego ant. & consequentiam. sufficit itaq; quod intellectus ostendat voluntati bonitatem in alio objecto, vel etiam in abstracto, quia ostensâ voluntas potest applicare illam objecto etiam malo, unde non propterea dicetur ferri in incognitum.

Urgetur

Urgetur si bonitas illa, sive in hoc objecto, sive alio jam est ostensa voluntati; ergò non potest facere ens rationis, probatur sequela, quia jam præsupponitur esse factum, ergò. R. distinguendo sequelam, ergò non potest voluntas facere ens rationis dando ipsi primum esse objectivum concedo sequelam; dando ipsi secundum esse objectivum nego sequelam; primum esse supponitur jam acquisitum per intellectum, secundum tamen dat & præstat voluntas, Exindè autem non potest absolutè inferri voluntatem ens rationis conficere non posse, nam licet ens rationis sit factum per apprehensionem, non sequitur quin suò, & propriò novò modò possit fieri per judicium; sic pariter licet sit factum per intellectum, hinc non convincitur quin suò quoq; modò fieri possit per voluntatem. Unde videtur mihi etiam primum esse objectivum dare posse voluntatem, nam illa bonitas alibi, & quin alio objecto fuit ostensa, ut vera atque non ut ens rationis, quando autem acquirit esse à voluntate objectivum, in alio objecto, tunc primò habet esse tantùm objectivum ab ea, quod nec est, nec esse potest. Utrum autem ens rationis vocari debeat, prænotavi supra: quamvis non prout à ratione derivationem habet, imò Baro existimat etiam in hoc sensu, rationis ens dici posse, quia videlicet voluntas est aliquid rationis.

XI. Hactenùs egi de potentiis entis rationis confectivis, circa quas major est Authorum controversia, accedo nunc ad potentiam intellectualem quam ens rationis fabricare posse tot, quot illud concedunt affirmant, ut proindè examinare sit superfluum, an facere possit, est tamen necessarium discutere per quem actus illud fabricet, nam de hoc non rara est contentio inter Scholasticos.

XII. *Actus intellectûs sunt tres.*

Itaq; Notandum Actus intellectûs primos esse & præcipuos tres mentis operationes dictos, videlicet *apprehensionem*, dum objectum concipitur sine affirmatione & negatione; Judicium quando aliquid de subjecto, vel affirmatur, vel negatur, & *discursum*, seu unius ex alio *illationem*. Item alium esse assensum, alium dissensum, alium esse absolutum, alium respectivum, seu collativum; alios deniq; esse rectos aliosq; reflexos. Actus assensûs est unius de alio assertio, dissensûs est unius de alio negatio; Absolutus est, quando intellectus aliquid concipit sine ordine ad aliud, verbi gratia dum concipit hominem, lapidem, &c. quæ sunt entia absoluta: Actus collativus, seu comparativus est, quando intellectus considerat aliquid cum ordine ad aliud, verbi gratiâ si quis cognosceret animal esse prædicabile de homine & leone; aut Deum esse creatorem mundi, sive hoc faciat simpliciter apprehendendo, sive judicando: Actus rectus vocatur ille quò intellectus cognoscit aliquid directè, sivè apprehendendo, sivè judicando, seu discurrendo, seu sine discursu, non reflectendo se super suam cognitionem, seu non cogitando, an res illæ sint à se cognitæ, vel non, ut quando aliquis cognosceret Petrum, vel Paulum: Actus reflexus est, quando quis considerat rem ut à se cognitam, ut si quis postquam directè cognovit Petrum, velit se reflectere, aut considerare à se cognitum, aut Petrum habere à sua cognitione aliquam rationem, quam anteà non habuit. Circa quod dubium est, an per omnes enumeratos actus intellectus ens rationis facere possit, ad quod sine sententiarum diversarum citatione

XIII. *Intellectus per omnes actus suos facit ens rationis.*

Dico 4. *Intellectus humanus tàm per apprehensionem, quam per judicium, sive assensu sit, sive dissensu, & discursum, imò tam per actum absolutum & comparativum, quam directum & reflexum potest facere ens rationis.* Hæc Conclusio constat pluribus partibus, quæ pro se diversos habet authores, sed & diversos oppugnatores, attamen probatur per singulas partes, Et quidem primò quoad primam partem. Intellectus per primam mentis operationem potest apprehendere res, quæ nec sunt, nec esse possunt, ergò per primam mentis operationem potest fieri ens rationis, consequentia est manifesta, ant. probatur potest enim intellectus apprehendere terminos repugnantes invicem, ut cum concipit alium Deum à vero Deo distinctum, chymæram, hircocentaurum, hominem esse animal irrationale, equum esse animal rationale, nam ut aliquoties insinuavi per primam mentis operationem intellectus potest apprehendere non solùm vocem incomplexam *homo*, sed etiam totam hanc propositionem & similes, *Homo est animal rationale*, nihil de ea affirmando, vel negando judicativè, sed apprehensivè tantùm. Probatur conclusio quoad secundam partem, quòd nimirùm intellectum per secundam mentis operationem facere possit, Quia sicut per primam mentis operationem potest multa concipere quæ nec sunt, nec esse possunt, ita persecundam mentis operationem multa poterit, quæ nec sunt, nec esse possunt judicare, cur enim judicare non potest hominem esse brutum, hominem non esse animal, ergò. Dixi autem notanter, *sive judicium sit assensus, sive dissensus*, Quia sive aliquid affirmet, sive aliquid neget, dummodo illud esse non possit; ens rationis erit, quod de actu dissensûs, de quo major videtur difficultas particularitèr probatur sic. Per hoc judicium non solùm cognoscitur repugnantia chymæræ (si verbi gratiâ diceres, chymæra non datur, vel non existit) sed etiam ipsa chymæra cujus est negatio, seu de qua prædicatur negatio, ergò hoc judicium habet duplex objectum, negationem videlicet, & chymæram, ergò ex vi illius judicii est duplex objectum in intellectu objectivè, ergò ex vi illius judicii datur aliquid habens esse objectivè in intellectu tantùm, quod nullum scilicet habeat esse extra intellectum, sed illud quod habet esse objectivè tantùm in intellectu est ens rationis, ergò vi illius judicii datur ens rationis in intellectu; adeoq; tàm per assensum, quàm per dissensum judicii fieri potest ens rationis. Sed

XIV. *Negatio destruit existentiam realem Hircocervi non verò intentionalem.*

Dices; Per hunc dissensum verbi gratiâ per actum quò dicit intellectus, Hircocervus non existit, intellectus destruit existentiam hircocervi, & esse illius, ergò per hunc actum intellectus non facit ens rationis, quia cum destruat illius esse, non dat ipsi esse, ergò per hunc actum non fit ens rationis. R. per hunc dissensum intellectum intentionaliter destruere existentiam

Physicam hircocervi, & illius esse extra intellectum, nihilominùs per hanc negationem formalem tribuit ipsi esse objectivum in intellectu, quia ex vi istius actûs quô dicitur, hircocervus non est existens in rerum natura, constituitur existens objectivè in intellectu. Sed

Instabis ad minùs si quis haberet hoc judicium dissensûs, Hircocervus non est objectivè in intellectu meo, destruentur tàm esse physicum, quàm objectivum: ergò non per quemvis actum intellectûs & judicium dissensûs fieri potest ens rationis. Sed R. etiam per allegatum actum ens rationis fieri, quia ille actus effet intrinsece falsus, sicut falsus esset, si dicerem, Ego non apprehendo Petrum, cum hoc dicendo eum apprehenderem.

Urgebis, Hircocervus non existens est in rerum natura, ergò qui apprehendit chymæram, ut non existentem non facit ens rationis Respondeo tamen, Chymæram duo dicere; nimirùm negationem chymæræ, & ipsam chymæram, negatio ergò est â parte rei, non verò chymæra de qua fit negatio, quia illa solùm est in intellectu objectivè.

Probatur 2. p. Conclusionis discursu, Quia potest intellectus pravos efficere discursus, unum ex alio deducendo, quod tamen nullo modo sequitur, nec sequi potest, verbi gratiâ potest hunc discursum formare, *Homo est brutum, brutum est Deus, ergò Deus est homo*, ex quo Syllogismo nec sequitur, nec sequi potest conclusio data, ergò. Notandum autem conclusionem quoad probatas partes, imò & aliàs etiam intelligendam esse distributivè, ita ut sensus sit, alia entia rationis fieri posse per apprehensionem, alia per judicium, & alia deniq; per discursum.

Probatur Conclusio etiam quoad reliquos actus, nam prmò facere potest ens rationis per actum absolutum, quia potest rem concipere sine comparatione ad aliam, quæ tamen nec est, nec esse potest, potest enim intellectus concipere chymæram absq; eo quòd eam comparet ad aliam rem, ergò. Item per actum comparativum, Quia omnis relatio fit per actum conferentem, seu ordinantem unum ad aliud, sed potest intellectus relationes tales fingere, quæ nec sunt, nec esse possunt ergò. Similiter quod ens rationis fiat per actum directum, patet quia multa facit intellectus in esse objectivo, quæ nec sunt, nec esse possunt, non reflectendo se super illud verbi gratiâ formando chymæram non recordando an facta sit, vel cognita per aliam cognitionem.

Dices; Actus intellectûs quo fit ens rationis semper supponit alium actum intellectûs, ergò omne ens rationis fit per actum reflexum, probatur ant. ut enim paries cognoscatur visus, supponitur cognitio alicujus visionis terminatæ ad ipsum, ut fiat hircocervus supponitur cognitio hirci & cervi, ergò. R. distinguendo ant. Actus quo fit ens rationis præsupsupponit semper alium actum intellectûs, ita ut semper se super illum actum quem præsupponit reflectat nego ant. ita præsupponit ut habitâ cognitione hirci, & cervi fingat hircocervum, absq; hoc quod se reflectat concedo ant. licet enim ad hoc ut ego verbi gratiâ fingam hircocervum debeam præcognoscere quid sit hircus & quid cervus, dum actu tamen fingo necessè non est, ut me reflectam super hircum & cervum prout ipsa patet experientia.

Probatur deniq; Conclusio de actu reflexo, Quia multa sunt entia rationis quæ necessariò petunt ut alia præcognoscantur, ut est inter relationes rationem, & in probabilisententia quando de secundis intentionibusfabricantur, nam in probabili sententia intentiones secundæ sunt entia rationis.

Dices; Ens rationis nunquam potest fieri per actum reflexum, quia hic præsupponit ens rationis jam factum per priorem cognitionem directam; sicut per hoc quòd me reflectam super meam cognitionem non produco denovo cognitionem, sed cognosco jam factam per aliam, nempè directam. R. duplicem esse notitiam reflexam unam merè speculativam, alteram verò practicam & factivam. Reflexio speculativa est quando jam rem factam per reflexionem considero & contemplor, verbi gratiâ feci chymæram etiam reflecto me super illam factam, eamq; considero & contemplor, & per hanc reflexionem quæ merè speculativa est nihil producitur. Secundò est reflexio factiva, per quam fit ens rationis, verbi gratiâ cognosco parietem, dum autem cognosco parietem, ex qua cognitione resultat denominatio extrinseca, quæ non est ens rationis nisi materialitèr & fundamentalitèr, quatenùs videlicet mihi occasionem præbet ens rationis faciendi, si ergò volo ens rationis facere ex illa denominatione, tunc me reflectere debeo super parietem à me cognitum, & per illam reflexionem ponere cognitionem, vel aliam formam in pariete tanquam ipsi intrinsecè inhærentem, & tunc fit ens rationis, nam cognitio illa quam fingo parieti inhærere, non inhæret, & per talem reflexionem fit ens rationis. Unde in forma distinguo ant. per actum reflexum non fit ens rationis speculativum concedo, factivum, seu practicum nego ant. & conseq. Mihi videtur quod ad hanc replicam etiam benè responderi possit per ea quæ dicta sunt contra voluntatis fabricationem; quæ etiam præsupponit jam factum ab intellectu.

Quæres An intellectus angelicus possit facere ens rationis? R. affirmativè nam angeli multa concipere possunt quæ nec sunt, nec esse possunt, imò Lucifer solemnissimum fecit ens rationis, dum dixit, *Similis ero Altissimo*, nam nec similis Altissimo fuit, nec esse potuit, siquidem Deus super omnia benedictus, sicut nec dare vult gloriam suam alteri, ita etiam nec dare potest; quia alium Deum facere non potest.

QUÆSTIO VI.

De Causa Increata Entis Rationis?

I. *Duo examinantur in hac quæstione.*

Circa hanc quæstionem duo examinanda occurrunt, primum est, an videlicet intellectus divinus cognoscat entia rationis à nobis facta, aut licet impossibilis foret omnis intel-

intellectus humanus ea adhuc independentis ab eo cognoscere: secundò an possit entia rationis facere? utrumq; est inter Authores controversum, nam aliqui non modo negant Deum entia rationis facere posse, quod putant magnæ imperfectionis esse, verum etiam tenent Deum neq; quidem ea cognoscere, ita Vasquetz tom. 2. d. 118. cap. 4. Ruvius, Merinerius & plures Recentiores quæ sententia Arriagæ disp. 6. Met. sect. 5. Mira videtur & non sine causa, cùm videatur expresè contra Scripturam pugnare, mirum tamen est quòd Arriagæ ingenium à censuris hic abstinere potuerit, causam existimo esse suæ modestiæ, quia socius fuit. Alii è contra Nedum dum entia rationis cognoscere statuunt, verùm etiam asserunt Deum entia rationis facere posse, absq; ulla imperfectionis nota; ita sentire videtur D. Thomas, Oviedo, Arriaga & multi Scotistæ, Mastrius & Bellatus putant mentem Scoti non esse adeò expressam, ideò problematici sunt in hac materia. Alii verò Deum entia rationis cognoscere quidem posse, non tamen ea facere & hac viâ mediâ incedere Suarem testatur Comptonius, quem ipse sequitur, quamvis viderim eum alibi citatum veluti sui socii Vasquetz sententiam sequentem. quidquid tamen sit de hac re, ad resolvendam quæstionem progredior &

II. Dico I. *Intellectus divinus cognoscit entia rationis à nobis facta.* Hæc est communior contra Vasquetz &c. Probatur 1. Ex scriptura Sapientiæ 8. *Scit versutias sermonum & dissolutiones argumentorum, & monstra scit,* (entia rationis revera quædam monstra sunt) *antequam fiant.* Probatur Conclusio secundò authoritate nostrorum Doctorum D. Augustini. lib. 15. Trinit. cap. 13. *Non enim sunt ulla quæ nesciat,* In exposit. Ps. 93. *Oculos Dei nemo vitare potest, quia non solum in cubiculo videt, sed etiam intima cordis tui.* & in Ps. 134. *Latet cor bonum, latet cor malum, inquit, abyssus est & in corde bono & in corde malo, sed hæc nuda sunt Deo quem nihil latet.* Deniq; lib. 10. Confess. cap. 2. dicit: *Et tibi quidem Domine cujus oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me etiamsi nollem confiteri tibi.* D. Bernardi tract. de moribus & officio Episcop. & Prælat. *declarans quomodo omnia nuda sint oculis divinæ essentiæ* ait, *Cujus utiq; scientiam non effugit, sententiam non subterfugit etiam quod propriam latet conscientiam.* Et infra *meritò scit Dominus cogitationes hominum quoniam vanæ sunt, cur enim nesciret quas audit & videt,* sed inter vanas cogitationes, quæ magis recenseri possunt quam illæ fictitiæ: ergò Deus entia illa fictitia cognoscit. Et Scoti qui ex pluribus locis pro hac sententia citatur ut in 1. d. 30. q. 2. §. Respondeo igitur & d. 35. q. unica §. potest dici ad quæstionem & d. 36. & in q. d. 16. q. 2. Probatur Conclusio tertiò Ratione, si Deus non cognosceret omnia entia rationis à nobis facta sequeretur Deum non scire omnes hominum cogitationes, sed Deus scit omnium hominum cogitationes ut patet, tum ex scriptura, tum Patribus citatis, ergò etiam entia rationis. Probatur sequela ma. Cogitationes nostræ frequenter impossibiles sunt & chymericæ, ut cùm affirmamus equum esse rationalem, hominem esse brutum &c. Nec valet responsio Vasquetz, scilicet, cognitionem illam dicere solùm ad illa extrema realia, non verò ad unionem fictam inter ea, atq; ideò cognoscere solum intellectum divinum extrema illa realia, non verò ens rationis; Hæc inquam responsio non valet, Quia si Deus cognoscit tantùm illa extrema realia, & non unionem fictam, ergò non cognoscit omnes hominum cogitationes, quod est falsum, & hæresi sat propinquum: ant. probatur: illa unio quam Deus non cognoscit, homo cognoscit, ergò Deus non cognoscit omnia, quæ homo cognoscit & consequentèr nec omnium hominum cogitationes. Confirmatur Conclusio, quia si Deus non cognosceret entia rationis, sequeretur quòd non cognoscat omnem propositionem veram, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia propositio non potest cognosci esse vera, nisi cognoscatur esse conformis suo objecto, sed si Deus non cognosceret ens rationis non cognosceret objectum alicujus propositionis veræ, nimirum hujus: chymæra est ficta, chymæra est intellecta, quia objectum hujus propositionis est chymæra, seu ens rationis ergò.

Arguitur Si Deus cognoscit entia rationis à nobis facta, vel cognoscit, idem numero ens rationis per nostras fictiones fabricatum, vel aliud simile quod ipse fabricat, neutrum potest dici ergò: non primum quia illa entia rationis ita dependent ab intellectu nostro, ut à quovis alio intellectu dependere nequeant; nec secundum, quia Deus ens rationis fabricare nequit. R. concedendo primam partem majoris, & dum dicitur ens rationis ita dependere ab intellectu nostro ut non possit dependere ab alio distinguo; non potest dependere ab alio in esse & conservari concedo, in cognosci, nego: unde Deus benè entia rationis cognoscere potest. III.

Instatur Si Deus cognosceret nostra figmenta, jam illa cognosceret ad modum entis, quia sic continentur in nostra fictione, ergò efficit ens rationis: quia hoc est cognoscere non ens admodum entis veri, aut ficti. R. Deum illa cognoscere formalitèr & sicuti sunt, quia videt esse figmenta & ens rationis, & mediatè solummodò attingit illa per modum entis veri, aut ficti, quatenùs videt sic esse objecta nostrorum actuum.

Urgetur Voluntas facit ens rationis secundùm nos, etiamsi jam præsupponatur esse ab intellectu factum in quod feratur, ergò si intellectus divinus cognoscit entia rationis etiam ut à nobis facta, faciet ens rationis: probatur consequentia: sed eò voluntas de novo facit ens rationis licèt jam antea factum, quia est nova causa dans ipsi esse novum objectivum, sed quando intellectus divinus cognoscit entia rationis est nova integra causa dans novum esse objectivum, ergò cognoscendo entia rationis, faciet ea. R. negando consequentiam, ad cujus probationis ma. R. dist. eam, Ideò voluntas &c. quia habenti rationis novum esse objectivum intrinsecum, concedo ma. extrinsecum nego ma. & distinguo similitèr minorem, Intellectus divinus dat illis novum esse extrinsecum & denominativum, quale est illud quod

convenit etiam entibus realibus concedo min. Intellectus divinus dat illis novum esse objectivum intrinsecum & formale, quod solùm constituit ens rationis, nego minorem & consequentiam. Itaq; licèt esse objectivum extrinsecum dependeat à solo intellectu divino, non tamen propterea dici debet entia rationis facere, sed tantùm facta ab eo cognosci: hinc est quòd

IV. *Deus ex eo quod cognoscat entia rationis non facit ea.*

Dico 2. *Per hoc quòd Deus cognoscat entia rationis à nobis facta, Ex vi istius cognitionis non facit entia rationis.* Hæc conclusio sufficienter colligi potest ex solutionibus præteritæ Arguitionis. Verùmtamen ut res adhuc clarior evadat. Nota quòd ens rationis possit duplicitèr considerari, primò ut habet rationem effectûs, secundò ut habet rationem objecti, tunc dicitur ens rationis habere rationem effectûs quando à potentia comparare potente per fictionem esse sumit, verbi gratiâ, quando ego actu fingo chymæram; tunc autem habet rationem objecti, quando intellectus meus, vel alius cognoscit & considerat chymæram factam, & per hanc cognitionem non efficitur ens rationis: hoc prænotato. Probatur Conclusio 1. Per hoc quod Deus cognoscat entia rationis non fingit ea, sed solummodo ab intellectu nostro ficta cognoscit, ergò quandoquidem ex vi cognitionis illius non fingit, ex vi illius cognitionis non faciet ens rationis. Nec refert quòd ita cognoscendo det illis esse objectivum, nam non quodlibet esse objectivum est ens rationis, alioquin omnes creaturæ entia rationis essent, & omnia quæ intellectus noster intelligere potest, sed tantùm esse objectivum fictum, quod nec est, nec esse potest. Probatur Conclusio 2. Ens rationis non potest esse extra potentiam formantem illud, imò neq; extra illum actum quo dicitur formari, quia totum suum esse debet habere in illo & ex vi illius, sed quando Deus cognoscit entia rationis à nobis facta non solùm attingit illa ut extra suum actum, sed etiam extra suum intellectum, ergò ex vi illius cognitionis non facit.

V. *Deus independenter ab intellectu humano cognoscit entia rationis.*

Dico 3. *Deus independenter ab intellectu humano cognoscit entia rationis, & illa cognosceret etiamsi nullus esset intellectus creatus, vel possibilis.* Probatur Deus independenter ab intellectu cognoscit hircocervi repugnantiam, seu negationem hircocervi, sed non potest cognoscere negationem quin cognoscat illud cujus est negatio, ergò etiamsi nullus esset intellectus possibilis, Deus cognoscens negationem hircocervi necessariò cognosceret hircocervum: ma. negari non potest, nam esset in Deo imperfectio: minor probatur hæc negatio hircocervi habet esse remotionem, & non esse hircocervi potiùs quàm Leonis, ergò Deus cognoscens hanc negationem cognoscit esse remotionem & non esse hircocervi, quod non habet respectu leonis: ergò eô ipsô quô cognoscit hanc negationem cognoscere debet hircocervum. Probatur 2. De ratione perfectionis intellectûs divini est cognoscere omnem veritatem, seu habere omnem actum verum, sed actus quô Deus dicat hircocervus repugnat, est actus verus, ergò ad perfectionem ipsius spectat hunc habere, ergò hunc habendo cognoscit hircocervum per actum dissensûs, quod intendo quia dici nequit Deum cognoscere per assensum objectum non existens, & simplicitèr repugnans.

Dico 4. *Si talis cognitio sufficit Deus potest facere ens rationis, maximè id verum erit de actu dissensûs.* Ita Oviedo & Pontius, Mastrius quidem & Ballutus rationes Oviedo impugnant, sed non solvunt. Probatur Conclusio quoad primam partem. Deus cognoscit ens rationis directè; ergò si ista cognitio sufficit Deus ens rationis facit, ant. patet, probatur consequentia, quia sicut tunc ex tali cognitione nulla oritur imperfectio, ita nec sequatur aliqua imperfectio in fabricatione entis rationis ergò: probatur sequela, quia cognoscere rem sicut est cognoscibilis in se imperfectionis non est, sed ens rationis est tantùm cognoscibile in se, ut per ordinem ad aliud ens intelligatur ergò. Secunda pars Conclusionis sequitur tum ex prioris conclusionis probationibus, uti etiam ex præterita quæstione. VI. *Si hæc sufficit Deus facit.*

Arguitur. Deus non potest cognoscere objectum alitèr quàm est, ergò non potest facere ens rationis: probatur ant. Quia non posset concipere chymæras nisi conciperet partes incomponibiles, sed concipiendo partes incomponibiles conciperet & cognosceret rem alitèr quàm est, ergò. R. dist. ant. Non potest cognoscere objectum alitèr ac est ex parte actûs, hoc est per actum, quô judicet existere, quod non existit, seu non existere, quod existit concedo ant. Non cognovit rem alitèr ac est ex parte objecti, id est non cognoscit formalitatem quæ non est, per dissensum nego ant. cujus probationem ma. etiam distinguo, nisi conciperet partes incomponibiles realitèr, concedo, intellectualitèr nego ma. & distincta sic minori nego consequentiam. VII.

Instatur Tunc concipitur res alitèr quam est tam ex parte actûs, quam ex parte objecti quando aliquid fingitur esse quod nec est, nec esse potest, sed si Deus conciperet rem alitèr quàm est ex parte objecti, tunc fingeret, ergò conciperet rem alitèr quam est; R. transeundo majorem, distinguendo mi. si ita conciperet illud impossibile, ut illud affirmaret esse, fingeret concedo mi. si ita concipit illud impossibile, ut illud neget esse, fingit; nego mi. Itaq; tunc non ponit figmentum, sed Physicè destruit illud, quamvis objectivè maneat adhuc in intellectu.

Urgetur Si manet adhuc in intellectu, non evitatur adhuc quomodo non fingat, ergò nulla solutio, probatur ant. Quia tunc manet aliquid in intellectu quod nec est, nec esse potest, sed quod est tale est quid fictum, ergò non evitatur adhuc fictio. R. 1. Quod sicuti non fingit licèt in illo intellectu divino sint cognitiones nostrorum figmentorum, ita nec hic fingit licèt in eo essent illa quæ esse posse negantur, nam sicut non errat errores nostros & peccata reprobando recto suo & justo judicio, ita non fingit reprobando figmenta & chymæras à nobis factibiles, hinc in forma R. 2. negando ant.

ant. cujus probationem distinguo, sed quod est tale est quid fictum, si asseratur & concipiatur tale per assertionem concedo mi. per negationem nego mi. & consequentiam.

VIII. Solet hic A nonnullis fusè examinari multiplicitas entis rationis & divisio, nam aliqui dividunt in negationem & privationem, alii in relationem, alii fundatum in re, & aliud non fundatum in re, quod idem est dicere ac esse ens rationis materialitèr, vel formalitèr; attamen cùm non tantùm imò nullam quodammodo reperio in hac re utilitatem, & cùm rationis sit ad placitum rationis videtur certè posse multiplicari divisio, ideò puto congruè dividi in tot classes, quot dividitur ens reale, nam cum analogicè participet rationem entis, eâdem ratione poterit participare prædicamenta entis realis, cùm intellectus prohiberi non possit, cur non ad similitudinem realium prædicamentorum, prædicamenta, rationis confingat.

QUÆSTIO VII.

De Primis & secundis Intentionibus, & an sint ens Rationis?

I. *Non sumitur in intentio pro objectiva notionali.* Non sumo hic intentionem prout á Theologis sumitur juxta vulgatum scilicet, *Quidquid agunt homines intentio judicat omnes*, sed sumo potendentia potentiæ in objectum, unde species intelligibiles quibus intellectus, & sensibiles quibus sensus excitantur & adjuvantur ad percipiendum objectum vocantur species intentionales, & productio talium specierum vocatur actio intentionalis, attamen magis specialitèr adhuc hic ago de tendentia intellectûs, Circa quam materiam multæ, diversæq; sunt & fuêre sententiæ nonnulli etiam copiosissimè eam pertractant, & alii vix obitèr perstringunt, quare medio tutissimus ibo, aliquid dicendo de iis quod utile necessariumq; videri poterit, & superfluam tractationem omittendo, Itaq;

II. *Intentio est duplex.* Intentio duplex est: alia formalis, alia objectiva, formalis est ipse actus intellectûs quo tendit in suum objectum; objectiva verò est ipsum objectum in quod tenditur. Utraq; subdividitur in primam & secundam; Intentio prima formalis est actus intellectûs cognoscens aliqua prædicata convenire rei independentèr ab intellectu: secunda verò formalis dicitur actus quo cognoscuntur aliqua prædicata rei convenire dependentèr ab intellectu. Intentio objectiva prima, sunt illa prædicata rei independentèr ab intellectu convenientia: objectiva verò secunda sunt prædicata rei ipsi dependentèr ab intellectu conveniëtia, Primi generis sunt *homo* verbi gratiâ *lapis &c.* actus verò in illa objecta tendentes dicuntur intentiones primæ formales; secundi generis verò sunt *esse genus, esse speciem, &c.* & actus illa prædicata cognoscentes dicuntur intentiones formales secundæ. Hinc collige rem primò intentionalitèr sumptam esse illam prout dicit prædicata intrinseca independentèr ab intellectu: secundò verò intentionalitèr sumptum esse prout dicit prædicata dependentèr ab operatione intellectûs. Hoc soluto ad secundam partem quæstionis.

III. *Nulla intentio est ens rationis.* Dico *Nec prima, nec secunda intentio formalis aut objectiva dicit ens rationis formaliter.* Ita Pontius & sat frequens in Scholis contra communiorem, quam Baro melius oppugnare non potest, quàm si non essent entia rationis, deberent esse denominationes extrinsecæ, sed tales nullæ dantur, ergò sunt entia rationis: verùm hæc ratio in sententia mea nihil negat, quià contra eum denominationes extrinsecas propugno: De primis difficultas non est, unde Probatur conclusio de secundis; Quia si ulla intentio secunda esset ens rationis formalitèr maximè *genus, species, prædicatum, subjectum &c.* sed hæ non sunt, ergò nulla; probatur mi. quia esse prædicatum nihil aliud formaliter dicit, nisi actum intellectûs enuntiantem rem illam, quæ dicitur prædicatum; similitèr genus nihil aliud dicit formalitèr, nisi aliquem actum intellectûs extrinsecè denominantem rem illam quæ genus dicitur, & universalitèr secunda intentio non est aliud formalitèr, quàm actus intellectûs peculiari aliquâ respicientiâ rem denominans, sed hæc omnia habentur à parte rei, sicut & aliæ denominationes, ergò

IV. Dices Non potest intelligi aliquid esse comparatum alteri nisi intelligatur aliquis ordo inter comparata, sed talis ordo est ens rationis, ergò in rebus sic comparatis per actum intellectûs sequitur ens rationis, & consequentèr secundæ intentiones sunt ens rationis. R. aut nullum ordinem sequi, aut si sequitur esse relationem realem actualem, vel aptitudinalem, quod hoc argumento probari potest; Actus simplex potest dare denominationem apprehensi absq; ullo respectu rationis, ergò etiam comparativus denominationem comparati absq; ullo tali respectu.

Hæc de Ente Rationis ad Entium Entis DEI gloriam.

PARS

PARS II.

TRACTANS ISAGOGEN PORPHYRY.

PROLOGUS.

TRactatus hic utilisimus, sed & est difficilis, qui Dialecticorum studio in grandem excrevit sylvam; plura tamen necessario fuêre fusius tractanda, idq; hic, & non in Metaphysica ut nonnulli sunt opinati; nam ad Syllogismum conficiendum potissimum faciunt universales propositiones, quæ sine cognitione universalium (nam tractatus hic aliàs de universalibus intitulatur) minus claræ erunt, & magis ambiguæ, per plerumq; reddentes animum ignorantis universalia. Notandum autem Tractatûs de Universalibus Authorem non esse. Aristotelem, sed Porphyrium, ut titulus positus præ se fert, Fuit autem hic Porphyrius proprio nomine dictus *Malchus*, cognomine *Porphyrius*, natione Phœnix, Tyrius patriâ, seu ut Baronius tom. 2. suorum Annalium asserit, natione Judæus, Bathaniæ, quæ est Judææ Civitas, natus, Religione quondam Christianus: sed postmodum à fide Apostota; doctrinâ non tam Aristotelicus, quam Platonicus vixit Aureliano, & Diocletiano deinde Constantino Imperatoribus, Præceptores habuit Plotinum & Langium Criticum, Condiscipulum Originem, Auditorem verò inter alios Chrysaorium Patritium Romanum, cujus rogatu hoc opus edidit; nam cùm Chrysaorius Cathegorias, seu Prædicamenta Aristotelis legeret, & frequens mentio generis, speciei & differentiæ incideret, quæ verba non intelligens Porphyrium ut sibi has quinq; voces explicaret rogavit: Cui assentiens licèt tunc ut testantur Connimb. apud Lilibæum Siciliæ Promontorium in Æthnæ ignis historia componenda occuparetur, præsens opus edidit, intitulans illud Isagogen, id est: Introductionem ad Aristotelis Prædicamenta, quod opus licèt ab Authore impio editum, permittit Ecclesia ut sequi possit; ob cujus utilitatem etiam illud hic, cum communiori, omissis variis Authorum opinionibus de objecto hujus tractatûs, examinabo. Sit igitur ad DEI Gloriam.

DISPU-

DISPUTATIO I.
DE UNIVERSALIBUS IN COMMUNI.

SOlent nonnulli *Tractatum hunc remittere ad Metaphysicam, ad quam propriè existimant spectare agere de naturis rerum; alii è contra aliquid tractant hic de universalibus, & aliquid in Metaphysica, inter quos est Mastrius & Bellutus, qui de universali in prædicando agunt in Logica, in Metaphysica de universali in essendo, Verùm tamen quia universale in essendo, est fundamentum universalis in prædicando ex eo quod natura humana est in Petro Paulo &c. prædicatur de illis, hinc ne nimiam faciam materiarum discretionem hic non modò de Logico, verùm etiam Metaphysico agam, nam facilius Logicum cognoscetur, si universale in essendo debitè fuerit præcognitum, quoniam è contra ignorato fundamento ægrius capitur, quod supra illud fundatum est, sit igitur Ad Universalis Causæ gloriam.*

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Universale?

I. Universale ex eo dicitur & derivatur quia dicit ordinem ad multa, hinc quia pluribus modis aliquid potest dicere ordinem ad multa: ideò multis quoq; modis universale accipi potest; nam primò dividitur universale, *in incomplexum & complexum*, hoc dicitur aliqua propositio ex qua multæ aliæ propositiones deduci possunt, *omne bonum est amandum; non sunt multiplicanda entia sine necessitate; non debet fieri per plura quod potest fieri per pauciora &c. Universale incomplexum* est aliquod unum, quod esto non sit propositio, dicit tamen ordinem ad plura, *ut animal, homo, brutum &c.* & tale universale incomplexum (vocatur etiam simplex) quadruplex est: aliud enim est *in causando* aliud *in significando*, aliud *in essendo*, & aliud denique; dicitur *in prædicando*: *Universale in causando* sunt omnes causæ quæ notæ sunt causare plures effectus, talis universalis causa *est Deus* super omnia benedictus, Cœli, sol, &c. qui multos effectus sublunares producunt. *Universale in significando* seu repræsentando est illud quod potest plura significare, vel præsentare, sic *cometa*, qui plures morbos & effectus varios impendentes & imminentes pronuntiant, *voces sive scriptæ, sive probatæ*, quia plura significant universalia in significando vel repræsentando vocantur. *Universale in essendo* sunt naturæ quæ existunt in pluribus inferioribus ut homo & equus: sunt enim res communes & suis singularibus unitæ, nam in Petro & Paulo verè est *natura humana*, in *Buccephalo*, & *Xantho* est natura equina, quæ vocantur etiam universalia Metaphysica, in quantum videlicet naturam rerum considerare est Metaphysici, materiale, fundamentale & primæ intentionis, Et est adhuc duplex, *Remotum* scilicet & *Proximum*; *Universale Metaphysicum remotum* est ipsa natura existens in suis singularibus cum sua unitate formali, verbi gratiâ natura humana quæ est in Petro, vocatur universale Metaphysicum remotũ: Universale Metaphysicum *proximum* est natura ipsa exuta sua hæccitate & differentiis & induta unitate præcisionis, verbi gratiâ si natura humana quæ est in Petro, & hæccitata concipiatur per intellectum sine hæccitate & differentiis tunc natura sic considerata, vocatur universale Metaphysicum proximum. Universalia in prædicando vocantur ista quæ prædicantur de multis: sic quia homo prædicatur de omnibus hominibus, equus de omnibus equis universale appellatur in prædicando, quod etiam dicitur universale formale in actu, & pro secunda intentione: quia nimirum importat ipsam intentionem universalitatis quæ intentio veluti forma denominat universale in actu, dicitur etiam *Logicum*, quia Logicus maximè de rebus tractat sub secundis intentionibus, In ista ergò disputatione, imò in tota hac parte non agam amplius aliquid de universali in causando, aut præsentando, seu significando, sed tantùm de universali in essendo & prædicando, Pro intelligentia ergò dicendorum.

II. Nota. Naturam quam vocamus universalem, videlicet quæ pluribus in esse potest triplicem habere statum ut colligitur *ex Scoto 2. d. 3. q. n. 7. Primus status* est naturæ secundùm se præcisè consideratæ prout præscindit ab omni illo, quod non est de conceptu quidditativo ejus, vel saltem ut præcedit differentiam contrahentem. *Secundus status est* naturæ ut formalitèr contractæ per differentiam. Tertius status est naturæ per intellectum abstractæ, & iterum suâ differentiâ denudatæ. In quolibet autem ex prædictis statibus plura reperiuntur instantia vel saltem signa naturæ vel originis, in quibus diversa prædicata competunt naturæ universali: In primo statu reperiuntur plura instantia, in quorum primo est tantum natura nuda cum suis prædicatis essentialibus in primo modo dicendi per se, in quo sensu ait *Scotus loc. cit. num. 7. ex Avicenna 1. Met. quod Equinitas sit tantum equinitas, & non universale una vel plures:* unde nullius contradictionis alterum extremum ipsi competit in tali statu, nisi hujus esse & non esse: cæteræ omnes contradictiones sunt posteriores illo statu: in secundo instanti seu signo ejusdem statûs competunt naturæ universali prædicata per se secundo modo ipsi propria, seu propriæ passiones tàm positivæ quàm negativæ. In secundo statu reperiuntur similitèr diversa instantia, in quorum primo natura est contracta, seu singularizata, in secundo competunt ipsi propriæ passiones verbi gratiâ unitas numeralis, indivisibilitas in partes subjectivas, seu incommunicabilitas, & in tertio signo competunt ipsi accidẽtia separabilia seu rationis sint, sive realia; & quod dixi in primo statu competere ipsi suæ prædicata quidditativa, & in secundo passiones: hoc intelligendum est quando habere potest, ut excludatur ens ut sic, ejusq; propriæ passiones vel modi intrinseci. In tertio denique statu similitèr plura sunt instantia seu signa, in quorum primo amittit omnia quæ ipsi competebant, in secundo

Natura quæ dicitur universalis in triplici potest considerari statu.

In quolibet statu sunt plura instantia.

ſtatu, non verè & ſimplicitèr, quia hoc eſt impoſsibile: ſed per operationem intellectûs illam denudantis differentiâ contractivâ ſive ſpecificâ, ſive individuali, ſive modis intrinſecis, item unitate numerali, accidentibus ſeparabilibus, & determinatione ad unum; In ſecundo autem ſigno acquirit per operationem intellectûs aliqua prædicata quæ nunquam antea habuit: verbi gratiâ eſſe abſtractum, eſſe proximè prædicabile de pluribus, item communitatem aliquam poſitivam & alia hujuſmodi. His prænotatis ad primam partem tituli, ſecunda namq; ſufficienter jam reſoluta eſt per dicta.

III. *Deſcribitur universale Metaphyſicum.*

Dico 1. *Universale Metaphyſicum benè deſcribitur quòd ſit aliquod unum natum aptum eſſe in multis.* Hæc eſt communis. Eam tenet etiam D. Auguſtinus dum dicit cap. 7. Catheg. *nomina communia* (id eſt univerſalia) *ea eſſe quæ de ſubjecto ſignificantur* id eſt quæ ſubjectis partibus in ſunt & ſic de illis prædicantur, & ne ſuſpiceris illum ſententiæ nominalium favere, quaſi ſola nomina ſint univerſalia, non verò res ita cap. 9. cit. audias eum loquentem & ſe explicantem: *Manifeſtum eſt autem ea quæ de ſubjecto ſignificantur & nomen & rationem nominis habere communem, ut homo & ſubjecto aliquo ſignificatur homine, ſed non ſolum nomen, verùm etiam rationem eandem in ſubjecto invenies, in eo quod de ſubjecto ſignificatur poteris invenire.* Eſt etiam Ariſtotelis 7. Met. t. 45. dum inquit: *Hoc enim dicitur univerſale quod in pluribus natura aptum eſt eſſe.* ubi licèt non expreſsè ponat illam particulam *unum*, tamen ſufficienter ſubintellexit per illam particulam *hoc*, nam omne *hoc* demonſtrat aliquam unitatem. Explicatur itaq; Concluſio per omnes ejus partes, quæ explicatio erit ipſa probatio, quoniam cæteroquin jam convenit omni & ſoli univerſali Metaphyſico. Dicitur *aliquod unum*, per quod intelligitur aliquid reale poſitivum, unde excluduntur à ratione univerſalis hic negationes, privationes, & entia rationis, eſto enim poſsit dari aliqua una ratio univoca negationibus & privationibus, tamen de ſolo univerſali poſitivo hic agitur quia illud ſolum eſt, quod ſpectat per ſe ad cognitionem prædicamentorum, Per unum etiam intelligitur unum per ſe, & non unum per accidens: quia Philoſophis non placuit hic agere de uno per accidens ſed de uno per ſe, quia hoc ſolum unum ponitur in prædicamento, hinc de illis in tantum agunt, in quantum ad cognitionem prædicamentorum inſerviunt. Notandum tamen illud univerſale quod dicitur unum non debere eſſe quid completum, ſed incompletum nam univerſale ut ſic continet ſub ſe ſua inferiora, videlicet quinq; ſpecies de quibus prædicatur verè quòd ſit univerſale, certum autem eſt ex illis differentiam & proprium non eſſe quid completum, ergò univerſale hic definitum non debet eſſe quid completum. Dicitur *aptum in eſſe multis*, quod videlicet univerſale tale eſſe debeat, ut eſto de facto non ſit, poſsit tamen eſſe in multis cum ſui multiplicatione, atq; diviſione, ſicut de facto natura humana eſt in Petro & Paulo, ut Petrus & Paulus poſsit dici duo homines. Hinc à ratione univerſalis excluduntur omnia individua, quæ eſto poſsint eſſe in pluribus locis, quia hoc tamen non fit cum ſui multiplicatione, univerſalia non dicuntur. Item excluditur eſſentia divina quæ licèt ſit in pluribus perſonis quia tamen eſt ſine ſui multiplicatione, univerſalis dici non poteſt, ſed non excluditur à ratione univerſalis natura ſolis, natura lunæ, &c. quæ eſto non ſit niſi unica quia tamen plures poſsibiles ſunt ideò natura ſolis & lunæ verè naturæ univerſales dici poſſunt.

IV. *Deſcribitur universale Logicum.*

Dico 2. *Universale Logicum eſt unum aptum natum prædicari de multis.* Hæc concluſio ſequitur ex priori & quemadmodum ſuperius ſingulæ fuêre oppoſitæ partes, ita paritèr iſtæ exponi debent, Eſt tamen *Divi Aug. ſupra, Ariſtotelis 1. Perich. cap. 5.* ubi ait: *Dico autem univerſale quod in pluribus prædicari natum eſt ut homo quiddam univerſalium eſt: ſimilia habet lib. 1. poſt. cap. 10. & 15.* Nec hæc Concluſio ulterioribus eget probationibus. Attamen pro Complemento quæſtionis.

V. *quomodo unitas & aptitudo ſit de eſſentia univerſalis.*

Quæres An unitas & aptitudo quæ ponuntur in definitione data univerſalium, ſit de eſſentia? Rz. univerſale eſſe nomen concretum, pro materiali dicens ipſam naturam quæ talis dicitur, verbi gratiâ naturam hominis, vel naturam animalis, pro formali verò univerſalitatem, ſeu formam à qua dicitur univerſalis, itaq; ſi ſermo eſt de univerſali materialitèr hoc eſt de illa natura quæ dicitur univerſalis, certum eſt, nec unitatem nec aptitudinem eſſe de ejus eſſentia, ſed ad ſummum proprietatem; ſi verò ſermo ſit de univerſali formalitèr, quandoquidem ut ſic nihil aliud dicit ac ipſam unitatem & aptitudinem, non debet dubitari quin illa ſint de eſſentia ejus, ſicut albedo eſt de eſſentia albi materialitèr, nec de hoc alia eſt quæſtio, quam de nomine

QUÆSTIO II.

Utrum detur à parte rei natura communis?

I. *Occham reſuſcitavit ſententiam eorum qui non niſi de nominibus diſſut.*

Errorem Heraclii Epheſii, Cratyli, & Ambieſtinis, ac totius Epicuræorum gregis nullam admittentem ſcientiam propter rerum mutabilitatem & fluxibilitatem, reſuſcitavit noviſsimis temporibus Guilielmus Occham Scoti quondam diſcipulus, qui nullam ſcientiam dari affirmare & aſſerere non audens, eam de ſolis nominibus haberi propugnavit: tantoq; ſtudio in ea defendenda incubuit, ut venerabilis inceptor ſit appellatus, quæ materia quoq; cauſa fuit & origo quod Illi, qui aſſerant omnem ſcientiam de ſolis nominibus haberi, Nominales ſint appellati, ſicut èconcra qui defendunt dari naturas communes veras & reales quæ non ſunt nudæ voces & conceptus, nomen adepti ſunt, ut vocitentur Reales, ut proinde in tota Schola Realium, ſcilicet Divi Thomæ & Doctoris ſubtilis pro certiſsimo defendatur, dari naturas tales quæ citra fictionem dicantur communes, quamvis nonnihilum poſtea tam in aſsignanda unitate, communitate & aptitudine inter ſeſe differant, de quibus ſingulis ſingulas inſtituam per

decursum quæstiones; hinc tamen id examinabo tantum, ut aliud nihil sim resoluturus nisi contra Nominales præcisè, non curando de modo quo admitti debeant quomodo singularibus insint, vel ab iisdem distinguantur, qualis sit unitas & communitas & plura alia quæ occurrunt, unde ad quæstionem resolutivè,

II. Dico *Dantur universales, seu communes naturæ, adeoq; universalia in essendo quæ non sunt nudæ quædam voces, aut conceptus, sed reales quædam naturæ in ipsis rebus existentes.* Ita utraq; Schola Realium *Scoti. 2. d. 3. q. 1.* D. Thomæ cum omnibus suis. Probatur Conclusio 1. Authoritate sanctorum Patrum D. *Augustini lib. 14. Trinit. cap. 6.* ubi universale vocat *nomen multarum rerum & cap. 1.* Catheg. dicit: *Cum Leonem vel taurum dixeris, omnes qui ubiq; sunt sub uno nomine naturæ succedunt & cap. 2. Res plures commune nomen accipiunt.* & alibi sæpe similia habet D. Bernardi qui plurimum commendat scientias imò sermone primo de Ephiania divini, refutat illud Platonicum quasi animæ vel substantiæ & naturæ antea extitissent quæ postea corporibus infusæ reminiscerentur ibi perceptorum non verò quòd novi aliquid discant, *Adde quod de consideratione lib. 2. cap. 4. definit hominem quod sit animal rationale*, ubi non definit Petrum vel Paulum sed aliquam naturam talem cui primò competunt hæc prædicata animal rationale, & postmodum primò Petro, Paulo, vel Eugenio. Divum Anselmum hic addo, qui in sua Dialectica dicit: *Cautissimè ad sacræ paginæ quæstiones accedunt & sunt monendi utiq; nostro tempore Dialectici* (imò Dialecticæ hæretici) *qui quidem non nisi flatum vocis putant esse universales substantias*: ergò universalia in essendo *non sunt voces*, sed erunt quædam naturæ communes. Probatur Conclusio secundò Authoritate *Aristotelis 4. Met. 22.* ubi carpit eos Philosophos qui tantùm singularia agnoscebant in rerum natura. *& 2. Met. 15. Rationem animalis communem eandem esse in omnibus speciebus & 7. Met.* docet *definitionem non esse singularium sed universalium* quòd etiam de scientia dixerat 1. Post. 5. &c. alibi ex professo contra Platonem disputat non negando dari naturam communem sed impugnando eam non dari prout Plato docebat scilicet extra singularia subsistentem.

III. Probatur Conclusio Ratione 1. Hæc vox *homo* non immediatè significat mihi Petrum, Paulum, & Joannem, neq; *hæc* vox *animal* immediatè significat hominem, & Leonem, sed aliquam naturam, secundum quam illa inferiora conveniunt, ergò præter voces & conceptus admittendæ sunt naturæ communes in rebus existentes: probatur ant. Quia tam per voces quàm per conceptus significantur immediatè res secundùm rationem illam secundùm quam concipiuntur, sed non concipiuntur secundum rationem singularium, sed secundùm rationem communem, ergò per tales voces aut conceptus non significantur immediatè singularia, sed aliqua ratio aut natura communis: ma. patet probatur mi. Quia singularia ex vi talis conceptûs universalis conveniunt sed si conciperentur immediatè, singularia, non convenirent, quia singularitates sunt rationes potius disconveniendi, ergò.

Dices Voces & conceptus immediatè significant omnia singularia in confuso, & absq; ulla distinctione, sed R. contra hanc communem solutionem Nominalium, si ex vi conceptûs vel vocis universalis illa plura confusè significantur, seu prout confunduntur in unum, quæro: quæ est illa ratio communis in qua confunduntur & communicare dicuntur? sanè non ipsa singularia, ergò debet esse aliqua natura communis quæ sit immediatum significatum vocis universalis, & immediatum objectum illius actûs confusivi plurium in unum. Contra secundò si voces immediatè significarent totam collectionem singularium in confuso, sequeretur, quòd tota collectio posit de illo prædicari de quo enuntiatur, verbi gratiâ vox homo, de Petro, cum dicitur Petrus est homo, sed ista collectio non potest prædicari de Petro, ergò non significat immediatè illam collectionem: probatur minor quia alias de Petro posit dici quod esset Paulus, Joannes, Jacobus, &c. sic de cæteris omnibus, quia omnes alii in tota collectione comprehenduntur. IV.

Instabis Idem argumentum currit contra illos qui objectivè unam naturam communem præscindunt, quia in illorum sententia universale quoq; continet plures rationes abstractas inter se distinctas, quarum collectio de nullo inferiori prædicari potest, ergò R. negando ant. quod scilicet apud objectivè præscindentes universale contineat plures rationes distinctas, quia in nostra sententia universale continet in unam rationem abstractam, quæ de omnibus & singulis inferioribus, & importat immediatum significatum universalis vocis, ut animal naturam communem animalis, homo naturam communem hominis ut infra magis videbimus. Sed

Replicabis Natura nullo modo de quolibet individuo prædicari potest, quia illa natura esset omnium hominum, sed natura omnium de quolibet individuo prædicari potest, quod probatur: Quia si natura omnium de quolibet individuo prædicari posset verbi gratiâ de Petro, sequeretur quod Petrus haberet naturas omnium hominum, quod tamen falsum est, quia Petrus habet naturam distinctam ab omnibus reliquis hominibus. R. negando primum ant. cujus probationem statim per modum rationis adnexam distinguo. Natura illa esset natura omnium hominum per in existentiam nego, per indifferentiam concedo, cujus probationem similitèr distinguo: sequeretur quod Petrus haberet naturam omnium hominum per inexistentiam nego per in differentiam concedo sequelam; Itaque Natura etiam contracta retinet quandam indifferentiam negativam, ut posit esse in alio individuo, quia non nisi extrinsecè est singularizata. V.

Probatur Conclusio Ratione 2. Universale prædicatur de singularis inferioribus, sed si non importat unam naturam, sed immediatè collectionem & aggregationem omnium individuorum, non poterit de singulis prædicari: ergò universale non dicit immediatè VI. *Probatur Conclusio 2.*

collectionem omnium individuorum, sed unam naturam communem; probatur minor quia tota collectio, in qua nominales statuunt universalitatem, exprimitur per hoc complexum *Omnis homo*: sed hoc complexum non potest de Petro prædicari, quia falsum est, quod Petrus sit omnis homo, ergò. Nec negare possunt quòd tota illa collectio verbi gratiâ omnium hominum bene explicetur per hoc complexum, quia secundum ipsos universale non importat unam naturam communem, sed totam collectionem, sed talis collectio benè explicatur per hoc complexum omnis homo. Quæ probatio adhuc confirmatur. Quia universale non solum ad singula inferiora superius esse debet, sed & de singulis prædicari, sed etiam de omnibus individuis collectivè sumptis: sed hoc fieri non posset si universale non esset aliud quàm omnia inferiora collectivè sumpta, quia tunc sensus istius propositionis Omnes homines, sunt homo; esset hic: omnes homines, sunt omnes homines.

VII. **Probatur Conclusio 3.** Juxta Philosophum universale debet esse in singularibus, sed vox homo, nec conceptus hominis est in singularibus, ergò nec voces nec conceptus formales vocum erunt universalia; major est certa, quia universale est de essentia singularis, minor probatur, nam vox homo dum profertur non est in singularibus verbi gratiâ Petro, Paulo, Joanne, &c. sed dum profertur, volat per aëtem sive in se sive in sua specie, de quo modo non curo, donec corrumpatur, nec etiam conceptus formalis hujus vocis *homo* est in singularibus, nam conceptus formalis est effectus intellectûs, intellectus autem agit imminenter & in se suos recipit effectus, ergò nec voces, nec conceptus possunt esse universalia. Contra Conclusionem.

VIII. *Explicatur Aristoteles.* **Opponitur 1.** Authoritas Aristotelis pluribus in locis nam *in Categ. cap. de Substantia*, ait, *substantias secundas significare quale quid, quòd constent nominibus communibus non autem rebus convenire. 2. Post. cap. 18. & 19. dicit universale nihil esse præter singulare.* Item 7. Met. t. 45. quærens an universale sit substantia concludit: *Impossibile est esse substantiam esse quodcunq; eorum quæ universaliter dicuntur* & 10. Met. t. 6. ait, *si autem nihil universalium possibile est substantiam esse nec hoc ipsum ut unum quid præter multa, substantiam esse possibile est (commune namq;) sed ut prædicatio solum*, ergò sentit Aristoteles universalia non esse res, sed solas prædicationes & voces. Verùmtamen. ad 1. auth. R. Aristotelem ibi figurativè loqui accipiens nomina rerum, pro nominibus nominum: qui loquendi modus est Aristoteli frequens: nam eodem modo loquitur 4. Polit. cap. 2. ubi dicit quod de optimo statu Reipubl. differere, non sit aliud quam de his nominibus disputare, Regnum, Aristocratia, Respublica. In secundò & tertiò loco agit Aristoteles contra Platonem ponentem universales naturas extra singularia existentes, unde in secundo loco dicit, universale nihil esse præter singulare, id est quod non sit existens nisi in singulari, & in tertio inquit impossibile est dari talem substantiam, seu talia universalia per se existentia prout etiam in quæstione sequenti probabo. In quarto loco videtur quidem magis favere Nominalibus, revera tamen non favet, nisi sibi contradixisse Aristotelem dicamus, qui alibi substantias secundas genera & species appellavit, & dari naturas communes clarè superius asseruit, unde dico, quòd in illo loco fuerit locutus de universalibus formalitèr sumptis, id est sub præcisa ratione universalitatis, & sub tali denominatione verum est quod universalia non sint nisi in intellectu & tunc non est nisi prædicatio.

Arguitur 2. Ex Ratione.

IX. *Licet non existat extra singularia non est tamen quid fictum.*

Repugnat naturam existere extra singularia, ergò natura communis aut erit quid fictum tantum, aut erunt solum voces & conceptus, ant. patet, quia quidquid existit aut est Deus, aut quid aliud à Deo; sed illæ naturæ non sunt Deus, ergò quid aliud à Deo, ergò debent accipere esse ab alio, sed quidquid accipit esse ab alio est singulare: nam secundum communem Philosophorum sententiam cum Aristotele. *1. Met. 1. ailio terminatur ad suppositum id est ad singulare.* Sed R. concedendo non dari aliquam naturam communem extra singularia existentem, nec hoc assero: sed nego inde secuturum, naturam communem, seu universalem futuram quid fictum, vel voces, quia verè datur illa natura quæ universalitatem fundare potest veluti substratum, quæq; habeat communitatem negativam, & indifferentiam quantum de se ut potuisset esse in hoc vel illo supposito, Et concedo probationem, usq; ad subsumptum, quod distinguo: quidquid accipit esse ab alio est singulare, si accipit esse ratione sui, & in recto concedo subsumptum; si non ratione sui, sed ratione alterius & in obliquo accipiat esse nego subsumptum. Natura itaq; humana quando producitur verbi gratiâ non ratione sui & in recto producitur, sed ratione alterius & in obliquo scilicet ratione Petri & Pauli adeoq; Petrus Paulus in recto producuntur & ratione sui.

Instatur Quidquid est in singulari est singulare verbi gratiâ quidquid est in Petro est ita determinatum ad Petrum, ut nequeat esse in Paulo nec in ullo alio individuo, sed natura quæcunq; est in singulari, ergò non erit universalis & communis, quia hoc, id est, universale debet esse indeterminatum, ut possit esse in Petro, vel Paulo ac aliis individuis. Sed R. distinguendo ma. Quidquid est in singulari est singulare per se & ab intrinseco nego ma. per accidens & ab intrinseco concedo ma. & dist. similiter minori nego consequentiam, Potest itaq; dupliciter aliquid dici singulare, per se, & ab intrinseco: & per accidens & ab extrinseco seu denominativè; Primum est quando ipsum principium individuationis vel ipsam singularitatem includit aliquid in conceptu suo formali, sic Petrus Paulus sunt singularia per se & ab intrinseco; Per accidens & ab extrinseco dicitur aliquid singulare, quando non sic includit singularitatem, habet tamen illam tanquam quid posterius naturâ sibi identificatam sic natura humana quæ est in Petro dicitur singularis per accidens, quatenus habet Petreitatem sibi identificatam, determinantem eam ad hoc unum numero.

Urgetur

Urgetur. Undecunq; ista singularitas provenit, sive per se, sive per accidens, jam impedit universalitatem naturæ communis: ergò nulla solutio, probatur ant. uni eidemq; realitèr identificato non potest convenire universalitas & singularitas simùl, sed tunc natura & individuatio unum idemq; sunt realitèr identificatum, ergò non potest ei competere universalitas, cùm singulari sit realiter identificata, patet major, quia universalitas dicit communicabilitatem, singularitas dicit non communicabilitatem & repugnantiam ad communicandum multis. R. negando ant. Quia extrinseca determinatio cum indeterminatione negativa ab intrinseco, non repugnant simùl; unde ejus probationis majorem distinguo: Uni eidemq; realitèr identificato non potest convenire universalitas & singularitas respectu ejusdem & eodem modo concedo ma. respectu diversorum, diversoq; modò nego ma. & conc. ma. mi. nego consequentiam, Itaq; natura in individuo existens dicitur universalis formaliter per intellectum, fundamentaliter ex se; singulariter per hæcceitatem, communis & indeterminata intrinsecè, particularis & determinata extrinsecè. Et si quis adhuc replicare vellet quod natura abstracta & præcisa ab inferioribus non habet esse à parte rei, sed tantùm per intellectum, atq; adeò cùm non habeat communitatem nisi beneficio intellectûs, de se non erit communis; tunc negandum est ant. quia vel natura abstrahitur ab hæcceitatibus secundùm se, seu in quantum scilicet ipsa nunquam essentialiter & intrinsecè involuit hæcceitatem, vel quatenùs naturam in se cognoscit non cognoscendo hæcceitatem, prima abstractio quidem non tollit conjunctionem naturæ cum hæcceitate, imò semper manet etiamsi natura conjuncta sit cum illa; quia aliud non importat, quam naturam non habere hæcceitatem, cum quo non repugnat, quia habeat illam ab alio; Imò nec altera abstractio quæ fit per intellectum tollit realitèr conjunctionem realem naturæ cum hæcceitatibus, quia hic abstrahendi modus solùm importat, quòd intellectus actu suo naturam attingat, non attingendo singularitates, & secunda hæc abstractio originem ducit à prima, quia enim natura in se non includit singularitatem à parte rei, ideò reperto in re hoc fundamento naturam concipit non conceptâ singularitate. Plures aliqui adhuc aliquas congerunt objectiones: ut quòd non posit res esse unum & multa: quòd nihil sit realitèr in Paulo quod sit in Petro: adeoq; conceptus communis objectivus abstrahi non poterit, & plures similes quæ tamen vel ex dictis solvi possunt, vel non sunt magni momenti; quando ergò dicunt aliqui nihil posse esse unum & multum intelligendum est de eadem unitate & eadem multitudine, id est quod nil posset esse unum & multum numeraliter, benè tamen potest aliquid esse unum unitate specifica cum multitudine numerali, & unitatem genericam cum multitudine specifica. Ad secundam dico quod licet nihil sit realitèr in Petro, quod est in Paulo, aliquid tamen habet Petrus quod est indifferens ut identificetur cum Paulo, ratione cujus indifferentiæ ut cum illo identificetur habet ut possit de illo prædicari.

QUÆSTIO III.

An natura communis existat extra singularia & qualiter:

I. Constituto universali in communi, seu demonstrato quòd præter singularia datur aliqua natura communis: nunc ad particularia examinanda accedo, nam in superiori quæstione præscidi à modo quomodo hæc natura communis detur, quod proindè in hac & sequentibus examinabo quæstionibus: & in primis occurrit solemnissima sententia, quam Aristoteles Platoni attribuit, qui dicit quod naturæ communes substantiarum præsertim specificæ existant per se separatæ à singularibus, quæ sint universales, quarum participatione singularia esse accipiunt tanquam à veris principiis, verbi gratiâ Plato ponit unum hominem existere & idem dicendum de aliis naturis specificis verbi gratiâ hominem ut sic, bovem ut sic, equum ut sic in quodam amœnissimo loco, ubicunq; demum locus ille sit spatiantes; qui tamen homo ut sic, bos ut sic, &c. habeat veram entitatem positivam separatam à singularibus quæ tamen est de essentia omnium singularium, quæ sententia in quantû Platoni affingitur non verò in se præcisè considerata, nam sic est stolidissima, gravissimos pro & contra habet Authores, nam multi Sancti Patres post & ante Doctorem, inter quos est præcipuus Divus Augustinus quem etiam Scotus 1. d. 35. q. unica. §. Ad ista pro se citat, Justinus Martyr, D. Thomas, Durandus & plures dicunt Platonem nequaquam posuisse ullas tales naturas quæ in Scholis Ideæ Platonicæ vocantur, à singularibus separatas: sed per Ideas aliud non intellexisse, nisi exemplaria & Ideas in mente divina existentes, secundùm quas omnia quæ producuntur ad extra, fiunt, unde dicit Divus Augustinus lib. 83. q. 46. *In divina mente sunt omnium rerum creandarum creaturumve rationes, neq; in divina mente quidquam nisi æternum, atq; incommutabile potest esse: atq; has rerum rationes principales appellat Ideas Plato, quarum participatione sit, ut quidquid est, sit, quomodo est.* Et similia plura habet hic & alibi pro defensione Platonis. Econtrà verò Divus Bernardus & plures alii tum Patres, tum Scholastici inclinare videntur, quod Plato tales naturas separatas & distinctas admiserit, nam *D. Bernardus serm. 1. de Epiph. Domini dicit, Neq; dico illud Platonicum, &c.* quia si Plato non aliud statuisset, quàm æternas rationes in mente divina, secundùm quas cuncta creata formantur: sanè sanctus & mellifluus Doctor dicere posset, ergò quandoquidem asserit se non dicere illud Platonicum, signum est, eum velle declarare quod Plato non rationes æternas in mente divina intellexerit, sed ipsas naturas per se existentes, secundùm quas omnes aliæ ad extra producuntur & efformentur, sit tamen hæc sententia cujuscunq; velit, nam etiam difficile est summum Aristotelem Præceptori suo hanc in usisse calumniam, asserere, vel existimare, quasi mentem tantus discipulus, tantiq; ingenii & tanto tempore cum eo conversatus Platonis non percepisse,

Opinio Platonis.

D. Augustinus conatur excusare Platonem.

se, ut nonnulli autumant, ideò præscindendo ab ejus Authore ad quæstionem.

II. *Non datur natura extra singularia existent.*

DICO: *Natura communis est realitèr identificata singularibus, adeoq; non datur natura communis separata, & per se existens extra singularia.* Hæc est communis contra Platonem & Averoistas, Colligitur etiam ex Patribus supra citatis & Probatur 1. Ratione ex Aristotele 7. Met. deducta. Implicat quòd aliquid sit essentia alicujus, vel pars essentiæ & esse extra rem cujus est essentia, sed natura communis, seu universalia in essendo sunt essentia singularium, ut animal de essentia hominis, homo de essentia Petri, ergò implicat talia universalia dari extra singularia; major patet, quia nihil est magis intrinsecum sibi quàm sua propria essentia, minor etiam clara, consequentia adeoq; sequitur optima. Probatur secundò, Quia vel illud universale separatum & per se existens est productum, vel improductum, non improductum, quia esset Deus, si verò est productum, ergò non est amplius universale, sed singulare, vel universale & singulare simùl, quia actiones terminantur ad singularia & omne quod productionem terminat immediatè, & in se est singulare, unde Boethius inquit, *Omne quod est, ideò est, quia unum numero est*, ergò nullum datur universale quod non existeret in singularibus. Probatur Conclusio tertio; Si natura humana verbi gratiâ ita existeret separata, vel esset simùl in Platone & Socrate, vel non esset, si non esset, ergò erit res ab illis distincta, non minus quàm unus homo distinguitur ab alio, adeoq; erit singularis: neq; poterit ingredi essentiam eorum, neq; de illis prædicari essentialitèr: quia prædicatum debet esse essentiale illi maximè internum, de quo affirmatur; si verò existat simùl in Platone & Socrate, vel est eadem indivisa natura in utroq;, vel divisa in duas numero distinctas si est eadem, ergò Socrates & Plato non sunt duo homines, quia inter creata quæ identitatem in uno tertio indiviso habent, inter se sunt indivisa, & idem inter se; si divisa in duas, majori absurdo sequitur eandem rem esse unam, & non unam, existens, & non existens; Confirmatur hoc, Quia ex hoc sequeretur eandem naturam esse miseram & beatam in pœnis æternis & in gloria infinita, sed hæc absurda sunt, ergò etiam illud ex quo sequitur, probatur ma. si enim est eadem natura in Petro verbi gratiâ & in Sorte, & Sors moriatur in peccato mortali, ad æternas condemnabitur pœnas; si verò Petrus in statu gratiæ decedat mercedem justorum percipiet, in gloriam æternam assumetur, & tamen in utroq; eadem est numero natura, ergò sequeretur quod una eademq; natura misera esset, & beata existens & non existens; nam si Petrus moreretur ante Sortem, existeret eadem natura in Sorte & non existeret: quoniam Petrus defunctus est in quo etiam erat. Sed contra

III. *Solvitur argumentum solemnissimum.*

ARGUITUR 1. Nihil realitèr identificat sibi illud, sine quo potuit & potest esie, sed secundùm Scotum & Scotistas humanitas Petri potuit esse sine illa differentia individuali, quia sicut per hanc modo contracta est, ita potuit contrahi per aliam, ergó natura communis non est realitèr identificata singularibus, minor est doctrina nostra, patet etiam major: Quia materia non identificat sibi realitèr illam formam quam habet, quia potuit & potest sine illa esse. R. dist, ma. Nihil sibi realitèr identificat illud sine quo potuit & potest esse potentiâ Physicâ, & ad actum reducibili concedo ma. potentiâ Logicâ, seu Metaphysicâ, quæ explicatur per hoc quod naturæ communi ut priori inductione ex suo conceptu formali non repugnet esse cum alia differentia nego ma. Quæ distinctio clara evadet exemplo indifferentiæ activæ divinæ voluntatis, ad actus liberos: nam isti realitèr identificantur cum entitate necessaria divinæ volitionis, & tamen secundùm suam rationem formalem definere possunt, non definente entitate divinæ volitionis, sicut ergò divina voluntas voluit ab æterno hunc mundum fore ut potuerit non velle ob ejus indifferentiam ad oppositа liberè, & tamen tali indifferentiâ non obstante hoc decretum de mundi existentia cum entitate divinæ voluntatis, vel volitionis penitus identificantur, ita servatâ proportione in creatis potest admitti natura communis, ita de se indifferens passivè ad individuationes, ut quando producta est subjecta quam defecto habet, potuit paritèr in illo priori æq, benè produci cum alia, absq; eo quod ex tali indifferentia deduci possit realis distinctio naturæ communis ab individuatione. Jam distinguo quoq; minorem ejusdem argumenti: humanitas Petri potuit esse sine differentia individuali potentiâ Logicâ, seu Metaphysicâ, & antequam ad extra produceretur concedo mi. potentia Physicâ & actum reducibili, idq; post ejus productionem nego mi. Itaq; quando Scotistæ dicunt naturam potuisse esse sine illa differentia individuali, non intelligunt quod in statu existentiæ possit ab ea separari, sed tantùm volunt quod natura communis intrinsecè habeat sua prædicata, à prædicatis individui inter quæ est illa indifferentia, quod intrinsecè non repugnet sibi, ut sit sub hac, vel illa, vel quod magis patet esse sub una, quàm sub alia: Hinc non est paritas de materia prima respectu formarum, & de natura communi, respectu differentiæ individualis, quia indifferentia materiæ ad formas est alicujus subjecti præexistentis ad ipsas tanquam ad perfectiones omninò extrinsecas illi, quæ ei uniuntur per extrinsecum agens; Natura verò communis ante hæcceitatem non præsupponitur existens, sed hæcceitas pullulat & dimanat ab ipsa absq; ullo concursu extrinseci agentis, & tam necessariò, ut nec per Dei potentiam possit produci quin aliqua hæcceitas dimanet ab ipsa tanquam ultima & postrema ejus realitas à qua determinari dicatur & reddatur incommunicabilis.

INSTATUR, Si ista emanatio impediret distinctionem realem, sequeretur quòd ubicunq; esset talis emanatio, quòd ibi non daretur distinctio realis, sed dantur verè Metaphysicæ emanationes inter quas intercedit distinctio realis, ergò ista non impedit in natura communi & differentia individuali, ma. videtur certa, probatur minor. Inter naturam genericam & specificam est vera emanatio Physica, sed illa non impedit distinctionem realem, ergò nec

inter

inter naturam communem & differentiam individualem, probatur mi. Animalitas realitèr distincta invenitur in leone, in quò non invenitur rationalitas: sed eadem distinctio quæ versatur inter gradus genericos & specificos, versatur etiam inter naturam communem & differentiam individualem, ergò R. negando mi. ad probationem dist. ma. inter naturam genericam & specificam est vera emanatio, respectu ejusdem Essentiæ concedo, si consideretur utraq; respectu diversarum essentiarum nego, & distinguo etiam mi. non impedit distinctionem realem respectu diversarum essentiarum concedo, respectu ejusdem, nego mi. Cujus probationis majori concessâ distinguo mi. Eadem distinctio quæ versatur inter naturam genericam, versatur, etiam inter communem & differentiam individualem, si specifica consideretur tanquam contrahens, & est differentia specifica contrahens concedo mi. inter alias non contrahentes nego mi. Itaq; dico, naturam communem identificari cum gradibus essentiæ ejusdem, qui in eodem constituto reperiuntur, unde quando dicitur quod animalitas reperiatur distincta realitèr à rationalitate sunt in leone, sunt diversa constituta, imò nec ex hoc ipso potest inferri distinctio realis propriè dicta, sed tantùm talis quæ coincidit cum non identitate.

Urgetur. Non tantùm in diverso constituto, sed etiam in eodem constituto differentia contrahens distinguitur à natura generica, ergò etiam in eodem natura communis & differentia individualis realitèr distinguentur. Probatur ant. Quia etiam in eodem constituto natura est prior suâ differentiâ, seu specifica, seu individuali. ergo. Quodcunq; prius naturâ potest esse sine posteriori, ut docet Scotus & Aristoteles 5. Met. 16. sed natura est prior hæcceitate, ergò poterit esse sine illa realitèr, ergò non modò in diverso constituto, verùm etiam in eodem natura communis & hæcceitas realitèr distinguentur. R. Negando ant. cum probationis consequentia cujus probationis majorem dist. Quodcunq; prius natura realitèr distinctum potest esse sine posteriori, concedo ma. quodcunq; prius non distinctum realitèr, nego ma. Unde non repugnet naturæ simplicitèr esse sine hæcceitate, in quantum prior est præcisè, sed in quantum est realitèr identificata illi, Minorem ejusdem probationis etiam distinguo: Natura est prior hæcceitate prioritate essendi, nego mi. prioritate intelligendi concedo mi. Itaq; duplex poterit naturæ prioritas considerari, una essendi, quæ explicatur per posse esse prius, sine posteriori: altera intelligendi, quæ non rectè sic explicatur, etiamsi fundamentum in re habeat, sed tantùm unam prius potest absq; alio, aut prius alio intelligi. quia non includit illud in suo conceptu; Aristoteles ergò ibi loquitur de prioritate essendi, & natura præcedit singularitatem tantùm prioritate intelligendi, præsertim si consideretur ut contracta est per singularitatem, nam si consideretur ut indifferens ad illam, adhuc dici posset prior illa prioritate etiam in essendo, quatenùs quantum est de se poterat esse sine illa.

Arguitur 2. Contradictio actualis arguit distinctionem realem, sed inter naturam communem & differentiam individualem est contradictio, ergò: ma. patet, quia nequeunt de eadem re duo contradictoria affirmari & verificari; minor probatur, quia natura communis est communicabilis, altera non est communicabilis, ergò. R. negando ma. ad probationem distinguo ant. de eadem re nequeunt affirmari & verificari duo contradictoria proximè & immediatè, qualia sunt esse & non esse, existere & non existere, concedo ant. remotè & mediatè, nego antecedens, Contradictio ergò, quæ fundatur inter res fundat distinctionem realem, quæ fundatur autem mediatè supra res, & immediatè supra formalitates, ut est in proposito infert solùm distinctionem formalem, & sic non implicat secundùm diversas formalitates ejusdem rei verificari duo contradictoria, consequentèr quando dicitur, quòd contradictoria inferant distinctionem, benè quidem concluditur, sed malè si inferatur, quæ inferant distinctionem realem. Sed IV.

Instatur, Inter contradictoria est æqualis repugnantia, quatenùs de eodem & secundùm idem nunquam verificari possunt: ergò etiam æqualem semper inferunt distinctionem. R. negando consequentiam, quia licet omnia contradictoria, sive realia, sive rationis æquè quidem in omnibus repugnent, quantum ad veritatem & falsitatem, affirmationem & negationem, ita quòd nunquam de eodem respectu ejusdem verificari possint, non tamen æq; repugnant quantum ad inferendam distinctionem: nam quædam inferunt distinctionem simplicitèr realem, ut prima contradictoria, alia ex natura in formalem, & alia rationis, juxta conditionem contradictionis.

Dico 2. *Natura communis distinguitur ex natura rei formalitèr actualitèr à singularitate contrahente.* Hæc est communis Scotistarum & quidem sufficientèr ex secunda disp. prioris partis demonstrari potest, verùm quia hìc est proprius ejus locus, ideò. Probatur 1. Præcipuo fundamento Scotistarum, quo probant dari distinctionem formalem, & hoc ex via contradictionis; Impossibile est de eodem & secundùm idem à parte rei verificari duo contradictoria, & idem esse rationem secundùm quam plura conveniant à parte rei, & etiam non conveniant, sed natura communis verbi gratiâ animalitas, vel humanitas est ratio secundùm, quàm plura inferiora à parte rei conveniunt & assimilantur inter se, & differentia, sive specifica, sive individualis est ratio secundùm quam illa plura non conveniunt & assimilantur, ergò natura, sive generica, sive specifica, cum non distinguantur realitèr, distinguentur saltem formalitèr à suis differentiis alias de eadem omnino formalitate verificantur duo contradictoria. V. *Natura distinguitur formalitèr à singularitate.*

Dices; Nullam à parte rei dari realem, vel formalem contradictionem, sed tantùm dari à parte rei fundamentum contradictionis: quia contradictio consistit in affirmatione & negatione, quæ fit per intellectum. Contra licet affirmatio & negatio fiat per intellectum, tamen

tamen à parte rei verificantur contradictoria nullo cogitante intellectu; ut quod homo per rationalitatem non conveniat cum equo, conveniat autem per animalitatem, sed hæc convenientia & non convenientia est actualis, ergò & contradictio.

VII. **Probatur Conclusio secundo:** Nulla creatura est de se hæc, & singularis, ergò fit talis per realitatem aliquam superadditam, & à seipsa ex natura rei formalitèr distinctam, & per consequens necessariò ex natura rei formalitèr distinguetur à differentia individuali, per quam singularizatur, probatur ant. Quia si natura esset de se hæc, tunc non posset cum veritate intelligi sub ratione universalis, quod est falsum: quia sic scientiæ omnes tollerentur de medio, quia sunt de universalibus? ergò nulla natura est de se hæc, probatur sequela, Quia tunc falleretur intellectus, quia conciperet rem alitèr quàm in se est, & modo ei repugnanti, quia si natura esset de se hæc & singularis, & conciperetur ut communicabilis conciperetur cum repugnantia, quia quod de se singulare & hoc est, communicari non potest, Quod confirmatur, quia qui conciperet naturam divinam communicabilem, conciperet eam sub modo sibi repugnanti, quia de se hæc est: ergò etiam si humanitas verbi gratiâ esset de se hæc, & singularis, qui eam conciperet ut communicabilem, conciperet sub modo sibi repugnante, ergò. Sed in contra

VIII. **Arguitur.** Natura Petri & natura Pauli, ut distinguuntur à differentiis individualibus, vel est una & eadem natura, vel est alia & alia, si una, ergò à parte rei datur universalis natura extra singularia existens; si alia & alia, ergò erunt singulares, & per consequens frustra ponetur in eis singularitas: probatur hæc consequentia, quia quæ realitèr distinguuntur in eadem specie, sunt ejusdem speciei individua; sed si sunt alia & alia, naturæ erunt distinctæ realitèr, ergò & singulares. R. concedendo ant. pro secunda parte, scilicet esse aliam & aliam naturam: & nego consequentiam: ad probationem nego mi. quia distinctio realis non attenditur per formalitates, sed per res essentiales quæ sunt capaces existentiæ, quia distinctio realis supponit diversitatem existentiarum, cùm ergò naturæ secundùm suas rationes formales sint incapaces existentiarum, non poterit inter illas esse distinctio realis, *& hoc est juxta D. 7. Met. q. 13. §. contra prædicta, ubi dicit, quòd distinctio realis naturarum provenit à differentiis individualibus unitivè sumptis quibus circumscriptis non possunt dici realiter distinctæ quia sic non concipiuntur sub existentia quæ necessariò requiritur ad fundandam distinctionem.*

Instatur. Natura quæ est in Petro, & ut à Petreitate distincta, vel est illa natura quæ est in Paulo, ut à Pauleitate distincta, vel non est ea realitèr, si non est eadem realitèr cùm eo, ergò est realitèr distincta ab ea, etiam ut à Pauleitate præscindit. R. negando conseq. quia licet omnis distinctio sit non identitas, non tamen è contra, quia non identitas latiùs patet, quàm distinctio, cùm etiam conveniat non enti, imò multis convenire potest, quibus non potest convenire distinctio, sic igitur in proposito natura quæ est in Petro ut à singularitate præscindit, licet non sit eadem cum natura Pauli realitèr, non tamen dici potest sub tali præcisione realitèr distincta, quia ut à singularitate præcisa, non est existentiæ capax: & sic fundare nequit realem distinctionem, quæ non versatur inter extrema diversas existentias habentia

Urgetur. Inter illa intercedit distinctio realis, inter quæ versatur relatio similitudinis, sed inter illas duas naturas etiam ut præscindunt à singularitatibus relatio similitudinis intercedit, ergò adhuc realitèr distinguentur in tali casu, si realitèr autem distinguuntur jam erunt singulares, & per consequens individua ejusdem speciei: probatur mi. quia dicuntur inter se convenientes, ergò dicuntur sibi similes. Sed R. dist. ma. inter illa extrema concludit distinctio realis, inter quæ intercedit relatio similitudinis si extrema sint constituta concedo ma. si extrema licet tantùm rationes constitutivæ nego ma. & distinguo etiam mi. inter duas naturas intercedit relatio similitudinis, seu sunt sibi similes ut quo, concedo, ut quod nego mi. & consequentiam. Itaq; ut docet Doctor, *quodlibeto 4. §. contra illud. L. generaliter loquendo constitutivum est constitutoratio differendi, vel conveniendi, non autem ipsum conveniens, vel ut differens, sed secundum se constituit, sicut rationale secundum se, nec ut ens ut conveniens, nec ut differens constituit hominem, licet homo constitutus per rationale per ipsum differat formaliter, vel conveniat*, hæc Doctor quare propriè & in rigore loquendo duæ humanitates nequeunt dici specificè & essentialitèr convenire, vel similes in recto, sed tantùm in obliquo; quia non sunt res in una natura communi convenientes, sed sunt quibus plura individua inter se conveniunt essentialitèr & quidditativè, Quia quodcunq; alicui est ratio essendi tale, illud nequaquam dici possit in recto tale, sic etiam duæ humanitates nequeunt dici sibi similes nisi ut quo, non verò ut quod

Dices; Sunt entitates ejusdem rationis, IX. ergò possunt dici similes. R. negando consequentiam, Quia non dicuntur ejusdem rationis, quasi conveniant in aliqua natura specifica, sed quia natura Petri ut prior hæcceitate nata est ita contrahi ab hæcceitate Pauli, & identificare sibi, sicut modo identificat illam Petri sub qua est. Per eadem responderi potest ad argumentum quod nonnulli formant de differentiis individualibus, quæ inter se habere videntur similitudinem.

QUÆSTIO IV.

An natura sit communis à parte rei per inexistentiam, an solùm per indifferentiam.

Quamvis Scotistæ omnes conveniant I. *Mens nonnullorum Scotistarum.* in communitate naturæ à parte rei, disconveniunt tamen in explicando quomodo hæc communitas competat ipsi respectu inferiorum; Aliqui enim dicunt, inter quos est Meurisse, Faber, Basqualinus, &c. illam esse individuis communem per inexistentiam, hoc est ita esse communem, ut si secludantur hæcceitas Petri & Pauli,

Pauli, verum esset dicere, quod natura quæ est in Petro est ipsamet natura quæ est in Paulo, prorsus sine ulla distinctione: esse verò aliam & aliam per differentias contrahentes, Et ne cogantur concedere in naturalibus quod solùm mysterio Trinitatis competit, unam eandemq; naturam esse in pluribus singularibus, dicunt se non intendere, nec loqui (dum ajunt unam naturam esse communem in omnibus & singulis singularibus) de unitate numerali, quasi una & eadem natura numero sit in omnibus inferioribus, sed de unitate propria naturarum, quæ importat in divisionem inter essentialia principia, quæ etiam appellatur unitas essentialis & formalis minor numerica. Alii autem Scotistæ docent illam esse communem per indifferentiam, ita quod revera multiplicetur natura communis in individuis, ut verè dici possit secluſa Petreitate & Pauleitate: quòd alia humanitas sit Petri alia Pauli, licet talis aleitas non possit cogitari per modum distinctionis realis propter rationes in solutionibus argument. quæst. præc. quatenùs cogitantur cum singularitatibus, adhuc tamẽ dicatur quælibet illa natura communis, quia quantum est de ratione sua intrinseca, non magis petit sub hac differentia esse potiùs, quàm sub alia. Ita Lichetus, Tartaretus, Mastrius, Pontius, &c, cum quibus etiam resolutivè ad quæstionem

II. *Dico est communis realiter.*

Dico: *Natura communis creata, communis est pluribus per indifferentiam, non verò per inexistentiam.* Est Doctoris multis in locis, præsertim 2. d. 3. q. 10. §. sed contra. Ubi respondens ad argumentum Damasceni concedensq; *commune non esse ita commune ut possit proximè & positivè prædicari de multis, sic Petrus est homo, & Paulus est hic homo, sicut Pater est Deus, & Filius est hic Deus, & Spiritus Sanctus est idem Deus, dicit tamen esse ita commune quod non repugnet sibi esse in alio quam in eo in quo est.* Et d. 3. q. 6. §. ad quæst. dicit, *Concedo ergò quod unitas realis non est alicujus existentis in duobus individuis, sed in uno.* Hanc Conclusionem probant benè argumenta in secunda quæstione hujus disp. posita, contra Conclusionem. Verùmtamen probatur adhuc primò, si admitteretur natura communis per inexistentiam, admitteretur mysterium Trinitatis in Creatis, sed hoc est absurdum, ergò. Prob. ma. Quia erit eadem natura in pluribus singularibus & individuis, sicut eadem natura divina est in pluribus personis, ergò. Verùmtamen respondent adversarii ad hoc argumentum negando utrumq; ant. & dicunt disparitatem esse, quia natura divina est eadem numero, in creatis verò est una specie, aut genere. Sed nil solvunt: Quia quæro, Petrus & Paulus, vel tantùm differunt per hæcceitates, vel etiam aliquomodo per naturam: si per solas hæcceitates, ergò eodem modo differunt, sicut Pater & Filius in divinis per solas personalitates, si verò quoq; aliquo modo per naturam, ergò erit alia humanitas in uno, & alia in altero, aliàs non possent dici duo homines, sed unus homo, cùm concretũ substantiale nõ multiplicetur sine multiplicatione formæ, ergò ulteriùs sequitur quòd non sit una natura in pluribus per inexistentiam.

III.

Dices; Petrum & Paulum esse plures homines, quia sunt plures humanitates numero differentes, non verò sic sunt tres personæ divinæ. Sed contra. Non est major ratio quare potiùs dicantur plures humanitates numero, quàm naturæ divinæ nisi admittatur aleitas naturarũ in Petro & Paulo, ergò. Prob. ant. quia, vel ideò dicentur plures homines, quia identificantur pluribus hæcceitatibus & personalitatibus, sed natura divina etiam identificatur pluribus personalitatibus numero distinctis & tamen non possunt dici plures, ergò hæc ratio non est; Vel quia contrahitur & determinatur à differentiis, sed hæc determinatio & contractio non tollit intrinsecam naturæ unitatem, sicut nec personalitates divinæ tollunt unitatem naturæ divinæ, ergò si non admittitur aleitas naturæ distincta à numerali, erit eadem ratio de natura creata, ac de natura divina: ergò debet admitti alia & alia natura in individuis intrinsecè secundùm rationem naturæ, & non tantùm extrinsecè secundùm rationem singularitatis, & sic non erit una in omnibus per inexistentiam.

Probatur Conclusio 2. Quia natura humana verbi gratiâ non habet propriam existentiam distinctam ab existentia individui, ergò non potest esse communis per inexistentiam, consq. patet: quia deberet esse communis per existentiam individui, sed per existentiam individui non potest esse communis, cùm individuũ una cũ sua existentia sit singulare, ma. patebit in Metaph. ubi probabo gradus metaphysicos non habere proprias existentias, sed existere existentia totius. pro nunc sufficiat ista ratio, quia nulla est necessitas multiplicandi has existentias. IV.

Probatur Concl. 3. Si eadem formaliter natura esset in pluribus individuis, sequeretur quòd nullus homo possit annihilari, vel creari à Deo, sed hoc dicere est derogare nimiùm potentiæ divinæ, ergò, ma. prob. quia annihilatio in hoc consistit, quòd illud quod annihilatur ita esse desinat, ut nihil omninò ejus remaneat, sed ex opposita sententia Deus hoc facere non posset, quia remanebit illa natura Petri annihilandi in Paulo, quæ est eadem secundùm Adversarios. Item ad creationem requiritur quòd ita aliquid producatur ut nihil ipsius ante productionem præexiterit, sed hoc Deus etiam facere non posset, ergò prob. mi. Ponatur quòd Deus vellet creare Petrum, cumq; creet, attamen tunc non esset dicendus eum creasse, quia jam aliquid illius præextitit, nempe natura, quæ est in Paulo antequam Petrus produceretur, quæ est formaliter & positiva una in ipso, ergò. Sed V.

Arguitur. Pro contraria sent. Petrus & Paulus sunt indivisi formaliter, id est, per principia essentialia: ergò habent unitatem formalem positivam intrà se, licet distinguantur numericè materialiter per principia materialia, seu per hæcceitates. Confirmatur, Quia habent eandem definitionem, quæ si non esset eadem non convenirent duo homines univocè inter se, ergò sunt unum formaliter, seu essentialiter. & negando ant. sicut enim natura Petri in se est una formaliter, ita distinguitur formaliter & dividitur à quacunq; alia quæ non est ipsa & consequentèr à natura Pauli, ideò autem dicuntur idem formaliter, seu essentialiter, quia illæ naturæ sunt sibi omnimodè similes, sicut dicimus videndo duos homines sibi similes, quòd sint quodammodo unus homo formaliter, propter maximam similitudinem. Ad confirmationem VI. *Petrus & Paulus non sunt ex se indivisi formaliter.*

nem respondeo aliam omninò esse definitionem Petri, aliam Pauli objectivam, quamvis habeant eandem materialiter, quia propter maximam similitudinem quam inter se habent naturæ, una potest omnimodè repræsentare aliam sicut imago picta artificiosè quæ repræsentaret corpus Petri, repræsentaret etiam corpus Pauli, si essent valdè similes in suis corporibus, sic est in proposito, Nec tamen hinc sequetur quòd non convenirent univocè in ratione hominis, quia ad univocationem prædicamentalẽ non requiritur quòd detur una ratio objectiva in pluribus per inexistentiam, sed sufficit quòd detur una ratio communis objectiva per indifferentiam, quæ cõmunitas sufficit ad veram prædicationẽ, ergò.

Instatur Contra principalem argumenti solutionem, si Petrus & Paulus ideò dicuntur formalitèr unum inter se, quia eorum naturæ habent inter se summam similitudinem, ergò etiam debent dici unum numero, quia habent summam in hæcceitatibus similitudinem; probatur consequentia à paritate, quia non est ratio cur dicantur unum formalitèr, nisi quia duæ naturæ maximam inter se habent similitudinem, sed etiam hæcceitates maximam habent inter se similitudinem, ergò à pari sicut Petrus & Paulus dicuntur unum formalitèr, propter naturarum maximam similitudinem: ità Petrus & Paulus dicendi sunt unum numero propter maximam similitudinem hæcceitatum. R. negando consequentiam & ejus suppositum, supponitur enim in consequente, quòd hæcceitates habeant inter se omnimodam similitudinem, quod non probabitur tam facilè, quia licet prima facie appareat quasi hæcceitates habeant inter se similitudinem, tamen semper reperitur aliquid in una, quod non reperitur in altera præsertim si distinctè concipiantur, sicut duo ova, esto aliquando videantur sibi per omnia similia, tamen si quis ea distinctè concipiat, semper inveniet aliquid in uno, quod non reperietur in altero, sic verbi gratiâ si unum ovum mihi ostendatur post alterum, si sint sibi similia non potero ego dicere istud esse aliud à primo, quia potest esse quod ille mihi idem ostendat quod primò ostendit, sed illud benè poterit dicere angelus si eidẽ tali modo ostenderetur, quod non sit aliud, sed idẽ ipsum, quod primò ostendit: cujus ratio non est alia, nisi quod in uno sit aliquid cognitum ab angelo, quod non est in alia. Mihi tamen videtur quod solutio melior esset si responderetur juxta dicta præcedent. quæst. Unde hìc

Urgetur. Inferendo, ergò à paritate, potest etiam dici quòd una natura, esto appareat similis alteri naturæ, non sit tamen omnimodè similis, sicut dictum fuit de hæcceitatibus, & sicut defectu hujus similitudinis hæcceitatum Petrus & Paulus non sunt idem numero: sic quia naturæ sunt omnimodè sibi similes non debent dici unum formalitèr. R. negando illatum, quia licet hæcceitates non habeant eandem omninò similitudinem, eam tamen habent naturæ, Et si quæras unde nam sciam omnimodam similitudinem inesse naturis, & non inesse hæcceitatibus? Respondeo inde colligi, quia si per possibile, vel impossibile natura quæ est in Petro separaretur ab hæcceitate Petri & poneretur cum hæcceitate Pauli, sicut èconta si natura quæ est in Paulo poneretur cũ hæcceitate Petri, faceret Petrum, non sic autẽ est discurrendum de hæcceitate, nam si hæcceitas Petri poneretur cum natura Pauli, non faceret Paulum, sed Petrum, & èconta: adeoq, non habent talẽ similitudinem sicut habent naturæ ipsæ hæcceitates.

Arguitur 2. Pro Lalemandeto. In homine verbi gratiâ est natura humana & individualitas, quæ omnia sunt quid positivum, sed gradus individualis & natura debent habere proprias existentias, ergò si natura est communis & universalis, debet existere existentiâ universali, consequentèr natura erit communis per inexistentiam: prob. mi. quia cuilibet essentiæ debet correspondere existentia, quia in sententia Scoti Essentia & existentia non distinguuntur realitèr, sed natura communis & hæcceitas habent proprias essentias, ergò & existentias. R. neg. mi. ad prob. dist. ma. Cuilibet essentiæ metaphysicè completæ correspondet propria existentia, concedo ma. incompletæ nego ma. & dist. similitèr minorem: habent proprias essentias completas, nego minorem, incompletas concedo, & nego consequentiam: quando ergò Scotistæ dicunt quòd cuilibet essentiæ correspondeat propria existentia, intelligunt de essentia completa metaphysicè composita ex gradibus metaphysicis, qualem essentiam habent omnes substantiæ tàm completæ ut homo, quàm incompletæ ut materia, forma, &c. Item omnia accidentia tàm absoluta, quàm respectiva, &c.

VII. *Proponitur argumentum Lalemandei.*

Solvitur.

Instatur. Natura divina habet propriam existentiam distinctã ab existentia personalitatũ, ergò & natura creata. R. neg. consq. disparitas est, quia natura divina est ex suo conceptu singularis, sicut & personæ divinæ, natura autem creata nõ est ex se singularis, sed per singularitatẽ, atq; adeò non potest habere propriã existentiam sicut divina, quia existentia semper consequitur ipsã rẽ singularem, cùm ergò natura creata nõ sit singularis secundùm se, nec secundùm se habebit propriam existentiã, per hæc solvuntur etiã facilitèr plura argumenta ex eodẽ Authore.

QUÆSTIO V.

De Communitate, & aptitudine Universalis Metaphys.

Visa & cognita Existentia naturæ communis à parte rei & qualitèr cùm inferioribus conveniat & distinguatur, explicandæ sunt adhuc duæ difficultates quas pariunt illæ particulæ *unum, aptum,* in definitione universalis comprehensæ quas etiam in hac sequenti expediã quæstione, & quidem quantùm ad primam partem tituli resolvendam; Notandum communitatem, seu indifferentiam naturæ duplicem esse unam *positivam* & *negativam* alteram, *Positiva* est quam habet natura dum concipitur in se indivisa, & ab omnibus differentiis individualibus abstracta, omnes & singulas æqualitèr respiciens, ita ut proximè sit potens inesse omnib⁹ & singulis individuis. Communitas *negativa* quæ etiam positivè non una appellari potest, est illa, quàm habet natura etiam quando est à parte rei per indifferentiam individualem contracta, quia in tali statu, licet non possit absolutè & positivè dici communis & indifferens, quia est ad unum quidditativum applicata, & singularizata realiter identificata, adhuc tamẽ potest dici negativè communis quatenùs scilicet ex se & suis principiis intrin-

I. *Communitas alia est positiva, alia negativa.*

intrinsecis, non est hæc de singularis, sed tantùm extrinsecè, scilicet ratione singularitatis, primam communitatem non potest natura habere independenter ab intellectu, benè tamen secundam, prima dicitur *proxima*, secunda *remota*, quam ad quæstionem pro priori parte resolvendam.

II. Dico 1. *Naturam habere à parte rei præter operationem intellectûs.* Ita Doctor 2. d. 3. q. 1. & probatur natura à parte rei reperta in aliquo individuo, vel ab intrinseco est communicabilis alteri individuo, vel non est; si primum, ergò datur communitas naturæ à parte rei, maximè remota ad essendum in multis independenter ab intellectu: si secundum, ergò quotiescunq; concipitur communicabilis concipitur sub modo repugnante suæ essentiæ, & consequenter semper erit conceptus falsus, quod est contra Adversarios.

III. Dices. Naturam ab intrinseco, nec esse communicabilem, nec esse incommunicabilem: sed utrumq; accipere ab extrinseco; incommunicabilitatem per differentiam individualem, communicabilitatem verò per intellectum. Sed Contra 1. Quia secundùm ipsos Adversarios natura quælibet creata seipsa est singularis à parte rei & non per aliquam entitatem superadditam, ergò secundùm se & ab intrinseco est incommunicabilis & consequenter quando concipietur ut communicabilis, concipietur falsè & sub modo sibi repugnante, vel si potest concipi verè multiplicabilis & communicabilis debent admittere quòd habeat communitatem ab intrinseco quod est in quæstione. Contra 2. & probo naturam creatam esse ab intrinseco communicabilem, Quòd natura divina sit incommunicabilis, provenit ab intrinseco, ergò quod natura creata sit communicabilis, erit etiam ab intrinseco, sed hoc nihil aliud est quàm indifferentia, seu communitas negativa. Sed contra solutionem priorem

Instabis. Si natura à parte rei esset de se singularis secundùm datam solutionem, non posset fieri communicabilis per intellectum, quia conciperetur sub modo sibi repugnante, ergò à pari si secundùm se est communis, non poterit concipi ut singularis, vel fieri singularis ab extrinseco, quia etiam conciperetur sub modo sibi repugnante; probatur consequentia, quia quando unum oppositum per se alicui convenit, aliud nec per se, nec per accidens ei convenire potest. R. negando consequentiam; disparitas est, Quia si singularis est non nisi per intellectum concepta modo sibi repugnante fieri potest universalis, si autem in se sit communis negativè, poterit benè esse singularis positivè quæ singularitas positiva quia est ipsi extrinseca, non tollet ejus communitatem negativam, quam semper reservat. Ad probationem consequentiæ verum esse dico, quod si illud cui per se competit unum oppositum non sit quid potentiale, sed in sua ultima actualitate constitutum, aliter autem se habet res in proposito.

IV. Quantum ad 2. p. Multiplex est sententia: Nam plurimi Thomistæ post Cajetanum putant, quòd sufficiat multiplicabilitas per intellectum in quantum scilicet natura objicitur intellectui veluti non singularizata, quia tunc habet non repugnantiam ad essendum in multis: alii è contra volunt, quòd natura debeat actu esse multiplicata, alii verò quod hoc non requiratur, sed requiri ut ad minus per potentiam naturalem & physicè multiplicari possit, ita Pavesius, Zimar; Communior tamen sententia, quæ est Scoti, Avincennæ, Simplicii, Alensis & Recentiorum passim asserit, non requiri, nec multiplicationem actualem, nec physicam, sed ad minus naturam per potentiam Dei supernaturalitèr esse multiplicabilem, seu non esse repugnantem ad existendum in multis; per aptitudinem enim nihil aliud hic intelligitur, quàm non repugnantia ut insit in multis. Cùm qua sententia etiam

V. Dico 2. *Non requiritur multiplicabilitas actualis, sed nec sufficit multiplicabilitas per intellectum, ut natura dicatur communis: sed requiritur ut multiplicabilis sit ad minus per potentiam Dei absolutam.* Prob. prima p. Quia alioquin natura Solis, Lunæ, Phœnicis, &c. non posset concipi ut universalis & communis, sed hoc est falsum, ergò, prob. mi. quia unico tantùm existente individuo adhuc natura potest concipi ut indifferens, imò absolutè loquendo nullum requiritur individuum existens: nam nullo existente homine, adhuc natura humana posset ab angelo concipi ut communis, & indifferens ad existendum in pluribus individuis.

Non requiritur multiplicabilitas actualis, sed sufficit potentialis.

VI. Dices; Ut natura consideretur communis, debet ipsa posse abstrahi ab omnibus inferioribus, sed si singularia non existunt non potest ab ipsis abstrahi, ergò requiritur. R. negando mi. quia possunt considerari singularia possibilia.

VII. Probatur 2. p. Concl. 10. Quia si sufficeret multiplicabilitas per intellectum, duo absurda sequerentur, ergò, prob. ant. Sequeretur primò quod natura divina posset dici universalis metaphysicè, secundò quod species infima esset genus, sed hæc sunt absurda, ergò, prob. ma. Quia nihil impedit quòd natura divina dicatur communis & universalis metaphysicè, nisi quòd non possit à parte rei multiplicari numero, & nihil impedit quò minùs species infima sit genus, nisi quòd à parte rei possit multiplicari specie, ergò si non requiritur multiplicabilitas à parte rei, sed sufficit per intellectum ut consideretur multiplicabilis natura divina, poterit dici universalis & species genus, probatur consequentia, quia per intellectum poterunt concipi ut multiplicabiles.

VIII. Dices; Non posse naturam divinam dici universalem, nec speciem infimam genus: quia natura divina nequit concipi conceptu etiam imperfecto, nisi individua & inepta esse in pluribus, & species infima nequit concipi, nisi ut immultiplicabilis specie. Sed contra: Ideò natura divina debet necessariò concipi ut immultiplicabilis numero, & species ut immultiplicabilis, specie quia verè & à parte rei sunt, sic immultiplicabiles etiã in ordine ad quamcunq; potentiam ergò omnis natura quæ est immultiplicabilis à parte rei per quamcunq; potentiam, non poterit concipi ut universalis, quia est eadem ratio de omnibus, consequenter multiplicabilitas per solum intellectum non sufficit.

IX. Probatur eadem Pars 2. Quia vel illa natura verbi gratiâ Gabrielis, ut sic concipitur cum repugnantia ad esse in pluribus, vel sine tali repugnantia: sed potiùs cum aptitudine, quidquid dicitur est implicatorium, ergò: probatur mi. quia si primum asseritur, tunc conciperetur universalitas simùl cum repugnantia ad essendum in pluribus; si secundum, tunc natura in se repugnans ad pluralitatem conciperetur non repugnans & apta ad talem pluralitatem, quod prorsus implicat: quia intellectus neguit tribuere rei quod essentiæ directè repugnat, non enim potest concipere hominem esse mugibilem, quia hoc rationalitati repugnat: & si homini hoc tribueret, non amplius hominem, sed bovem vel vaccam conciperet, cùm ergò essentia Gabrielis sit essentialitèr singularis, sed non Thomistæ poterit intellectus eum concipere ut communem, vel si conciperet ut communem, non Gabrielem, sed aliquid aliud conciperet.

X. Dices; Natura Gabrielis dum concipitur ut principium propriarum operationum, & ut distinctum à natura Urialis, & aliis distinctæ speciei, non concipitur necessariò ut singularis; & dum sic concipitur est determinabilis per singularitatem, etiamsi nulla alia numero esset possibilis, ergò ut sic concepta haberet rationem universalitatis. R. dist. pro 2. parte est determinabilis determinabilitate requisita ad universale nego ant. alia determinabilitate concedo ant. & nego consequentiam determinabilitas autem quæ requiritur ad universale est, quod res determinabilis magis latè pateat, quàm determinativum, sic homo magis latè patet quàm Petreitas: natura autem Gabrielis juxta Adversi licet esset determinabilis per Gabrielitatem, tamen non magis latè pateret ipsa natura, quàm Gabrielitas.

QUÆSTIO VI.

De Unitate universalis Metaphysici.

I. Quæstio hæc multum intricatè disputatur, tùm inter Thomistas & Scotistas, ac inter ipsosmet Scoti sectatores, quo in passu ut mentem Scoti cum Divo Augustino consiliem, eam quoq; amplectar sententiam, quam fortè alioquin amplexas non fuissent: progrediendo itaq; ad ipsam materiæ tractationem. Notandum primo unum juxta Philosophum 1. Met. 6. & lib. 10. cap. 1. definiri quod sit ens indivisum à se & divisum à quocunq; alio sic enim loco citato ait: *Universe autem ea quæ divisionem non habent, ea ratione quâ non habent, unum dicuntur,* Unde, quia diversimodè aliqua divisionem non habent, diversa quoq; genera unitatum reperiuntur; Et D. Bernardus quidem sermone 80. multiplicem unitatum assignat divisionem, item lib. 5. de Considera. cap. 8. novem assignat species, inter quas præcipuas duas ponit: unitatem *constitutivam*, & unitatem *collectivam*, quæ etiam propriissimè & maximè phylosophicè ad mentem præsentis quæstionis deserviunt: unitatem collectivam vocat eam ut utar terminis mellifluì Doctoris cum verbi causa multi lapides faciunt acervum unum. Vide an Philosophus ipse (indignor contra nonnullos qui eum quasi Philosophiæ expertem, impudenter calumniari veriti non sunt, cùm tam diversum sese in suis exhibeat scriptis, ut jam Rhetorem & Oratorem admiseris, jam solertissimum Naturarum indagatorem revereris, jam profundissimum Theologum suspicias, necesse sit.) melius ad præsens unitatem dividere, & unitatem per accidens definire potuerit, nam ipse Aristoteles unum dividit primò, in unitatem *per accidens, & unitatem per se.* *Unitas per accidens* quamvis ex dicto Divi Bernardi sufficienter pateat, est quæ non habet naturam ejusdem prædicamenti, vel quæ constat ex partibus physico nexu minimè copulatis, aut certè ex iis, quæ licet physicè connectantur, sunt tamen in suis speciebus entia completa: ut inter subjectum & accidens, & inter duo accidentia in eodem subjecto, verbi gratiâ dulcedinis & albedinis in lacte; alia iterùm est durationis: ut inter Achillem & Hectorem; alia loci: ut acervus lapidum; alia propter vinculum: ut fascis lignorum; alia connexionis ut domus, alia ordinis ut exercitus & Respublica. *Unitas per se*, secundum D. Bernardum *constitutiva*, ab aliis *essentialis* dicitur, & alicujus unius quod habet determinatam essentiam, in uno tantùm genere, aut specie, sive id sit simplex ut Deus opt. max. & summa generica, sive compositum ut corpora Physica, & Metaphysicæ species, quorum illa ex materia & forma, hæ ex genere & differentia constituuntur. Hæc unitas *per se*, seu *constitutiva*, vel *essentialis* duplex est, alia est numerica, alia minor quàm numerica, quæ formalis appellatur; Unum unitate numerica est iterùm duplex: aliud est enim numero *per se primò*, & istud est ipsa differentia individualis, seu hæccitas, vel Petreitas, aut est unum numero *non per se primò*, sed per se secundò ut ipse Petrus, vel individuum speciei in concreto, aut est unum numero non per se primò, nec per se secundò, sed tantùm denominativè & per accidens: sic natura individui specifici est una numero, propter identitatem cum Petro & sua hæccitate. *Unitas formalis* est unitas alicujus gradûs, vel conceptûs communis, & vocatur formalis ideò, quia competit rei ratione essentiæ, vel totalis, vel partialis, quam semper sequitur, & quia essentia rei dicitur forma, ideò etiam illa unitas dicitur formalis, sicut & unitas numeralis vocatur materialis, quia sequitur individualitatem, quæ potest vocari materia propter quandam proportionem, quàm habet cum materia Physica, in hoc quod quemadmodum non possumus colligere distinctionem specificam, vel identitatem specificam, sublunarium ex materia, quia in omnibus sublunaribus materia est ejusdem rationis ita etiam ex differentiis individualibus non possumus colligere distinctionem, vel identitatem specificam, unde quæcunque non distinguentur per principia formalia, seu essentialia, sunt unum essentialiter & formalitèr, sed quia in essent iis rerum solent includi plures formalitates: ut verbi gratiâ in essentia hominis animalitas & rationalitas hinc fit, ut aliquid possit distingui ab alio secundum aliquam formalitatem

Unum describitur à Philosopho.

Unitas per se est duplex.

Unitas formalis describitur.

litatem unam suæ essentiæ, licèt non distinguatur secundum aliam, verbi gratiâ homo distinguitur formalitèr & essentialitèr ab equo, non secundùm animalitatem, sed secundùm rationalitatem & ideò, licèt non sit unum cum ipso in rationalitate, est tamen unum cum ipso in animalitate, nihilominus adhuc possunt dici simplicitèr diversa formalitèr, seu essentialitèr: cùm sit aliquid de ratione formali unius; quod non est de ratione formali alterius. Unitas formalis potest adhuc duplicitèr considerari, seu esse duplicem, unam secundùm quam natura esset in se una, & per se una, non verò per accidens, qualis unitas competeret tali naturæ, quæ non posset etiam supernaturalitèr habere nisi unum tantùm individuum. Alia autem est unitas similitudinis, seu repræsentabilitatis per eundem conceptum, ita scilicet, ut quæcunque sunt repræsentabilia per eandem speciem, vel per eundem conceptum, possint dici una & similia unitate, vel similitudine generica, vel specifica, seu partiali & totali, secundùm quod in omnibus conceptibus essentialibus, vel in aliquibus tantùm conveniunt, ut Petrus & Paulus, Petrus & Buccephalus: & hæc unitas est proprietas naturæ, quia revera proprium est naturæ, quòd per hunc conceptum potius possit repræsentari, quàm per alium; Hanc unitatem plurimi Scotistæ statuunt pro unitate, quam natura communis, seu universalis requirit, sed an ipsa sufficiat infra examinabo in hac eadem quæstione. Interim Nota secundò, ad universale non requiri unitatem numericam, nec eam sufficere nam directè ei repugnat, hæc enim essentialitèr est singularis, & incommunicabilis, illa autem indifferens & communicabilis. His notatis

II. DICO 1. *Datur à parte rei unitas formalis minor numerica, & ab ea formalitèr distincta*: hæc est D. 2. d. 3. Probatur 1. p. Quia quælibet entitas suam habet unitatem distinctam ab unitate alterius, sed natura humana in Petro & Paulo sunt entitates reales, ergò habent suas unitates: sed non numericas, ergò formales, ergò datur unitas formalis. Probatur 2. p. Quia illa unitas est major, quæ minorem patitur diversitatem, sed unitas numerica minorem patitur diversitatem, quàm formalis, ergò est major formali, minorem probant Scotistæ ordinariè ex eo, quòd unitas formalis naturæ humanæ patiatur subjectum in multas formalitates dividi & distingui, ut est homo, qui distinguitur in risibile & rationale; verùmtamen si cui placet hæc probatio mihi displicet, ut demonstrabo ex conclusione tertia, itaq, sit pro probatione minoris hoc, ex eo quod unitati formali non implicet communicari pluribus, implicet autem unitati numerali ergò. Probatur 3. p. Si unitas formalis non distingueretur ab unitate numerica formalitèr, sequeretur quòd natura Petri esset tàm dissimilis naturæ Pauli ac est ipsa singularitas, & quòd non esset ipsi plus similis quàm naturæ Buccephali, sed hoc est absurdum ergò: probatur sequela: Secundùm Adversarios unitas singularis, seu ipsa singularitas Petri est dissimilis naturæ Pauli, ergò etiam ipsa natura erit dissimilis illi, cùm sit eadem cum singularitate: nam idem manens idem, non est natum causare nisi idem, & sic non magis erit similis ipsi quam Buccephalo, quia secundùm se totum est dissimilis utriq;, & sic non magis convenient inter se Petrus & Paulus, quàm Buccephalus.

Dices Essentia non distinguitur ab ipso cujus est essentia, alias à seipso idem distingueretur, sed humanitas est essentia Petri, ergò non distinguitur à Petro; ergò nec unitas hominis ab unitate Petri, &c. negando mi. si sumatur essentia pro integra entitate, non autem pro quidditate communicabili, quo se non à Porphyrio species dicitur tota individuorum essentia, hoc est: communicabilis, nam in hoc sensu humanitas est tantùm Petri pars, habens compartem Petreitatem, & ideò distinguitur humanitas à Petro, sicut inclusum ab includente. Imò nec universalitèr major est vera: nam forma est de essentia intrinseca compositi, & tamen distinguitur ab ipso; ergò. III.

DICO 2. *Natura communis habet suam unitatem, idq; citra omnem fictionem intellectûs.* Colligitur ex Doctor in 3. d. 3. quem præter Scotistas sequitur Lalemandetus. Probatur Conclusio quoad 1. p. Quia unitas est propria passio entis, ita ut quodlibet ens in quocunque gradu sumatur, sit unum sua essentia, id est, quòd habeat unitatem consequentem proportionatè essentiam: sed natura habet propriam essentiam distinctam à singularitate, ergò etiam habebit propriam unitatem sibi proportionatam scilicet formalem. Prob. 2. p. Si natura communis acciperet suam entitatem per fictionem & operationem intellectûs, vel esset quid fictum naturæ per fictionem, super additum, vel quid reale verè ipsi collatum, aut aliqua denominatio extrinseca, nullum horum dici potest, ergò natura communis nullam recipit unitatem ab intellectu; adeoque citra fictionem habebit eandem. probatur mi. quoad p. p. Quia quod verbi gratiâ intellectus meus fingat parietem nigrum esse album, non propterea fictio mea faciet ipsum album; ergò à pari licèt intellectus fingat naturæ communis unitatem, si ante non haberet, non propterea per fictionem acciperet: probatur etiam minor quoad 2. p. Quia intellectus non habet virtutem productivam alicujus realis in objecto suo, cùm sit potentia immanentèr agens, sed hoc esset falsum: ergò. Confirmatur: Per hoc quòd intellectus intelligat singulare nil reale producit in ipso secundùm omnes, ergò etiam per hoc, quòd intelligat naturam, sive simul intelligat singularitatem, sive non, nihil reale in ipso producet. Confirmatur 2. Quia si per aliquem actum intellectûs illam unitatem reciperet, maximè per præcisivum, sed per hunc non accipit, ergò per nullum; probatur mi. Quia illa natura à qua præscinditur, vel est una in multis, vel apta esse in multis, vel non est, si primum, ergò habet ex se unitatem: si secundum, ergò per intellectum eam non acquiret. IV. *Natura communis habet suam Unitatem.*

Arguitur Si natura haberet talem unitatem ex se, esset una & multiplex, una quidem à se, & multiplex à singularitatibus &c. concedendo totum, si à solis singularitatibus habet V. *Natura est una & multa.*

multiplicari; nec est inconveniens quòd sit una & multiplex secundùm diversas rationes, verbi gratiâ una formalitèr & essentialitèr, & multiplex numero.

III. **Instatur;** Hinc sequeretur quòd à parte rei daretur una positivè natura in multis formalitèr & essentialitèr. R. negando sequelam, sed solùm sequeretur quòd daretur una natura secundùm se formalitèr & essentialitèr, quæ non obstante per singularitates potest adhuc multiplicari. Verùmtamen tàm contra hanc, quàm contra præcedentem conclusionem.

V. *Argumentum aliud.* **Arguitur 2.** Omnis entitas est à parte rei singularis, prout videtur pluribus in locis asserere Aristoteles: ergò etiam omnis unitas naturæ realis est singularis, & numeralis, ergò non datur aliqua unitas formalis à parte rei, sed solùm per fictionem intellectûs. R. distinguo ma. omnis entitas à parte rei singularis est per se, vel per accidens, concedo ant. per se semper nego ant. Quia ut præmisi in capite quæstionis, aliqua entitas est singularis per se primò, ut est ipsa singularitas, seu differentia individualis: alia per se, non tamen primò ut est ipsum singulare, alia per accidens tantùm ut est natura quæ licet denominativè dicatur singularis, adhuc tamen retinet suammet propriam unitatem formalem.

VI. **Instatur;** Idem est natura rei in Petro esse hominem, & esse hunc hominem, sed esse hominem, per se convenit Petro: ergò etiam esse hunc hominem, & consequenter unitas numerica non conveniet per accidens ei tantùm: R. negando ma. Quia Petrus est homo simplicitèr per humanitatem, sed per singularitatem est hic homo.

Urgetur; Natura humana, verbi gratiâ Petri non distinguitur à parte rei à singularitate Petri: ergò idem est in Petro esse hominem & esse hunc hominem, probatur ant. Omne reale existens in rerum natura debet habere quidditatem per se existentem in rerum natura, sed natura communis non habet quidditatem existentem in rerum natura distinctam à singularibus, ergò natura humana non distinguitur à singularitate Petri. R. negando ant. & ma. prob. si ly existere dicat existere sine existentia, seu separatim existere ab existentia singularium, cujus falsitas sufficienter patet ex dictis, ideò ad propriam & genuinam difficultatem, quæ in hac quæstione quæritur, & in cujus gratiam reliqua omnia dicta sunt.

VI. *Natura habet unitatem similitudinis.* **Dico 3.** *Natura quæ denominatur universalis, verbi gratia humana, non habet aliam unitatem in inferioribus, quam unitatem similitudinis, conformitatis, & repræsentabilitatis per eundem conceptum formalem, nec alia requiritur;* Hæc Conclusio est patrocinio Scotistarum plurimum destituta, causam tamen ejus suscepit Joannes Pontius, qui etiam eam mordicitùs defendit, ad eam amplectendam moverunt me authoritates D. Augustini, cui consentire videtur per omnia D. Bernardus.

Itaque Probatur Conclusio primò authoritate Ejusdem Sancti Præsulis Hypponensis: Nam lib. 13. Trinit. cap. 2. postquam multa eleganter modo suo disputasset de fidei unitate, dicit. *Non enim numero est una sed genere* (generatim accipit pro communi) *propter similitudinem tamen & nullam diversitatem magis unam dicimus esse, quam multas, nam & duos homines simillimos cum videmus unam faciem, dicimus & miramur amborum, facilius itaq; dicitur multas animas fuisse singulas, utiq; singulorum de quibus legimus in Actibus Apost. quod cis fuerit anima una;* quæ authoritas non modò probat præsens institutum, videlicet fidei & animarum unitatem aliam non esse, quàm similitudinis: sed & concludit, naturas communes non in existere in inferioribus per inexistentiam, quoniam asserit singulas singulorum fuisse animas. Item lib. 16. contra Faustum 15. Expresè distinguit inter similitudinem essentiarum, & qualitatum: nam *Quasi verò* inquit loc. cit. *Cum simile aliquid dicitur ex omni parte, & ex omni modo simile intelligatur: quia non ea tantùm quæ unius ejusdemq; naturæ sunt, dicuntur inter se similia, sicuti gemini homines, vel filii Parentibus, vel omnes homines omnibus hominibus in quantum homines sunt, utiq; similes sunt; quod & in cæteris animalibus intueri facillimum est, vel arboribus: velut olea, oleæ; laurus lauro, similis dicitur, verum etiam naturæ disparis sunt, & dicuntur, multa similia ut olivæ oleaster;* videlicet quantùm ad gradum & rationem genericam. Accipio pro Confirmatione etiam authoritatem D. Bernardi Serm. 71. in Cant. Cant. ubi postquam multa de unitate Patris & Filii in eadem natura divina disseruisset subdit: *Quo contra homo & Deus, quia unius non sunt substantiæ vel naturæ, unum quidem dici non possunt, unus tamen spiritus certa & absoluta veritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant: quam quidem unitatem, non tam essentiarum cohærentia facit, quam conniventia voluntatum,* ubi notantèr dicit inter Deum & hominem non posse intercedere unitatem, supponit tamen quasi posit in aliis, quare etiam notantèr dicit *non tam*; nam & supra dixerat: *Nam quomodo unitas, ubi numerus naturarum & substantiarum diversitas,* ubi unitatem naturarum non excludit simplicitèr per numerum naturarum, sed etiam per substantiarum diversitatem: ratione etiam.

Probatur Conclusio: tùm quia alia non est assignabilis unitas, quæ sit à parte rei, tum si aliqua alia requireretur, maximè unitas aliqua quæ adveniret per intellectum, sed nulla talis advenit, ergò: tùm quia nihil impedit quò minùs ipsa hæc unitas sufficiat pro unitate universalitatis, ergò alia gratis assignaretur: ergò. Verùmtamen in contra

VII. *Argumentum pro contraria sent.* **Arguitur;** Similitudo fundatur in unitate secundùm Philosophum, ergò si naturæ à parte rei habent inter se similitudinem, habebunt etiam à parte rei aliquam unitatem, supra quam fundatur, adeoq; in illo priori consistet. R. 1. Explicando Philosophum, videlicet eum voluisse, quòd unitas sit ipsa similitudo, quemadmodum hic modus loquendi, Illud est risibile quod habet potentiam ad ridendum, non arguit potentiam ad ridendum esse distinctum quid à risibilitate: sed potiùs significat risibilitatem esse potentiam ridendi. R. Secundò si aliqua unitas antecedens requiritur, illa non est alia quàm repræsentabilitas per conceptum formalem: ita quòd ea quæ sunt repræsentabilia per eundem conceptum formalem & cognitionem,

tionem, illa debeant dici una, & consequenter similia adæquatè vel inadæquatè, ad modum quo repræsentantur, vel ut tota essentia, vel ut pars.

Instatur contra primam solutionem: hæc unitas similitudinis est à parte rei, ergò & unitas universalis, quod est contra Scotum 2. d. 3. q. 2. n. 8. ergò non sufficit: R. disting. 1. conseq. universalis Metaphysici fundamentalis & remoti concedo consequentiam; nec hoc est contra Scotum: formalis & proximi, nego consequentiam: non sufficit ergò ad unitatem universalitatis proximæ & formalis quæcunq; unitas, sed requiritur abstractio per intellectum.

QUÆSTIO VII.

De Universali Logico.

Hactenùs egi de universali Metaphysico, quod propriè universale quidem non est, fundat tamen universale in actu & formale, unde magna est inter utrumq; differentia, nam Metaphysicum, seu remotum est natura ipsa communis, ut ex superioribus liquet. Universale Metaphysicum non habet aliam unitatem quàm formalem similitudinariam, & communitatem negativam; universale verò Logicum, exigit unitatem & communitatem proximam & positivam, ita, ut natura concipiatur in se indivisa, & ab omnibus differentiis Individualibus abstracta, æqualiter omnes respiciens: ita ut concipiatur veluti potens omnibus in existere, & singulis non modò disjunctim, sed etiam conjunctim, ut de omnibus inferioribus prædicari possit; Itaq; in præsenti quæstione quæritur, in quo nam essentialiter ratio universalis consistat, Nam aliqui putant quod consistit in existere in multis, cujus passio immediata sit prædicari de multis. Ita Baro, Mastrius & Bellutus, & in Schola Thomistarum communiter, Alii è contra, existimant Rationem, & universalis Logici consistere in prædicari de multis, cujus propria passio sit esse in multis, hæc sententia est communior Scotistarum, quam ut ego resolvam prius puto

Notandum esse, Prædicationem, quæ est actus prædicabilitatis, esse duplicem: alia est enim prædicatio *in actu signato*, seu signata; alia est *exercita* seu in actu exercito: Prædicatio in *actu signato* est, quæ significatur per ly *prædicatur* vel *dicitur*, & dicitur signata, quia denotat quid per copulam debeat exerceri, hinc prædicatio exercita est quæ significatur per ly *Est*: prædicari ergò in actu exercito est illud, quod prædicatur de alio mediante copula verbali *Est*: sic animal prædicatur de homine, quando dico, *homo est animal*, albedo de pariete, dum dico *paries est albus*; Econtra itaque prædicari in actu signato non potest dici de alio mediante verbo *Est*, sed est ratio propter quam aliquid potest dici de alio, mediante copula verbali *est* in actu exercito, unde quando dicitur quòd genus possit prædicari de pluribus specie differentibus, quandoquidem hoc non est verum in actu exercito, seu in prædicatione exercita: quia non potest verè dici homo est genus, debet intelligi de prædicatione signata, & sensus est, quòd secunda intentio generis quæ advenit animali, sit ratio formalis cur animal prædicetur in quid de homine, prædicatione exercitâ *homo est animal*. Est autem adhuc alia differentia inter prædicationem signatam & prædicationem exercitam, Quia illud quòd est subjectum in prædicatione signata, sit prædicatum in prædicatione exercita, & hinc est axioma *quod signatur in intentionibus exercetur in rebus*, verbi gratiâ in prædicatione signata ista, animal prædicatur de homine, statim quod in data signata prædicatione fuit subjectum, in hac exercita *homo est animal* fit prædicatum, & è contra quòd erat prædicatum, fit subjectum: hoc prænotato ad quæst.

Dico 1. Ratio constitutiva universalis est prædicari de pluribus prædicatione signata. III. *Ponitur ratio constitutiva universalis.* *Hæc est Aristotelis 1. Perih. cap. 5. Scoti q. 15. Univers. & q. 12. dicit: Cum igitur prædicari de pluribus non contingat nisi aliquis istorum quinq; modorum, qui per se dividunt prædicari de pluribus quod est ratio ipsius universalis,* & q. 11. ait: *Species in est homini, secundùm quod homo prædicatur de individuis, loquendo de prædicatione signata.*

Probatur Conclusio 1. Universalis Logici ratio constitutiva, vel debet esse prædicari de pluribus, vel esse unũ in multis, ut est de se evidens; sed non potest constitui per esse in multis, ergò debet constitui per prædicari de multis. Ipsa major est Adversariorum, probatur minor *ex Scoto q. 7. universal.* ubi sic inquit, *Ratio generis est extranea universali quando unitur istis* (id est quinq; prædicabilibus) *per hoc verbum, Est, sicut & animali quando dicitur homo est animal*, ergò prædicari de multis, & non esse in multis est ratio ipsius universalis.

Probatur Conclusio secundò, Nihil prius rei convenit quàm sua essentia, sed prius convenit prædicari de multis in actu signato, quàm esse in multis: ergò esse in multis non est de essentia universalis; probatur mi. natura non est una in multis à parte rei positivè & proximè, quod requiritur ad universale, sed per operationem intellectûs, sed non per aliam operationem intellectûs, quàm per comparationem, quæ comparatio est prædicatio signata, seu in actu signato, ergò prædicatio passiva correspondens prædicationi reali ipsius intellectûs in actu signato, prius convenit naturæ quam esse in multis.

Dices. Universale est quod est aptum IV. prædicari de multis, ergò prius convenit naturæ quòd sit universalis, & apta prædicari de multis, quàm prædicetur de multis; & per consequens ratio universalis non in prædicari, sed potius in aptitudine prædicandi, vel in aliqua alia ratione, cujus ei talis aptitudo convenit, statui debet; sed illud non est aliud quà in esse unum in multis, ergò esse unum in multis, & non prædicari de multis, erit ratio constitutiva universalis. R. totum argumentum procedere de prædicatione exercita: atq; adeo nihil concludit contra propositam conclusionem, quæ loquitur de prædicatione signata, quòd sit essentia universalis Logici; Unde quando Aristoteles, vel Scotus dicit universale esse unum in multis, seu aptum dici de multis, loquuntur de aptitudine ad prædicationem exercitam, non verò de aptitudine ad signatam: hæc enim

non

non esset passio, sed potius subjectum unde passio emanat scilicet esse in multis & hoc clarè *Scotus ostendit 2. d. 3. q. 1. n. 8. cum dicit Universale in actu est illud quod habet unitatem indifferentem secundùm quam ipsum idem est in potentia proxima ut dicatur de quolibet supposito &c. prædicatione dicente hoc est hoc.* Itaq; Ratio constitutiva universalis est, prædicatio signata passiva actualis, quæ nihil aliud est, quàm denominatio extrinseca naturæ alicujus præcisè cognitæ & comparatæ, per intellectum ad sua inferiora; ad quam immediatè consequitur tanquam propria passio esse unum in multis, passio verò secunda prædicandi de multis, prædicatione exercita; deniq; ipsa prædicatio actualis exercita tanquam accidens commune, quod est benè notandum.

V. *Universale quo modo sit in re, & in intellectu.*

Dico 2. *Universale est in re, ut in subjecto: quia illam denominat, non intellectum, & in intellectu est veluti in efficiente, & ut cognitum in cognoscente.* Hæc conclusio etiam videtur esse cõmunis eam signantèr tenet Ambrosius Peplus, & Probatur: Quia intellectus non tribuit ad libitum denominationem universalis, aut generis, aut specei: sed juxta naturam & proprietatem in natura repertam; ergò forma denominans scilicet relatio, generis vel speciei non est in intellectu, sed in rebus juxta rei proprietatem.

VI. *Non manet tale prædicatione exercita.*

Quæres; An natura universalis maneat talis in actuali, seu exercita prædicatione? R. cum Scoto q. 6. universalium apud Connimb. hic q. 6. a. 4. negativè, & probatur brevitèr: quia ut natura sit universalis debet positivè, vel saltem in Metaphysico negativè indifferens ad plura de quibus potest prædicari, vel in esse, sed in prædicatione exercita natura fit determinata ad unum, scilicet ad illud de quo exercitè prædicatur, ergò non manet universalis. Connimb. Instant, sic potest intellectus concipere naturam præcisam ab inferioribus, & deinde formare conceptum alicujus inferioris, ergò adhuc manebit universalis. R. ad hoc concedendo ant. sed nego, quòd tunc maneat natura præcisa, sed omissa præcisione determinatur ad illud inferius, unde præcisio & comparatio signata naturæ non potest stare cum prædicatione exercita, & de uno tantum inferiori; aliàs simul esset eadem natura determinata ad unum, & non esset: quia adhuc manet universalis & indeterminata ut suppono, & tamen determinatur per actualem prædicationem, ut est evidens, unde negatur consequentia.

QUÆSTIO VIII.

Per quem actum intellectus fiat universale Logicum?

I. *Nulla alia potentia facit ab intellectu.*

Suppono in hac quæstione contra nonnullos quos Arriaga partim rejicit, partim suscipit, Nullam aliam potentiam præter intellectum posse facere universale Logicum, tum id clarè Philosophus docet, dum intellectum dicit esse universalium, sensum verò particularium, tum, quia objectum sensûs externi non est nisi materiale quid: sed universale nec Metaphysicum, minus Logicum est quid materiale, ergò nulla potenta externa potest facere universale; probatur consequentia, quia nulla potentia excedit latitudinem sui objecti adæquati, sed objectum ædæquatum potentiæ materialis est quidditas materialis, ergò potentia materialis non potest facere universale. Ut ad resolutionem hujus quæstionis progrediar

II. *Alius est intellectus agens alius patiens.*

Adverte ex libris Animasticis, In anima rationali duplicem esse intellectum: nempe agentem & possibilem, qui quo modo inter se distinguantur non est hujus loci: Munus intellectûs agentis est, conficere species intelligibiles, Intellectûs verò possibilis est illas recipere, eisq; uti tanquam semine, quibus informatus intellectionem producat, nam ut D. Aug. sæpe, *ex objecto & potentia paritur notitia*, quæ notitia mediante objecto & intellectu agente fit hoc modo, & ordine, in primis namque objectum sensibile debitè applicatum producit suam similitudinem & imaginem, quæ dicitur species sensibilis: eamq; transmittit ad potentiam sensitivam exteriorem, qualis verbi gratiâ est visus, in qua species ei inhærens facit ei objectum præsens; & tunc potentia cum objecto mediante specie generat notitiam sensitivam, quæ dicitur exterior sensatio, virtute autem istius exterioris sensationis, alia ejusdem objecti species producitur in sensu interiori, qui sensus communis appellatur: eò quòd omnium sensuum exteriorum objecta percipiat; quæ aliam speciem gignit phantasma vel species, phantastica dicta, quæ materialis est & materiali modo repræsentat objectum, neque per illam objectum redditur proportionatum intellectui ad intellectionem: cum enim intellectus sit entitas spiritualis, non potest in se recipere similitudinem materialem objecti, insuper imaginativa non potest producere similitudinem spiritualem objecti in intellectu, unde necessaria est alia quædam virtus, vel potentia in anima rationali, quæ speciem spiritualem objecti per sensus exteriores percepti in intellectu imprimat, ut per eam objectum constituatur præsens intellectui, & sic intellectus concurrente illa specie loco objecti producat notitiam intellectivam, atq; hoc modo ex objecto & potentia paritur notitia spiritualis; potentia autem hæc quæ talem speciem spiritualem producat, vocatur intellectus agens tum ab Arist. 3. de Anima, tum apud Authores communitèr; potentia verò in qua eadem species recipitur & producitur, dicitur intellectus possibilis, cujus est producere cum illa specie intellectionem.

III. *Uterq. intellectus potest abstrahere.*

Adverte secundò Utrumq; intellectum abstrahere posse naturas universales ab inferioribus: tunc autem dicitur abstrahere intellectus agens, quando producit speciem universalis secundùm se, non repræsentando aliquod ejus singulare: & quando sic naturam repræsentat abstrahere dicitur: Intellectus verò possibilis tunc dicitur abstrahere, quando rem à suis inferioribus abstractam per intellectum agentem sibi porrectum cognoscit.

IV. *Intellectus possibilis non dupliciter cognoscere potest.*

Adverte tertiò Præter has abstractiones intellectûs possibilis & agentis, intellectum possibilem duobus modis rem posse cognoscere pluribus in existere; *primò simpliciter*; seu *composito modo, seu judicativè*, tunc cognoscit rem esse

in

in pluribus simpliciter, quando repræsentat esse in pluribus, non judicando an verè sit in pluribus nec ne? sicut verbi gratiâ, si ego cognoscerem hanc propositionem aër est calidus, vel istam, aër est humidus, nihil affirmando, vel negando an sit calidus, vel humidus, sed simpliciter hanc propositionem apprehendendo, tunc verò intellectus possibilis intelligit rem pluribus in existere modo composito, seu judicativè: quando non solùm apprehendit rem in existere pluribus, sed etiam sic esse judicat; sicut si ego duas illas allegatas propositiones non modò apprehenderem, sed etiam verè judicarem aërem esse calidum, aërem esse humidum, utraq; hæc cognitio naturæ in singularibus est comparativa, quia est cognitio unius cum ordine ad aliud, videlicet naturæ cum existentia, vel identitate ejus in singularibus, sed prima vocatur comparativa simplex. & quod apprehendat tantùm res absq; judicio esse in inferioribus, secunda vocatur composita, eò quòd non tantùm apprehendat simpliciter naturam esse in pluribus, sed etiam judicat esse in pluribus: & hoc judicium si fiat cùm discursu dicitur cognitio discursiva; Utraq; hæc cognitio comparativa est duplex: alia est quâ comparatur res ad aliquid, quod ei ex prima intentione, seu primò intentionaliter competit, alia, quâ comparatur res ad illud quod ei secundò intentionaliter competit.

V. Quæ sint intentiones.

Itaq; Circa hanc materiam quadruplex est sententia: Prima dicit universale Logicum fieri per abstractionem intellectûs agentis, hoc est, per productionem speciei naturæ universalis denudatæ à suis inferioribus, absq: ulla cognitione intellectûs possibilis: ita Scotus q. 3. Univ. Flander 3. Met. q. 3. cui favet D. Thomas 1. p. q. 87. a. 1. Fonseca &c. Secunda sententia dicit fieri universale per abstractionem intellectus possibilis absq; ulla comparatione ad inferiora talis naturæ, ita Durandus. Toletus q. 5. Univers. Tertia sententia dicit universale Logicum fieri per actum intellectûs possibilis comparativum, nõ simplicem, sed compositum. Quarta denicq; dicit universale fieri per cognitionem comparativam simplicem intellectûs possibilis, illam videlicet, per quam intellectus apprehendit naturam in multis, absq; judicio: hanc sequuntur Scotistæ omnes cum Scoto 2. d. 3. q. 1. estq; communior inter Thomistas testibus Complutensibus, eamq; tenet Ruvius. Joannes à S. Thoma q. 4. a. 2. & plures alii cum quibus tenendo ad quæstionem

VI. Universale Logicum fit per abstractionem intellectûs agentis, vel possibilis præcisè.

Dico 1. *Universale Logicum non fit per abstractionem intellectûs agentis, vel possibilis præcisè.* Hæc conclusio est contra primam & secundam sententiam, sed Probatur utraq; pars simul

Primò Universale Logicum debet esse proximè prædicabile de pluribus, sed natura, nec per abstractionem intellectûs agentis, nec per abstractionem intellectûs possibilis fit proximè prædicabilis de pluribus, ergò per nullam harum abstractionum fit universale; patet major, quia per aptitudinem positam in definitione universalis Logici intelligitur aptitudo proxima ad prædicandam, prout etiam communiter recipitur; probatur etiam minor, Quia licèt intellectus consideret naturam abstractam à suis singularibus, tamen nisi cognoscat existentem in pluribus actu vel possibiliter, non potest eam prædicare de pluribus, ergò per solam abstractionem, tàm unius quàm alterius intellectûs non fit universale.

Probatur secundò: Natura generica & natura specifica eodem planè modo abstrahuntur ab inferioribus, sed genus & species sunt distincta universalia, ergò per solam abstractionem non potest fieri universale, consequentia sequitur in forma, & probatur adhuc: si universale fieret per solam abstractionem, non haberent genus & species unde distinguerentur, & in similitudine differrent: quia abstractio non esset ratio dissimilitudinis, ergò per solam abstractionem non fit universale. Dixi autem *notanter* in conclusione universale non fieri per abstractionem unius vel alterius intellectûs præcisè, quia non negat abstractionem illam multùm esse necessariam, nam cùm universale sit unum in multis, quam unitatem & multitudinem non habet natura ex se positivè & proximè, ideoq; requiritur, ut habeat aliunde, quam acquirere non potest nisi natura prius abstrahatur à suis differentiis individualibus. Sed in Contra

Arguitur: Natura fit singularis ex vi differentiæ contrahentis, ergò fit etiam universalis ex vi actûs præscindentis illam à tali differentia ℟. dist. conseq. Fit universalis Metaphysicè concedo. Logicè nego consequentiam, Ratio est quia plus requiritur ad universale Logicum, quàm ad universale Metaphysicum Logicum enim requirit aptitudinem essendi *in* & prædicandi *de*, Metaphysicum verò requirit tantùm aptitudinem Essendi *in*, quam acquirere potest vi solius abstractionis: nam tunc est in potentia proxima ut apprehendatur in multis, eo ipso autem quòd habet hanc potentiam ut sic apprehendatur in illis, non habet potentiam proximam ut prædicetur de illis, sed debet prius apprehendi in illis, & sic redditur proximè prædicabilis, quia dici *de* supponit esse *in* VII.

Instatur; Si natura ex vi abstractionis habet aptitudinem proximam ad essendum in multis, sic, ut possit statim concipi in multis, ergò etiam habet aptitudinem proximam prædicandi de multis, probatur consequentia, quia non potest concipi in multis, nisi quatenùs intellectus prædicat illam de multis, ergò si habet potentiam proximam ut concipiatur in multis, habebit etiam potentiam proximam ut prædicetur de multis. ℟. negando conseq. ad probationem nego ant. quia sine omni judicio aut prædicatione, potest dari comparatio simplex unius ad aliud: possum enim per simplicem apprehensionem apprehendere unum cum alio, absq; eò quòd judicẽ hoc esse hoc: ut patet dum apprehenduntur propositiones dubiæ, ad quarũ prolationem intellectus quidem apprehendit prædicatum & subjectum in ordine ad se invicẽ, non tamẽ habet necesse, ut unũ de alio affirmet.

Urgetur: Si universale conciperetur vel concipi deberet veluti existens in multis, ut possit proximè de illis prædicari, conciperetur modo repugnanti universalis, ergò non habet necesse ut concipiatur veluti in multis: probatur ant. quia sic conceptum esset actu multiplicatum & divisum ♀ ergò conciperetur

ciperetur modo repugnanti, ♀ (sed esse actu multiplicatum & divisum est repugnans universali) probatur minor: quia universale debet esse quid unum, qualem unitatem non habet nisi per abstractionem. ℟. negando ant. cujus prob. majorem distinguo: sic esset actu multiplicatum & divisum si conciperetur per actum comparativum compositum, & prædicationem exercitam, concedo ma. si concipiatur actu comparativo simplici, & prædicatione signata, nego ma. & dist. similiter minoris nego consequentiam, ad probationem minoris dico, universale non modò debere esse unum, sed unum in multis: qualem unitatem non habet natura præcisè prout abstrahitur à singularibus, cùm in tali statu potius una tantummodò sit, ut non multiplex, quare quidem verum est ad universale Logicum requiri unitatem & abstractionem, non tamen illam quæ naturam aliquam à parte rei præcisè considerat secundùm sua prædicata essentialia, sed in quantum ab omnibus inferioribus simul sumptis abstrahitur ratio quædam communis, quæ consideretur veluti indifferens ut proximè omnibus & singulis inferioribus insit.

VIII. *Nec per comparationem compositam.* Dico 2. *Universale Logicum non fit per cognitionem comparativam intellectûs possibilis, comparatione compositâ.* Hæc est contra tertiam sententiam & Probatur Quia natura ante illam comparationem est proximè prædicabilis, ergò ante illam jam est factum universale Logicum, consequentia patet, quia per illum actum fit universalis Logicè, per quem est proximè prædicabilis de multis: probatur ant. quia si ante actualem prædicationē non esset proximè prædicabilis, non posset deinde actu prædicari, ergò si actu prædicatur supponitur in aliquo priori proximè prædicabilis, ergò ante talem comparationem compositam supponitur universalitèr

IX. *Sed per simplicem.* Dico 3. *Natura fit universalis Logicè per actum intellectûs comparativum simplicem, seu per eum, quo apprehenditur esse in multis sine omni judicio.* Ita Scotus 1. d. 23. q. 1. n. 3. & 4. d. 1. q. 2. n. 2. & Scotistæ communitèr. Probatur Conclusio: Quia non potest aliquid prædicari de pluribus, nisi intellectus apprehendat esse in pluribus, ergò non potest natura prædicari, nec signatè, nec exercitè de suis inferioribus, nisi apprehendat illam natam aptam inexistere pluribus, antecedens patet, quia si non apprehenderet esse in pluribus, non posset prædicari de pluribus: probatur consequentia, quia non esset major ratio cur intellectus prædicaret naturam humanam abstractam de Petro & Paulo, quàm de Xantho & Buccephalo, nisi quòd apprehendat illam esse in Petro & Paulo, & non in Buccephalo & Xantho: ergò ut sic prædicetur, debet illam sic prius apprehendere, & consequentèr nihil erit proximè prædicabile nisi apprehensum in illo.

Confirmatur Conclusio primò: Quia universale est unum in multis, & de multis, sed per solam comparationem natura habet esse in multis, ergò ante comparationem simplicem natura non est universalis; minor prob. Quia natura per abstractionem habet esse potius sine multis, & per prædicationem exercitam separatum à multis, & determinatum à multis, & ad unum: ergò per solam comparationem simplicem fit universale.

Confirmatur secundò: Ex vi abstractionis natura non est magis prædicabilis de inferioribus, verbi gratiâ Socrate & Berka, quàm subjicibilis naturæ superiori, verbi gratia animali: sed est in differens ad utrumq; ergò ut sit formalitèr universalis necesse habet ut comparetur ad inferiora sibi subjicibilia, & ut sit species subjicibilis, necesse est ut comparetur ad superiora quibus subjicitur. Per has probas Confirmationes sufficientèr solvi possunt objectiones quæ contra hanc vel aliam superiorem conclusionem adferri possunt, Verùmtamen clarioris enodationis gratiâ, probando non per comparationem, sed per abstractionem fieri universale, in Contra

Arguitur: Per abstractionem solam, & non per comparationem natura est una, & est in multis, ergò non per comparationem, seu simplicem, seu compositam natura fiet universalis, sed ℟. dist. Per abstractionem solam, & non per comparationem est natura una, & est etiam in multis eadem unitate quâ est una est etiam una in multis nego ant. alia concedo, Itaq; Natura est una per abstractionem sine multis, & in multis est per singularitates, quibus unitatem aliam natura abstracta non communicat quàm relativam quâ una natura & eadem respicit multa. X.

Instatur: Unitas illa relativa quâ natura respicit multa est unitas universalis per se, sed illa unitas etiam non est in multis, ergò per illam unitatem natura non est universalis; probatur consequentia, quia si natura retineret illam unitatem in inferioribus, tàm homo quàm animal esset genus, & Petrus, vel Socrates species, sed hoc nequit dici, ergò sufficit ut natura sit abstracta ab inferioribus & in illis sit divisa, seu multiplex, cùm non possit aliter esse una in multis. ℟. negando consequentiam licet enim natura animalis verbi gratiâ, comparata per intellectum ad inferiora non retineat denominationem, vel intentionem generis in singulis inferioribus, ac proinde nec unitatem universalis formalitèr, retinet tamen unitatem fundamentalem, quæ est proximum fundamentum universalitatis, nam secundùm eandem omninò rationem quâ intellectus concipit naturam communem abstractam, prædicat illam de singulis inferioribus & concipit illā esse divisam in illis.

QUÆSTIO IX.

De Prædicatione Universalis Logici.

Quia per 2. priores universale Logicum explicui per prædicabilitatem, quæ nihil aliud est quam terminandi actualem prædicationem potentia, hinc non absrerit paulò fusiùs de prædicatione aliquid dicere in particulari quæstione. Pro quo igitur advertendum est, prædicationem esse actum intellectûs quo aliquid de alio judicat, ut cùm dicit homo est animal, Petrus est homo, unde etiam aliquid esse prædicatum actu aliud nihil est formalitèr quàm denominatio extrinseca desumpta ab hujusmodi judicio; Quæ prædicatio (de alia hic non est sermo, quàm de vera & affirmativa) adæquatè dividitur *in formalem & identicam: hæc est illa*, vel *quâ idem prædicatur de se ipso* ut Quæstiones I. *Quid sit prædicabile.* *Alia est formalis, alia identica.*

ut Petrus est Petrus; vel *quá prædicatur aliquid de alio quod se non habet per modum formæ ipsius*, ut si dicas, *misericordia divina est justitia divina*: Quod si verò nolis definitionem disjunctivam habere, dic, prædicationem identicam esse illam, quâ aliquid prædicatur de aliquo quod non includitur in ipso per modum formæ illius, & sic comprehendet etiam illam priorem quâ idem prædicatur de se ipso, quia non prædicatur de se ipso ut forma sui ipsius. *Prædicatio formalis* est illa, *qua aliquid prædicatur de aliquo per modum formæ*, tunc autem prædicatur aliquid per modum formæ, quando aliquid prædicatur de alio vel per modum alicujus prædicati essentialis, ut *Petrus est homo*, *homo est rationalis*; vel per modum *alicujus proprietatis*, *ut homo est risibilis*; vel per modum accidentis *ut paries est albus*; vel per modum formæ denominantis subjectum, vel aliquam rem extrinsecè, *ut paries est visus*: Prædicatio formalis iterum alia est *directa*, alia *indirecta*, prima est, quando prædicatur id quod aptius est prædicari, &c: secunda est quando prædicatur id quod minus aptum est prædicari ut animal est homo, vivens est animal &c.

II. *Abstracta concreta & subsistentia, & inadæquata.*

His prænotatis In hac quæstione potissimùm examinandum venit, quomodo concreta & abstracta de se invicem prædicentur, Pro quo iterum notandum duplex esse *abstractum & concretum*; *substantivum* scilicet, & *accidentale*, Concretum substantivum est, *quod significat aliquam formam quæ in concreto solùmmodo potest prædicari in quid de aliquo, ut homo, animal, albedo, &c. Accidentale* verò est id, *quod potest prædicari de aliquo in quale*; *ut album, dulce, rationale &c.* non dicuntur tamen accidentalia, quasi formaliter significarent accidens, sed quia significantur ratione adjectiva, & prædicantur per modum adhærentium: Concretorum substantivorum abstracta sunt *humanitas*, *animalitas*, *albedinitas &c.* Accidentalium verò *albedo, dulcedo, rationalitas &c.* quibus præmissis

III. *Concreta tàm substantialia quàm accidentalia possunt de aliis concretis prædicari, prædicatione formali: dummodò abstractum concreti quod prædicatur, sit superius ad illud de quo prædicatur, aut sit forma illius.*

Dico 1. Est communis & Probatur; Quia hæ prædicationes sunt formales Petrus est homo, homo est animal &c. homo est rationalis, album est coloratum, sed non ob aliam rationem, nisi quia prædicati abstractum est superius ad subjectum vel forma illius ergò.

IV. *Concreta non possunt prædicari prædicatione formali de propriis abstractis, nec è contra abstracta de suis concretis.*

Dico 2. Est etiam communis. Probatur 1. p. Quia eò ipso quo quis concipit abstractum ut tale, non concipit ipsum cum identitate aut conjunctione ad illud à quo abstrahit, ergò nequit prædicari de ipso. Prob. consequentia. Quia impossibile est intellectum prædicare aliquid de alio, nisi quatenus ille concipit identificata sibi, aut conjuncta ad invicem. Confirmatur, Quia si hæc propositio humanitas est homo esset vera, etiam hæc esset vera, Verbum Divinum assumpsit hominem, sed hæc est falsa, ergò & præcedens; minor est de fide, quia verbum Divinum solùm assumpsit naturam humanam sine subsistentia, homo autem significat naturam cum subsistentia: probatur sequela ma. quia hæc est formalis consequentia, humanitas est homo, verbum Divinum assumpsit humanitatem, ergò assumpsit hominem. Ex hac parte probata patet etiam secunda pars nam cùm prædicatio sit actus intellectûs nunquam poterit aliquid de alio prædicare, nisi apprehendat esse illud in alio: ergò intellectus nequit prædicare abstractum de suo concreto.

V. Dices primò: Hæc est bona prædicatio Quantitas est quanta, sed quanta est concreta, & quantitas est abstracta, ergò concretum potest prædicari de suo abstracto: R. dist. ma. si quanta significat idem ac habens quantitatem, ut est accidens absolutum prædicamentale est vera prædicatio nego ma. si quanta significet ac habens extensionem concedo ma. taliter igitur quantitas est quanta, quia habet suam extensionem tanquam suam proprietatem, sic etiam ista prædicatio potest esse bona, albedo est alba, si ly alba significet aliquam proprietatem albedinis verbi gratia disgregationem visûs, unde nego mi. quantitatem ut est accidens prædicamentale esse abstractum quanti, quia quanta significat idem ac extensa, cujus abstractio erit extensio.

VI. Dices secundò: Hæ sunt veræ prædicationes: Deus est Deitas, ens est entitas, res est realitas, homo est entitas, album est realitas, ergò. R. ad primam negando ant. Loquendo de prædicatione formali; vel dist. conseq. quando abstractum est simpliciter infinitum, concedo, quando non est, nego consequentiam. Ad alias nego etiam ant. si per ens & rem intelligi velint concreta, & per entitatem & realitatem abstracta ut patet in Conclusione; Unde illæ duæ prædicationes ens & entitas res & realitas sunt prædicationes identicæ, quia licet quantum ad voces videantur concreta & abstracta, in re tamen prorsus faciùt idem synonimicè cum sensu res est res, ens est ens; Ultimæ verò duæ homo est entitas, album est entitas etiam non sunt prædicationes abstracti de concreto, sed prædicationes absolutæ superioris de inferiori, cum hoc sensu, homo est res, album est ens; hinc absolutè ad tales & similes propositiones dicitur quod non sint ultimatè & simpliciter abstractę, sed apparent tales esse, cùm tamen tales non sint, nisi secundum quid.

VII. *Abstractum concreti superioris non potest prædicari de abstracto concreti inferioris.*

Dico 3. *Abstractum concreti superioris, non potest prædicari de abstracto concreti inferioris, nec formaliter, nec identicè, verbi gratiá animalitas non potest prædicari de humanitate*: Est Scoti 1. d. 5. q. 1. n. 5. & d. 8. q. 1. n. 25. quem præter suos sequitur Ruvius, Suaretz dist. 6. Met. Sect. 10. Prob. quia impossibile est quod intellectus verè prædicet unum de altero, nisi consideret illud ut in existens ipsi, & conjunctum cum illo, quia radix veritatis propositionis est conjunctio extremorum, sed quando considerat animalitatem verbi gratiâ ut abstractam, non considerat ipsam ut conjunctam cum humanitate, ergò non potest de illa prædicari. Confirmatur Quia non magis conjungitur animalitas cum humanitate, quàm homo cum humanitate, sed non obstante hac conjunctione hominis cum humanitate, homo non potest prædicari de humanitate, ergò etiam non obstante hac conjunctione

ne animalitas non poterit prædicari de humanitate.

VIII. Dices. Hæc prædicatio est formalis, albedo est color, sed tàm albedo quàm color sunt abstracta, ergò abstractum superius prædicatur de inferiori: color enim est quid superius ad albedinem. R. dist. mi. color est abstractum respectu colorati concedo mi. respectu albedinis nego minorem, nam cùm non sit ultimatè abstractum respectu ipsius albedinis, habebit rationem concreti subsantialis sicut animal respectu hominis, si autem color esset ultimatè abstractum, non posset de albedine prædicari, ut albedo est coloreitas. Paritas etiam de abstractis divinis ad humana non valet, quia hæc ut abstracta nullam habent identitatem, divina verò licèt abstrahantur à suis concretis ut: Misericordia à misericorde, Justitia à justo &c. habent tamen rationem in qua identificentur & à qua non abstrahuat scilicet infinitatem ratione cujus etiam ut abstracta inter se semper identificantur.

IX. *Concretum abstracti superioris non potest prædicari de abstracto concreti Inferioris.* Quæres: An Concretum abstracti superioris, possit prædicari de abstracto inferioris concreti, verbi gratiâ humanitas est animal, licèt non possit dici humanitas est animalitas? R. negativè quia quoties prædicatum dicit aliquid quod non importatur à subjecto explicitè, vel implicitè, tunc nequit prædicatio esse vera: ut patet de anima aut corpore humano, de quibus non potest dici quod sit homo, licèt homo concipiatur ut includens utrumque, sed animal includit aliquid quod non importatur explicitè, aut implicitè ab humanitate, includit enim suppositalitatem, aut aliud à quo abstrahit humanitas, nimirum illud, quod dicit homo supra humanitatem, ut omnes fateri necesse habent, ergò. Confirmatur, Quia verè humanitas ut sic est pars istius animalis, quòd de ipso prædicari potest: ergò illud animal nequit prædicari de animalitate, sicut nullum totum potest prædicari de parte sua in abstracto. Pro Complemento quæstionis collige secundas intentiones eodem modo posse prædicari de se invicem; ita scilicet: ut superiora de inferioribus possint prædicari in concreto, non in abstracto, nec unum abstractum superius de alio abstracto inferiori, unde verum est dicere quòd genus sit universale, non verò quòd sit universalitas, nec genereitas sit universalitas, patet à paritate rationis, nihil enim interest quantùm ad hoc, quòd prædicata sint primæ vel secundæ intentionis, sed quod concipiantur cum ordine & connexione ad subjectum.

QUÆSTIO X.

De Numero Universalium.

I. Communis Sententia Numerum universalium usq; ad quinarium extendit, nempe universale dividendo in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. A qua sententia plurimi discessere: hinc etiam variæ ortæ sunt opiniones, Nam imprimis fuêre nonnulli Græci antiqui, qui duo tantum universalia assignabant, & inter hæc ea præsertim, quæ prædicantur in quid: & hujus sententiæ fuit Dexippus in prædicamentis cap. 24. Boëthius, Aversa q. 8. sect. 16. sed quia universale definitur esse illud, quod prædicatur de pluribus, non dicendo in quid, & consequenter hoc non requisito frustra aliæ species verbi gratiâ præter genus & speciem, differentia, proprium & accidens, excluduntur; Alii è contra numerum non minuunt, sed augent: nam Joannes Major, Scoti discipulus sextum addidit, cujus etiam sententiæ fuit Cajetanus apponens pro sexta specie, individuum vagum; sed malè: tùm quia quidam homo non est quid determinatum, tùm quia omnibus aliis speciebus universalium potest addi *Omnis* non verò individuo vago, non enim benè dicitur: Omnis quidam homo, ergò individuum vagum universale esse non potest, Camerarius septem, de Racconis tract. 1. de universal. octo universalium species statuit, an in hac materia communem Peripateticorum sim secuturus sententiam, statim me declarabo

Varie sententie.

Interim Notandum primò; II. *Quomodo Universale debet prædicari de inferioribus.* in favorem communis sententiæ, Quòd universale ut sit universale, debet prædicari de suis inferioribus eodem genere prædicationis, ita videlicet: ut si de uno inferiori prædicatur in quid incompletè, de omnibus inferioribus sic prædicari debeat. Secundò; Illud quod est universale, debet esse ens prædicamentale: unde à ratione universalis excluduntur transcendentalia ut ens unum, verum, bonum &c. & hocideò, quia Porphyrius egit de prædicabilibus in ordine ad prædicamenta. Tertiò; Universale debet esse ens realitèr completum, unde excluditur anima rationalis, materia prima, &c. non tamen differentiæ Metaphysicæ: quia esto sint incompletæ formalitèr, tamen sunt completæ realitèr: quia realitèr identificantur entibus completis. Quartò; Universale debet esse quid incomplexum, hinc excluditur definitio, & alia complexa. Quintò; Universale debet esse quid determinatum: unde excluditur individuum vagum, quæ omnia communis sententia (excepto ultimo) gratis supponit. Interim quoniam ad pleniorem quæstionis cognitionem requiri videtur scire quidnam nomine generis, speciei &c. intelligatur, quamvis de singulis speciatim infra fusius agam, idcirco

Notandum secundò; Genus semper debere esse in pluribus specie differentibus & prædicari de pluribus specie differentibus in quale quid incompletè, sic prædicatur animal de homine, bove, &c. homo est animal, bos est animal, &c. speciem autem de pluribus debere prædicari solo numero differentibus in quid completè, ut Petrus est homo, Paulus est homo &c. Differentia autem semper debet prædicari in quale essentiale, ut Petrus est rationalis; Proprium in quale accidentale necessariò & convertibilitèr, ut homo est risibilis; Accidens quintum prædicabile, prædicari debet in quale accidentale contingentèr, ut Petrus est albus, Paulus est doctus. His itaq; præmissis. III. *Genus semper debet prædicari in complete.*

Dico 1. *Stando præcisè in rationibus plura possunt admitti universalia, quàm quinq.* Ita præter Authores supra citatos, Aversa, Basiolus, in quod etiam ipse D. noster 3. d. 7. q. 1. §. *Quartò videndum* inclinare videtur, quâ pauci in typis proponunt, nonnulli tamen in suis defendunt manuscriptis. IV. *Possunt admitti plura quàm quinq.*

Probatur

Probatur igitur Concl. primò: Albedo respectu hujus albi, & respectu hominis albi est universale, sed nullum ex quinq; Porphyrianis, ergò stando præcisè in ratione plura admitti possunt universalia. Probatur ma. quia ipsi competit definitio universalis quòd sit unum aptum esse & prædicari de multis: probatur mi. Quia non est genus, nec species, utpotè cùm non prædicetur in quid, nec differentia, nec proprium, nec accidens, ergò aliquod aliud distinctum.

V. Dices; Ad universale non sufficere ut prædicetur de pluribus cum sui multiplicatione, sed etiam requiritur quòd sic debeat prædicari eodem genere prædicationis, quia nisi prædicetur eodem genere prædicationis, non scietur cujus universalis secundam intentionem fundabit. Sed contra Instò: Fruſtra & sine fundamento requiritur, quòd universale debeat prædicari eodem genere prædicationis, quia hoc non sufficit ex eo, quod hoc tanquam necessarium requirit torrens communis Porphyrianus: quia hoc non est impugnare conclusionem asserentem: stando præcisè in ratione plura admitti posse universalia; quia tunc stabitur authoritati, & ut supra notabili primo dixi, gratis Authores allegatas conditiones tanquam necessarias requirunt. Deinde quando dicitur rationem conditionis afferrendo quòd alioquin non scietur, ad quodnam universale spectaret, si non deberet eodem genere prædicationis prædicari, benè id dicitur, sed ego ex hinc infero eò quòd non possit assignari ullum universale nunc existens, ad quod talis prædicatio duceretur, quod divisio in quinq; species non sit adæquata, sed posse addi plura universalia.

VI. Probatur Conclusio secundò: Homo verè prædicatur de Christo, dicendo, Christus est homo, sed nulla prædicatione ex quinq; Porphyrianis, ergò divisio illa non est adæquata.

VII. Probatur Conclusio tertiò: Animal respectu Petri & Pauli fundat aliquam secundam intentionem universalis, non generis, nec speciei, nec differentiæ, multò minùs proprii & accidentis, ergò ultra quinq; illas assignatas species plura universalia admitti debent stando præcisè in rationibus; major patet: quia animal est prædicabile de Petro & Paulo; minor probatur, quia non est generis, utpotè cum genus debeat prædicari de pluribus specie differentibus; nec speciei, quia species debet prædicari de pluribus numero differentibus in quid completè, animal verò licet prædicetur de pluribus, nempe Petro & Paulo, non prædicatur tamen de iis in quid completè, sed insompletè; Quod autem non sit etiam differentia, proprium, vel accidens pariter patet, quando quidem animal non prædicatur in quale de Petro & Paulo, differentia verò proprium & accidens debent prædicari in quale, ergò.

VIII. Dices; Animal prædicari de Petro & Paulo veluti species, ergò. Sed contra species debet prædicari de pluribus solo numero differentibus, & quidem completè, animal autem non modò prædicatur incompletè de pluribus, sed etiam prædicatur de illis plus numero differentibus, quia potest prædicari tàm de Petro, quàm de Xantho, qui non modò numero, sed etiam specie inter se differunt, adeoq; non poterit prædicari de illis veluti species, cùm tamen benè de illis prædicetur & nullo ex quinq; prædicabilibus, signum est quod plura admitti possint & debeant.

Probatur Conclusio ultimò: IX. Ideò præcisè genus & species prædicabilis faciunt plura, & duo prædicabilia specie distincta, quia prædicantur de pluribus in quid, unum de pluribus specie distinctis, & alterum de pluribus numero distinctis, ergò differentia subalterna quæ prædicatur de pluribus specie distinctis in quale quid verbi gratiâ, sensitivum de homine & bruto, & differentia infima, quæ prædicatur tantùm de pluribus solo numero differentibus in quale quid verbi gratiâ de Petro & Paulo facient duo distincta prædicabilia ab omnimoda paritate.

Dices; Non ideò præcisè genus & speciem facere duo prædicabilia specie distincta, quia unum prædicatur de pluribus specie differentibus, & alterum de pluribus numero differentibus, sed quia unum completè & alterum incompletè, Differentia verò infima, & differentia subalterna utraq; prædicatur incompletè scilicet per modum compartis essentialis. Sed Contra 1. Ergò animal quando prædicatur de Petro & Paulo faciet universale distinctum à specie, quia prædicabitur de pluribus numero differentibus, non completè ut species, sed incompletè. Contra 2. Casu quo per impossibile species infima non prædicaretur completè, sed tantùm incompletè, adhuc sufficientèr distingueretur à genere per hoc, quòd genus petat prædicari de pluribus specie distinctis, & species de pluribus solo numero distinctis, ergò à pari de facto sufficientèr distinguetur differentia subalterna à differentia infima, quia una prædicatur in quale quid de pluribus specie distinctis, altera in quale quid de pluribus solo numero distinctis. X.

Dico 2. *Probabiliter quoq; in rationibus præcisè stando defendi potest, non nisi quatuor esse prædicabilia.* Ita Aversa & Torrion, quæ sententia probabilis etiam videtur Conimb. q 7. univers. art. 1. & probatur, omne quod prædicatur, vel prædicatur incompletè in quid, vel accidentaliter; si accidentaliter, vel in quale quid essentialiter, & est differentia; vel in quale necessariò, & est proprium; vel in quale quid contingenter & est accidens: & sic non erunt nisi quatuor universalia prædicabilia, ergò stando præcisè rationibus pauciora admitti possunt: Prima pars majoris circa quam sola est difficultas. Probatur, Quia si non omne quod prædicatur in quid, prædicetur incompletè, esset species, sed hæc non est, ergò omne quod prædicatur in quid prædicatur incompletè; major est sententiæ communis: probatur minor, ideò animal non dicitur completè prædicari de homine, quia non dicit totam naturam hominis, sed homo non dicit etiam totam naturam Petri, ergò homo non prædicatur de Petro completè ma. patet, minor probatur · Quia homo non dicit XI. *Possunt esse quatuor.*

differentiam individuantem, ergò etiam incompletè prædicabitur.

XII. Dices. Ideò hominem completè prædicari, quia dicit totam naturam Socratis, verbi gratiâ, non sic autem dicit totam eorum naturam animal, quod proinde incompletè prædciatur. Contra ergò eodem modò dici potest animal prædicari, quia dicit totam naturam communem hominis sibi immediatè subjecti. Hæ conclusiones sic propositæ facilè quidem defendi possunt, attamen ne totalitèr à communi declinem.

XIII. *Stando authoritati & communi sunt quinq;.*

Dico 3. *Stando authoritati, & communiori sententiæ, Universale benè dividitur, & adæquatè in quinq; prædicata membra, videlicet: in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens.* Hæc est communissima post Porphyrium. Probatur Conclusio, Quia tot sunt universalia quot sunt diversi modi universalitatis, & prædicabilitatis, sed modi diversi universalitatis & prædicabilitatis sunt tantùm quinq;, ergò etiam tantùm quinq; erunt universalia, prob. mi. Quia natura communis quæ universalis denominatur, vel est in multis essentialitèr, vel accidentalitèr, si essentialitèr, vel est tanquam tota essentia, & est species, quia species prædicatur in quid completè: vel non est tanquam tota essentia, sed tantùm veluti pars essentiæ, & tunc, vel est tanquam pars contrahibilis, & sic est genus, vel tanquam pars formalis & contractiva, & sic est differentia, quæ respicit genus veluti forma actuans & determinans illud: si verò natura est in pluribus accidentalitèr, vel promanat ab essentia rei, & sic est proprium, vel provenit merè ab extrinseco, absq; necessaria connexione & dependentia ab essentia, & sic est accidens: Consequentia principalis etiam patet, quia prædicari sequitur inesse, ergò tot modis aliquid prædicari poterit, quot modis aliquid ineſt, hinc quidquid prædicatur de pluribus, aut prædicatur in quid, vel in quale, si in quid, vel dicit totam essentiam, & sic est species: vel partem, & sic est genus, si prædicatur in quale, vel prædicatur in quale essentialitèr, & sic est differentia, vel in quale accidentalitèr, & hoc, vel necessariò, & sic est proprium, vel in quale accidentale contingentèr, & sic est accidens, ergò, Confirmatur Conclusio ex authoritate Scoti dicentis quinq; tantùm esse universalia, subintellige eum locutum fuisse de præcipuis speciebus secundum mentem Porphyrii, & communiorem antiquorum sententiam; alioquin esset expressè Scotus contra præteritas duas conclusiones, Et eum ex mente Porphyrii locutum fuisse, exinde patet, nam cum argumenta contra adæquatam divisionem posuisset, subdit, *in contrarium est Porphyrius.* Sed in contra

XIV. *Non sunt plures naturæ quàm quinq; secundum modum essendi.*

Arguitur 1. Omnes naturæ communes universales metaphysicè sunt species distinctæ, & plures quàm quinque, ergò divisio universalis in quinq; species allegatas non est adæquata. R. dist. ant. sunt specie distinctæ secundùm modum existendi in pluribus nego ant. alio modo transeat ant. Itaq; licet naturæ communes secundùm quod considerantur ut naturæ præcisè tales, vel tales, sint specie distinctæ primò intentionalitèr, non sunt tamen specie distinctæ secundùm modum, quo sunt natæ aptæ existere in pluribus, nimirùm tanquam tota essentia,

Instatur; Si res considerentur etiam secundùm modum quo existunt in pluribus, adhuc plura debent admitti universalia quàm quinq;, ergò nulla solutio prob. ant. quia modus essendi rerum constituit decem prædicamenta, ergò adhuc debebunt plura admitti quam quinq;. R. negando ant. cum ant. probationis, quia aliud & longè diversum est dicere modum essendi rerum constituere prædicamenta, aliud modum inexistendi, prior, prædicamenta constituit, posterior prædicabilia, quæ numero tantùm quinq; sunt; qui modus inexistendi non est quintuplex. Sed probando quod nec ex solo modo inexistendi possint desumi quinq; prædicabilia

Urgetur. Ex 1. Top. cap. 12. Tot modis dicuntur unum oppositorum, quot reliquum, sed singularia quæ sunt opposita universalibus sunt infinita, ergò etiam universalia, ad hanc instantiam. R. cum Doctore ex Mastrio, sensum illius proportionis esse, Quot sunt significata unius oppositi, tot esse & alterius; Nam quot modis accipitur unum, tot modis accipitur & multum, quot modis accipitur idem, tot modis accipitur diversum genere, specie, numero, non verò est vera quantum ad numerum suppositorum, quia album & nigrum, justus & injustus sunt opposita, non est tamen necesse ut tot sint suppositа nigredinis, quot albedinis, nec tot debere esse justos quot injustos.

XV. *Argumentum secundum.*

Arguitur 2. Definitio est prædicabilis de pluribus, & non est aliquod ex assignatis quinq;, ergò dantur plura prædicabilia quàm quinq;. R. dist. conseq. plura prædicabilia incomplexa nego consequentiam, complexa concedo conseq. In præsenti autem non est sermo nisi de prædicabilibus incomplexis, non verò complexis.

Instatur. Si sermo esset de prædicabilibus tantùm in complexis, species non esset aliquod prædicabile, ergò non modò de incomplexis, verum etiam de complexis egisse Porphyrium dicendum est: probatur ant. Quia species est quid complexum constitutum ex genere & differentia. R. negando sequelam, ad probationem dico, speciem & definitionem continere quidem plura, sed non eodem fieri prædicationem, nam definitio explicitis terminis prædicat plura de aliquo, non verò sic species.

XVI. *Tertium.*

Arguitur 3. Omnibus illis rationibus quæ adductæ fuêre pro probanda prima & secunda Conclusione, quæ licet satis difficiles sint, si non problematicè, sed præcisè sententiam communem sequi vellet, ens sit solvere deberet.

Ad primam ergò dicendum esset, albedinem prout abstrahit ab hac numero albedine & homine albo, ad nullum universale, seu prædicabile directè reduci, sed tantùm indirectè, ita videlicet, ut albedo quæ prædicatur de hac albedine reducatur ad speciem, prout verò prædicatur de homine, reducatur ad quintum

tum prædicabile. & sic albedo ut sic non esset universale, quia non prædicatur eodem genere prædicationis de suis inferioribus, nec juvat dicere illud non poni in definitione universalis, nam sufficit id omnes interpretes requirere, quorum authoritati proinde standum.

Ad secundum Resp. 1. Prædicationem quâ prædicatur homo de Christo, spectare ad quintum prædicabile; quia prædicatur separabiliter & contingenter: sed quia objici posset quòd non posset ad illud spectare, quia quintum prædicabile debet prædicari in quale contingenter, qualiter homo non prædicatur, hinc ℟. 2. Illud esse speciale prædicabile & supernaturale, Porphyrius autem & communis loquitur de prædicabilibus naturalibus.

Ad tertium fundam. ℟. Animal tunc quando prædicatur de Petro & Paulo, non prædicari tanquam speciem, ob rationes ibi assignatas, prædicari tamen tanquam genus; Quod si dicas, genus debere prædicari de pluribus specie differentibus, ℟. debere prædicari de pluribus specie differentibus primariò & essentialiter, ex hoc tamen non sequi quo minùs prædicetur secundariò, & per accidens de inferioribus suarum specierum, siquidem constituit & est de essentia cujuslibet inferioris, unde quando prædicatur animal de Petro & Paulo, non prædicatur species, nec ullum aliud præter genus, non quidem primariò, sed secundariò. Imò ad genus non requiritur quòd actu prædicetur de pluribus specie differentibus, sed quòd sit prædicabile per quod non tollitur quin possit etiam prædicari de individuis.

Ad quartum Resp. sicut ibi ad primam replicam responsum est, ad secundam dico, Communem sententiam non curare quid per posibile, vel impossibile esset, sed quid verè est. Deinde esto differentia subalterna de pluribus specie distinctis prædicetur & infima de solo numero distinctis, quia tamen prædicantur eodem genere prædicationis, non facient 2. universalia.

Ad fundamentum secundæ Concl. ℟. Differentiam individuantem non esse de essentia Petri; Quòd si dicas, illud quod essentialiter facit unum numero, est de essentia ejus, sed differentia hoc facit, ergò. ℟. differentiam facere unum numero, tanquam conditionem sine qua non, & non tanquam partem essentialem.

QUÆSTIO XI.

An Divisio universalis in quinq; prædicabilia sit univoca, & generis in species;

Hæc quæstio potissimum procedit ex suppositione sententiæ communis, nam si quis plura admitteret universalia ut supra posui, nec univocationem, nec etiam divisionem generis in species fateri deberet; Verùmtamen nec etiam in ipsa communi sententia quæstio omni caret difficultate, nam Albertus tract. 2. de prædicabilibus cap. 9. universale ad quinq; prædicabilia esse analogum, quem sequuntur plures alii, ut Niger, Vallius & etiam ante eum tenuerunt Ammonius, Avincenna & Simplicius qui insuper negarunt esse generis in species. Econtra verò Scotus q. 8. univers. Scotistæ, Thomistæ & Recentiores plurimi tenent divisionem illam verè esse generis in species, quare cum Ratio Alberti parum me moveat, contra eandem.

Dico 1. *Universale benè prædicatur univocè de omnibus illis quinq;.* Ita Scotus supra: Probatur, Quia tunc dicitur aliquid prædicari de pluribus univocè, quando divisum secundum idem nomen, & eandem rationem principaliter per illud significatam prædicatur de membris dividentibus, sed hoc contingit in proposito, ergò. Probatur minor, quia quodlibet istorum est unum natum aptum dici & prædicari de pluribus, sed per hoc definitur universale, ergò secundùm idem nomen & eandem rationem prædicatur universale de illis membris dividentibus. II. *Universale benè prædicatur de illo.*

Dices cum Alberto. Universale prius contrahitur ad genus, & prædicatur de eo, & per posterius prædicatur de aliis, ergò non est univoca divisio. ℟. cum Scoto negando consequentiam, nam illud non obstat, Quia in omni genere est aliqua species, quæ perfectiùs participat naturam genericam, quàm alia, verbi gratiâ, homo perfectiùs participat naturam & rationem animalis, quàm brutum, si tamen sermo sit de prædicatione Logica, non verò participatione Metaphysica, tunc æqualiter participabit quodlibet illorum membrorum rationem universalis, scilicet esse prædicabile de pluribus, Mastrius putat concedendam tamen esse aliquam analogiam, tum propter rationem datam, scilicet, quòd genus magis participet & perfectiùs naturam universalis, tùm quia prima duo prædicantur in quid, posteriora in quale, quæ analogiam sapiunt, attamen hæc analogia non est talis quæ univocationem excludat. III.

Dico 2. *Nullum datur universale Metaphycum primò intentionaliter sumptum, quòd esset genus ad omnia universalia Metaphysica.* Videtur esse conformis Doctori q. 8: univers. & probatur, Quia nulla natura primò intentionaliter sumpta est communis univocè omnibus universalibus Metaphysicis, ergò ant. probatur. Nam si esset aliquod tale universale, esset ens ut sic: sed hoc non est, ergò, major patet, quia non est aliud assignabile; minor probatur, Nam ad rationem universalis requiritur, quod sit quid determinatum, ens autem ut sic ad nullum est determinatum certum prædicabile, ergò. Deinde sequeretur, Quod hæcceitas esset universalis: quod probo, quia illud est universale, quod in se habet naturam universalem, ens esset tunc in hæcceitate, ergò hæcceitas est universalis. IV. *Nullum datur universale Metaphycum quod esset genus.*

Dico 3. *Universale Logicum secundò intentionaliter sumptum, est genus ad quinq; prædicabilia.* Hæc est communis utriusq; Scholæ contra Boëthium & Avincennam. Probatur, Quia universale ut sic prædicatur de omnibus per modum generis, ergò; prob. ant. Quia de singulis verum est essentialiter dicere, quod possint prædicari de pluribus, in quo tanquam in genere omnia conveniunt; & differunt specie in hoc, quòd unum prædicetur ut tota essentia, aliud ut pars V. *universale Logicum est genus.*

pars essentialis materialis, aliud ut pars essentialis formalis, aliud ut accidens inseparabile, & aliud ut separabile, ergò prædicatur de illis tanqnam de specie differentibus in quid incompletè. Sed in contra

VI. *Argumentum in contra.*

Arguitur, Si universale esset genus respectu illorum quinq; prædicabilium, sequeretur quod esset superius & inferius, sed hoc repugnat, prob. seq. Esset superius, quia genus: non esset autem, quia contineretur sub genere primo prædicabili, ergò. R. dist. ma. secundùm eundem respectum, nego majorem: secundùm diversum concedo & dist. similitèr mi. nego consequentiam. R. 2. dist. eandem ma. superius per se, & inferius per accidens, concedo ma. superius per se, & inferius per se, nego ma. Itaq; universale ut sic esset per se genus, & superius prædicabilium, genus verò primum prædicabile, est per accidens superius respectu universalis ut sic: hæc enim prædicatio Genus primum prædicabile est universale, est superioris de inferiori per se: sicut hæc, homo est animal, hæc verò prædicatio universale est genus est per accidens similis huic, animal est genus. Sed

Instatur. Ad minùs sequeretur genus futurum speciem quod repugnat, quia disparatè sibi opponuntur, R. dist. sequelam, esset species formalitèr, nego majorem, denominativè concedo sequelam. Itaq; pro majori intelligentia & pro facili plurium aliarum objectionum solutione, Nota ex Doctore unam intentionem secundam posse fundari super aliam, acceptam ut quid, ac eam denominare, seu de illa prædicari ut modus, hoc enim esse commune omnibus secundis intentionibus dicit Doctor, quòd quælibet possit accipi ut quid, vel ut modus; quando enim est illud quod intelligitur, tunc est ut quid, quando est ratio sub qua aliquid intelligitur tunc accipitur ut modus, hinc vera est illa prædicatio, universale est genus, quia universale sumitur ut quid, genus ut modus, quatenùs est ratio sub qua consideratur universale, dùm ad sua inferiora refertur. Eodem modo dici potest, quòd genus, differentia, proprium, & accidens, sint species denominativè & accidentalitèr, non verò formalitèr.

Urgetur. Nulla duo opposita possunt de se invicem prædicari, sed genus & species sunt opposita, ergò non possunt de se invicem prædicari, ergò nec genus erit species. R. dist. mi. genus & species sunt opposita si utraq; accipiatur ut quid, aut utraq; ut modus concedo mi. si unum accipiatur ut quid, & alterum ut modus nego mi. Quando igitur dicitur quod genus sit species, intentio generis sumitur ut quid, intentio speciei, ut modus, adeòq; non prædicantur de se invicem veluti opposita.

Dico 4. *Divisio universalis in præallegata quinq; prædicabilia, non est immediata.* Est etiam communis, & probatur, Quia universale prius dividitur in illud, quod prædicatur essentialitèr, & in illud quod prædicatur accidentalitèr, sed quandocunq; aliquid viciniora membra habet, & iis prætermissis enumerantur alia, non est divisio immediata, ergò: cùm universale prius dividatur per illas duas differentias, constituet duo genera intermedia, quæ posteà iterùm in illas 5. species subdividuntur, divisio non erit immediata. VII. *Divisio illa non est immediata.*

Dices; Hinc sequeretur plura dari universalia quam quinq; : quia si duo illa genera intermedia addantur, jam septem expressè erunt, ergò divisio est immediata. R. dist. sequelam: sequeretur dari plura universalia quam quinq;, quæ essent species infimæ, nego sequelam, quæ essent species subalternæ, transeat. Itaq; hic est sermo de universalibus quantum ad species infimas, non verò quantum ad subalternas. Imò quia genera illa intermedia in inferioribus reperiuntur non faciunt propriè numerum. VIII.

Pro Complemento hujus quæstionis, totiusq; disputationis de Universalibus in communi, Adverte difficultates quas noluit solvere Porphyrius Chrysaorii consulens juventuti, facillimè posse solvi, qnarum prima erat: An genera & species sint in rerum natura à parte rei? R. enim quod capiendo genera illa & species pro naturis illis quæ sic denominantur, non esse dubium quin dentur genera & species à parte rei, in singularibus tamen, & similitèr patet quod quædam ex his generibus sint corporalia, quædam spiritualia, quædam substantialia, quædam accidentalia, quod erat secunda difficultas. Ad tertiam etiam quæstionem quæ quærebat utrum universalia essent in sensibilibus, an extra (id est in singularibus) patet quod sint in illis, quatenùs identificantur illis, extra illa quatenùs formalitèr distinguuntur ab illis.

DISPUTATIO II.

DE GENERE, PRIMO PRÆDICABILI.

SEquor ordinem Porphyrii, & communem: & post sufficientem majorum difficultatum elucubrationem de universalibus in communi, ad particularia descendo, quæ proinde eò faciliora erunt, quò melius communiora fuerint præcognita, ideoq; sit

QUÆSTIO I.

Quid sit Genus?

Tradit Baro plures fuisse qui genus definibile non esse existimarunt: inter quos recenset Ammonium, Boëthium, Vilipandum, &c. in margine; verum quidem est rem esse intricatissimam, in qua explicanda & solvenda quilibet ferè alium & alium adhibet modum; attamen, antequam ad resolvendam quæstionem progrediar: Notandum in præsentiarum sermonem non esse *de Genere Grammatico*, quo aliquid dicitur esse generis fœminini, vel masculini; nec *de Genere Rhetorico & Oratorio*, qualia sunt genus demonstrativum, & judiciale; nec *de Genere Politico*, quo sensu dicuntur omnes homines I. *Genus varie sumitur.*

homines genus humanum, & illi qui in certa propagine suam originem & principium ducunt, ab eo qui genuit, vel etiam in loco quo quis genitus est, sicut quidam apud Virgilium cecinit: *Italiam quæro Patriam genus a Jove summo.* Sed est sermo de genere logico: Cujus Porphyrius asignavit duplicem definitionem, vel potiùs descriptionem; Prima est ista, *Genus est id, sub quo collocatur species*, quæ duplicem patitur sensum & explicationem: ut primò significet quòd genus respiciat speciem tanquam superius suum inferius in genere prædicamentali; deinde ut idem significet ac quod genus sit id, quod respicitur à specie tanquam superius ab inferiore: Secunda definitio est, *quod genus sit illud, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, quod quid est*, ita habet cap. 2. Unde hìc inter Authores controvertitur, an detur aliqua vera definitio generis, vel utrum solùm aliquæ descriptiones, & utrum secunda à Porphyrio tradita sit definitio essentialis & quidditativa, quæ etiam strictè dicta appellatur, vel utrum tantùm sit definitio in largiori acceptione, quo sensu dicuntur etiam definiri illa, quæ non habet genus & differentia, seu descriptiva, Ad primam difficultatem contra Ammonium & suos

Dico 1. *Genus definiri potest definitione etiam strictè acceptâ.* Ita Doctor q. 15. univers. Mastrius & Bellutus ac cæteri communitèr. Probatur, Quia illud potest definitione etiam strictè dictâ definiri, in cujus integro conceptu asignari potest conceptus genericus & differentialis, sed in genere primo prædicabili possunt asignari tales conceptus, ergò genus primum prædicabile potest sic definiri, ma. est certa prob. minor. Quia in conceptu completo & adæquato generis, invenitur conceptus universalis, qui conceptus est genericus & contrahibilis ad plures differentias, scilicet ad quinq; prædicabilia; reperitur etiam conceptus differentialis, scilicet posse prædicari, non quomodocunq; ; sed etiam de pluribus specie differentibus, qui conceptus determinat rationem universalitatis ad certam aliquam speciem prædicabilis, ergò. Confirmatur *ex D. 4. d. 1. q. 2. dicente etiam in intentionibus logicis, habentibus conceptum per se unum inveniuntur suo modo genus & differentia.*

Arguitur in Contra ex Authoritate Aristotelis 7. Met. cap. 4. ubi dicit Definitionem esse solius speciei propriam, sed genus non est species, ergò genus definiri non potest; R. negando mi. Quia genus est species subjicibilis in ordine ad universale, non quidè essentialitèr & ut quid, sed accidentalitèr & ut modus. Verùm licet hoc pateat sufficientèr ex dictis, tamè

Instatur. Omnis definitio strictè sumpta debet habere genus & differentiam, sed genus, nec accidentalitèr & ut modus potest habere genus & differentiam, ergò non potest definiri, probatur mi. primò, Quia genus includeret genus, ergò includeret seipsum, sed nihil seipsum includere potest, ergò: secundò, generis non potest dari aliud genus, vel deberet admitti processus in infinitum, ergò. R. dist. ma. debet constare genere & differentia formalitèr sumptis, seu secundò intentionalitèr, nego ma. materialitèr, seu primò intentionalitèr sumptis concedo ma. vel distingue alitèr ma. genere & differentia essentialitèr, nego ma. accidentalitèr concedo ma. similitèr dist. minori, nego consequentiam. Ad primam probationem minoris dist. ant. genus formalitèr, includeret genus formalitèr, nego ant. genus formalitèr, includeret genus materialitèr, concedo ant. & nego consequentiam, sicut enim homo includit rationem generis, non formalitèr & essentialitèr, sed materialitèr tantùm & accidentalitèr, seu denominativè: quatenùs scilicet includit rationem animalis, cui deinceps per operationem intellectûs comparantis illud ad alia advenit ratio generis, sic etiam genus includit rationem prædicabilitatis, cui deinde per operationem intellectûs comparantis, advenit ratio generis; Ad secundam probationem. R. distinguendo similitèr propositionem, primo Generi non potest advenire genus essentialitèr concedo, accidentalitèr nego, unde universale quod advenit quinq; speciebus, non est essentialitèr genus, sed accidentalitèr, Nec hinc sequitur processus in infinitum, quia genus prædicabile non quatenus genus, sed quatenùs species respicit universale in communi tanquam suum genus in quo posteà sistitur. Verùmtamen

Urgetur. Illud universale quod genus respicit veluti species subjicibilis tanquam suum genus, est definibile, ergò per aliud genus; si per aliud, illud genus alterum erit iterùm definibile, ergò dabitur processus in infinitum. R. Illud universale esse definibile per aliud genus materialitèr, non tamen formalitèr, sed formalitèr definitur per genus primum prædicabile sub ratione secundæ intentionis genericæ, à qua veluti essentialitèr tali dependent omnes naturæ, sive reales, sive intentionales illius universalitatis capaces denominantur tales. Unde universale accidentalitèr est genus, ad primum prædicabile, non verò essentialitèr universale, econtra paritèr accidentalitèr sub genere quatenùs scilicet affectum est tali secunda intentione, hinc genus ut quid inferius est ad universale, ut modus verò potest esse superius.

Dico 2. *Benè & essentialitèr definitur genus per datam suprà secundam definitionem Porphyrii.* Hæc est Scoti 15. q. univers. & suorum. Est etiam D. Augustini in Cathegoriis cap. 7. quodammodo in terminis ferè clariùs, nam dicit ibidem: *Genus igitur est quod secundum multa & differentia quid sit specie ostenditur atq; significatur ut est οὐσία*, id est substantia, ubi per ly significatur ostendit prædicabilitatem de pluribus, per ly ostenditur verò inexistentiam, vel indifferentiam naturæ in speciebus, ita ut non modò genus secundò intentionalitèr sumptum definiat, sed etiam primò; similia habet lib. 1. ad Bonifacium Papam. Probatur Conclusio: Quia illa est vera & essentialis definitio, quæ constat verè genere & differentia, sed prædicta constat verè genere & differentia, ergò: probatur mi. quia illud est verum genus quod convenit cum pluribus secundùm eandem rationem univocè, & secundùm idem nomen, sed hoc habet, ergò. Probatur minor explicando omnes ejus partes, & inprimis, Genus est, quod sit prædicabile de pluribus, in quo convenit cum omnibus aliis universalibus, quæ omnia sunt prædicabilia de pluribus, Et per hanc particulam distinguitur ab individuo, & ab omnibus aliis, quæ universalia

IV. *Secunda definitio est bona.*

non sunt: nec hoc impedit quò minùs habeat adhuc rationem generis, quia ut notat Doctor 1. d. 11. q. 2. sub litt. C. genus proximum potest distinguere & discernere ab omnibus iis quæ non continentur sub eodem genere cum definito, nam animal distinguit hominem à lapide hinc omnia prædicabilia per prædicari de pluribus ab omnibus individuis distingui possunt: Differentiæ verò locum habent omnes reliquæ particulæ, per quas genus distingnitur etiam ab aliis prædicabilibus, Et in primis quidem per ly specie differentibus, distinguitur à secundo prædicabili, scilicet specie: quæ prædicatur solùm de pluribus numero differentibus tantùm, unde per hanc particulam designatur etiam quòd genus non dicat totam essentiam, sed tantùm partem essentiæ: quia species habent diversas essentias totales; quare una totalis non potest de omnibus illis prædicari, hinc malè dicit Aversa, per hoc distingui præcisè genus à specie, quòd genus de pluribus specie differentibus, species verò de pluribus numero tantùm differentibus prædicetur, Quòd autem malè dicat patet, nam tunc contra semetipsum plura universalia admittere deberet, & etiam contra communem quam quinq;, quod & suæ & communi sententiæ adhærendo dici nequaquam potest, & hoc probo sequi: Si ideò genus præcisè distingueretur à specie quòd illud de pluribus specie, hæc verò solùm de pluribus numero differentibus prædicetur, sequeretur quòd differentia generica verbi gratiâ sensitivum distinguetur à differentia infima verbi gratiâ rationali, quia illa de pluribus specie differentibus, hæc solùm de pluribus numero differentibus prædicatur, & tunc contra communem sententiam erunt plura universalia quam quinq;: ergò non ex eo præcisè distinguitur genus à specie, quòd illud de pluribus specie, hæc verò de pluribus numero differentibus prædicetur, sed etiam quia genus communicatur ut pars essentialis, species verò ut tota essentia, & per consequens genus prædicatur incompletè, prædicari autem incompletè, est prædicatum non exprimere totam subjecti essentiam, verbi gratiâ homo est animal, & species prædicatur completè, prædicari verò completè est, quando prædicatum exprimit totam subjecti essentiam ut Petrus est homo.

V. Dices cum Pontio: Si ideò distinguitur genus à specie, quia species prædicatur completè & genus incompletè, sequetur, quòd genus supremum distinguetur à genere inferiori, sed hoc non est dicendum, ergò. prob. sequela ma. Quia genus superius est magis incompletum quam genus inferius, nam genus superius dicit potentialitatem ad genera inferiora, verbi gratiâ substantia dicit potentialitatem ad substantiam tàm corporalem, quàm spiritualem, corporalis autem non dicit potentialitatem nisi ad substantias solas corporeas. Hanc instantiam ut solvam prius notandum est, Genus aliud esse generalissimum, aliud subalternum, primum est supra quod non datur ullum aliud genus, tale est substantia ut sic: supra quod non datur aliud genus communeomnibus, & solis substantiis: nam licet ens supra sit non convenit tamẽ solis substantiis, sed etiam accidentibus: aliud est genus subalternum, quod suprà se habet aliud genus, & infrà se plures species, de quibus est prædicabile, hoc notato R. negando sequelam ma. ad cujus probationem dico, per hoc quod genus supremũ prædicetur magis incompletè genere inferiori, non esse per hoc inter illa distinctionẽ specificã, nã ut ajunt Philosophi, majo & minus in eadẽ linea nõ variant speciẽ ut constat de magis & mino albo.

Per particulam ultimam in quid, distinguitur genus à reliquis tribus prædicabilibus, quæ prædicantur in quale nempe à differentia, proprio, & accidente, nam ultima duo prædicantur absolutè in quale accidentalitèr, differentia verò dicitur & prædicatur in quale quid, quia dicit partẽ essentiæ determinantis & per modum termini adjectivi: genus verò dicit essentiam per modum per se stantis & termini substantivi, & ideò absolutè dicitur prædicari in quid, nam esto differentia prædicat essentiam, non tamen per modum essentiæ, sed per modum qualitatis. Pro meliori ergò intelligentia, Nota prædicari in quid esse ita prædicari, ut per prædicatum explicetur subjectum quid sit, sicut quando dicitur, ille est homo, illud est animal, quæ prædicatio habet se per modum per se stantis, prædicari verò in quale est, quando prædicatum tendit ad explicandum subjectum, non quid sit, sed quale sit, unde prædicari in quid per nomen relativum substantivum & significat per modum per se stantis, quale verò est nomen relativum adjectivum & significat per modum alteri adjacentis; quare ad quæstionem quid est respondetur nomine substantivo, ad quæstionem verò quale per nomen adjectivum.

VI. *Opponitur & solvitur Aristotelis.*

Opponitur contra Conclusionem authoritas Aristotelis c. 4. de substantia, & 7. Met. t. 40. ubi dicit, *Substantias secundas prædicari in quale quid, sed genera*, sunt substantiæ secundæ, ergò male dicitur quod genus prædicetur in quid. R. Aristotelem tantùm velle substantias secundas non prædicari de primis tanquam per se subsisterent realitèr distinctæ, ut posuit Plato, sed prædicari in quale quid, prout sic prædicari est idem, ac prædicari per modum alicujus essentialitèr inclusi, & realitèr identificati; Deinde ut notant aliqui, Aristoteles non dixit illas prædicari in quale quid, sed significare quale quid.

Instatur Aristoteles & Porphyrius etiam definiendo genus ita voluerunt definire, ut per illam distingueretur ab aliis prædicabilibus, sed per prædicari in quid non distinguitur à reliquis, ergò: prob. mi. quia non distinguitur à differentia, ergò; prob. ant. Quia idem *Aristoteles 7. top. c. 2. & 1. post. 21. dicit differentiam prædicari in quid, ergò non distinguitur a differentia*, consequenter mala definitio, quandoquidem convenit alteri à definito. R. neg. mi. cum anteced. probæ ad cujus probationem dico, Aristotelem in his & similibus locis intelligendum esse, quòd differentia prædicetur in quid secundùm rem, & non secundùm modum, nam secundùm modum prædicatur in quale, Genus verò secundùm rem & secundùm modum prædicatur in quid, ut ipse Aristoteles 5. Met. c. 28. insinuat dum ait: *Genus esse quid primum quod primum inest & quod est subjectum, differentiam verò se habere ut qualitatem ejus*, hinc licet quoad rem sit pars essentiæ, quoad modum tamen prædicatur in quale; Ex quibus patet, malè tandem inferri definitionem malam esse, utpotè cum alteri à definito conveniat, cùm revera non conveniat. Verùmtamen ex ratione.

Ur-

Urgetur hæc ultima sequela: Convenit hæc definitio etiam enti, sed ens non est genus, secundùm Aristotelem 3. Met. cap. 3. ergò mi. patet, prob. ma. quia ens prædicatur de pluribus specie differentibus in quid. R. igitur ens dupliciter sumi posse, semel prout est univocũ ad entia, seu substantias, seu accidentia creata & limitata, & sic consideratum est genus, quia ipsi convenit definitio generis secundo modo, prout est univocum, vel analogum (de quo modo parum curo) ad Deum & creaturam, & sic non est genus, quia ipsi non competit definitio generis; nam genus debet esse prædicabile de pluribus specie differentibus, Deus autem non est species, sed essentialiter substantia individua & singularis, nullum verò genus constituitur immediatè per ordinem ad singularia & res individuas; Item genus debet esse contrahibile per differentias, ens autem in Deo non est contrahibile per differentiam, quia Deus non constat genere & differentia. Deniq; omne universale debet esse genus finitum & limitatum, quandoquidem hic agitur de eo prout inserviunt ad prædicamenta.

Pro Complem. ento quæst. nota, quòd licet hæc definitio sit essentialis, non esse tamẽ absolutam, sed mixtã, quia datur per ordinẽ ad aliquid aliud scilicet ad illa plura de quibus prædicari potest.

QUÆSTIO II.

Quid sit definitum in definitione generis.

I. Prima fronte quæstio hæc videtur ridicula, nam cum omnis definitio sit alicujus definiti, & supra cu Porphyrio genus definirim, lepidè quæritur quid nam sit definitum, non secus ac si quis hominem definivisset, dicendo, homo est animal rationale, risum excitaret, quærendo: quidnam sit definitum, verùm hoc non modò longè à risu abest, sed etiam plures continet & complectitur difficultates, nam nomen concretum ut in proposito est genus, & quodlibet aliud universale postea definiendum (eadem enim est quæstio & ratio de genere, ac cæteris) dicit formam simùl & subjectum, vel utrumq; ex æquo & in recto, vel unum coñotando aliud, scilicet, vel formam in recto, connotando subjectum in obliquo, aut ècontra subjectum in recto, connotando formam, cùm igitur genus importet genereitatẽ ut formam efficientẽ aliquam naturã, atq; ideò in concreto, & non in abstracto definiatur, conveniunt omnes, nec definitisolam intentionẽ secundam, neq; nudã naturã capacẽ intentionis, sed vel utrumq; ex æquo, vel unum per ordinem ad aliud, excepto Barone, post Pasqualignum qui contra communem dicit solam naturam definiri hic. Verùmtamen contra eundẽ & omnes alios similis farinæ & doctrinæ,

II. Definitum non est natura præcisè.

Dico I. *Definitum in definitione generis non est natura secundùm se præcisè.* Hæc est expressè Scoti q. 14. universalium ubi sic habet, *Dicendum, quod res hìc nullo modo definiatur, quia quod hìc definitur convenit omnibus univocè rebus omnium generum, &c.* contra Baronem ex quo patet, sicut & pluribus aliis hunc Authorem plurimum aberrare à scopo sibi proposito, qui fuit, & est, ut ex titulo operi præfixo, *Scotus defensus*, scilicet non tàm Scotum eum defendere, quàm novitati studere, cùm verba Scoti sint clarissima naturam secundum se præcisè non definiri. Probatur itaq; Concl. tùm authoritate Scoti, tùm ratione, quam Scotus ipse insinuat, Hic definitur aliquid commune omnibus naturis, sed nulla datur natura communis omnibus generibus, ergò natura hic non definitur, ma. patet, minor prob. Quia nihil univocè habent genera realia, & ea sunt rationis, vel quasi rationis, ergò nulla datur natura communis univocè omnibus generibus.

Respondet Baro, distinguendo mi. non datur natura communis determinata concedo, indeterminata & transcendens nego mi. Sed contra hanc responsionem primò facit, Quia Baro petit hic principium, nam ex communi sententia defendente quinarium numerum universalium ad universale requiritur, quòd sit quid determinatum, sed Baro tollere vult probabilitatem sententiarnm afferentium plura, vel pauciora universalia quàm quinq;, ergò cum communi tenere debet ad universale requiri naturam derminatam, consequentèr petit principium distinguendo illam minorem, & pro distinctionis membro afferendo naturam transcendentem & determinatam. Contrà 2. Ex communi sententia Ens solum est sic transcendens, ergò ens solum esset genus, consequentèr non darentur plura genera quàm unum, Quòd si quis pro Barone respondeat non dari nisi unum genus generalissimum, benè tamen plura subalterna: tunc Insurgo iterùm Contra, illa genera subalterna non habent aliquam naturam communem univocè omnibus, ergò illa non essent genera. Contra 3. principalitèr, Illa natura qualiscunq; demum non spectaret ad Logicam, ergò definitio generis non est illius naturæ, patet consequentia, probatur ant. tùm quia definire naturas rerum spectat ad alias scientias, tùm quia Logicæ est de se principalitèr definire secundas intentiones, & non primas. Ad hoc respondet Baro hoc esse verum de naturis realibus, non verò intentionalibus, sed quis non videt Responsionem hanc concedere, quod quærimus, si enim ad Logicam non spectat definire naturas reales, ergò definitionis generis definitum non est natura secundum se præcisè, sed erit aliquid aliud, si verò est aliquid aliud quomodo stat principale ipsius argumentum, scilicet quòd non intentio, sed natura prædicetur de pluribus specie differentibus, Quod argumentum ut adhuc magis enervetur III.

Probatur Conclusio secundò: Prædicabilitas nec est de essentia naturæ communis primò intentionalitèr captæ, neq; proprietas ejus, ergò natura hic non definitur definitione generis secundum se præcisè, consequentia patet, quia si prædicabilitas non est de essentia naturæ primò intentionalitèr sumptæ, non poterit per prædicabilitatem definiri: probatur ant, quia prædicabilitas advenit naturæ jam essentialitèr completæ, ergò. IV.

Dices contra Conclusionem: Illud per se hic definitur quod per se prædicatur de plurib⁹ specie differentib⁹, sed natura est quæ sic prædicatur, ergò per se hic definitur, ma. est certà, prob. mi. Animal verbi gratiâ prædicatur essentialitèr de homine & bruto, & non secunda intentio, ergò. Confirm. quia Porphyrius explicans gen⁹ quod definierat exemplificat in natura reali communi, scilicet in animali, dicens: ut ani- V.

mal prædicatur de homine & bruto. ℟. dist. ma. quod prædicatur prædicatione essentiali signata concedo ma. quod prædicatur prædicatione exercita nego ma. & distincta similitèr minori, nego consequentiam. Itaq; quod hìc definitur debet posse prædicari prædicatione essentiali signata de pluribus specie differentibus, qualitèr naturæ non convenit talis prædicatio essentialis. Ad Confirmationem dico, Porphyrium ideò exemplificasse genus per animal, quia est fundamentum genereitatis, & quia in ipso exercetur quod per ly Genus signabatur, hinc patet, quòd secundæ intentioni essentialitèr conveniat definitio generis, quia ex secunda intentione convenit generi prædicari de pluribus prædicatione signatâ.

VI. *Non aggregatum ex natura & secunda intentione.*

Dico 2. *Definitum in definitione generis non est aggregatum ex natura & secunda intentione.* Hæc est Scoti supra contra Ruvium, Murciam, Hurtadum, Amicum, & probatur; Conclusio tùm authoritate, tùm ratione Scoti q. 14. univ. *Nec etiam aggregatum per accidens, cujus non est definitio per Aristotelem 6. & 7. Met.* Id est, ut aliquid definiatur definitione propriè dicta, debet esse ens per se, & non per accidens, sed illud aggregatum ex natura & secunda intentione non est ens per se, sed per accidens, ergò definiri non potest, ergò illud non erit definitum in definitione generis. Prob. Conclusio secunda, Quia illud hic definitur quod de pluribus prædicatur & ad inferiora descendit, sed conflatum ex natura & secunda intentione non descendit ad inferiora, neq; de illis prædicatur exercitè, aut signatè, quia prædicatio exercita est propria primarum intentionum, signata secundarum, ergò nullo genere potest illud prædicatum prædicari de pluribus.

VII.

Dices. Relativa, anima, & plura alia quæ dicunt respectum ad diversa definiri possunt, ergò etiam poterit hoc aggregatum definiri, prob. quia hoc aggregatum non dicit, seu non involuit plura in se quàm relativa, anima. &c. plura alia quæ per ordinem ad diversa definiuntur, ergò æq; poterit definiri, cùm non sit magis concretum accidentale quàm illa. ℟. dist. ant. Relativa &c. plura concreta accidentalia definiri possunt, ita ut æq; primò significent formam & subjectum nego antecedens, prout unum dicit primariò & alterum secundariò concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; aggregatum hoc, si utrumq; primariò importat hac definitione definiri non poterit, benè tamen si unum in recto, & alterum in obliquo; Quare nota Concretum accidentale dupliciter considerari posse, uno modo ut significat æq; primò subjectum & formam, & hoc propriè dicitur ens per accidens: alio modo ut non utrumq; ex æquo principalitèr significat, sed unum primariò & alterum secundariò: & hoc dicitur ens connotativum, qualia sunt correlativa, & omnia illa quæ definiuntur per ordinem ad aliud, quæ definiri possunt definitione essentiali & rigosorâ, sed non simplici & absolutâ, sed mixta prout dixi in summulis, & sic se habet etiam in intentionibus secundis quare

VIII. *Sed secunda intentio connotans naturam.*

Dico 3. *Definitum in definitione generis, est secunda intentio ut connotat naturam communem.* Hæc est Scoti supra sæpè cit. & quamvis ibi dicat solam intentionem definiri, subintelligendum tamen est cum ordine ad naturam communem, seu intentionem secundam primariò & principalitèr definiri, Est etiam D. Thom. 1. d. 18. q. 1. a. 2. &c. Probatur, illud definitur in definitione generis, quod per illud concretum genus principalitèr significatur, sed secunda intentio ut connotat naturam in illo concreto principalitèr significatur, ergò. Confirmatur, Quia prædcari de pluribus est principalitèr intentionis, secundariò verò, seu per accidens naturæ, quia naturæ est esse per se.

QUÆSTIO III.

An genus salvetur in unica specie, & species in unico Individuo?

I. *Quæstio est de utroq; universali.*

Quæstio hæc procedit tàm de universali metaphysico quàm logico, non procedit tamen in eo sensu quo genus & species dicuntur aliqua tota actualia, scilicet quantum ad prædicata sua intrinseca & essentialia: nam sic certum est quòd tàm genus, quàm species in unico inferiori salvari possit, quia secundùm suam essentiam totam communicantur cuilibet suo inferiori, sic tota ratio animalitatis est in specie humana, & tota ratio naturæ humanæ in Petro, nam destructis omnibus omninò animalibus, & solo existente homine adhuc homo esset animal, & destructis omnibus individuis, & solo remanente Petro: adhuc Petrus esset animal rationale; Est ergò difficultas de genere & specie in quantum dicunt aliqua tota potentialia, ita ut sensus sit an ad conservandam totalitatem suam potentialem secundùm statum ei connaturalitèr debitum genus exigat plures species, & species plura individua. In qua materia triplex est sententia: Prima est Cœlestini asserentis disp. 5. Log. sect. 2. Genus tàm secundùm metaphysicam considerationem, quàm secundùm logicam in una specie, & speciem in uno individuo salvari posse. Secunda diametralitèr opposita requirit quod genus plures species, & species plura individua necessariò requirat, quæ non modò possibilitèr, sed etiam actu existant. Ita Boethius, Alexander, D. Thomas, Fonseca, Toletus, & plures alii: Tertia tandem sententia mitior est, media requirit ad salvandam universalitatem generis plures species, & speciei plura individua non quidem actu existentia, sed saltem possibilia; Et hæc est communior Scotistarum, Eamq; tenet Ruvius, Oviedo, contro. 4. log. punct. 3. Hurtadus, Blancus, & plures alii, nec dissentit Baro licet fortè vellet & affectatè casibus duobus propositis desideret, attamen re ipsa cum cæteris Scotistis coincidit, Quare ad quæstionem

Triplex est sententia.

II. *Debent ad minus esse plura possibilia.*

Dico 1. *Genus & species secundùm logicam considerationem requirunt plura inferiora, licet non actu existentia à parte rei extra causas posita, requirunt tamen plura objective in intellectu, ita scilicet, ut licet plura actu non existant, sint tamen possibilia.* Hæc est Scoti quæst. 18. univers. ut ipsum citant Mastrius & Bellutus, ubi in fine dicit: Genus actu multas species requirere per intellectum apprehensas, ubi eum de universali loqui explicant Mauritius & Bargius. Prob. Concl. quoad 1. p. scilicet quod non sit necessarum ut inferiora sint

à parte

à parte rei actu existentia, Quia si requireretur plura inferiora actu existentia sequeretur naturam Solis, Lunæ, phœnicis & non posse fundare universalitatem Logicam, sed hæc secundùm communiorem possunt fundare universalitatem Logicam, ergò non requiritur ut inferiora sint à parte rei actu existentia, probatur mi quia adhuc considerari possunt prout sunt indifferentia adhoc & illud individuum, ergò. Probabatur ergò Conclusio etiam quoad alteram partem. Quia genus & species ut à Logico considerantur formaliter, dicunt respectum ad plura, ergò non possunt salvari in unico inferiori quomodocunq; , sed requiritur ut ad minus in intellectu repræsententur plura illa possibilia, ant. patet, consequentia probatur, Quia nihil potest salvari sine sua ratione formali & essentiali, ergò si genus & species Logicè respiciunt plura essentialiter, non poterunt subsistere sine illis pluribus, id est nisi illa plura sint possibilia. Confirmatur. Quia universale Logicum fit per actum intellectus comparativum, sed talem actum comparativum non potest habere nisi respiciendo plura, ergò.

III. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur Contra Conclusionem pro sententia Prima. Ad hoc ut aliquid sit genus & universale Logicum requiritur & sufficit, ut sit unum in multis, de iisq; possit prædicari veluti pars materialis eorum, sed hoc genus haberet (licet implicarent omnes aliæ) in una specie sub qua continerentur plura individua actualia vel possibilia, ergò illi nihil deficeret ad universalitatem, seu rationem generis Logicam, ma. patet: probatur minor, quia sola esset species humana adhuc animalitas non diceret totam essentiam hominis, sed partem tantùm materialem, deinde etiam esset unum in multis illis individuis veluti pars materialis & incompleta, ergò. R. distinguendo ma. Adhoc ut aliquid sit universale requiritur & sufficit &c. ut sit unum in multis, de iisq; possit prædicari quomodocunq; nego ma. ut sit unum in multis de iisq; possit prædicari non modò ut pars materialis tantùm, sed etiam ut pars contrahibilis & indifferens ad alias species, concedo ma. & nego mi. quia si nullum animal esset possibile præter hominem cum tunc non magis latè pateret animal quàm homo, & non minùs per animalitatem quam per rationalitatem distingueretur Petrus ab individuis aliarum specierum, hinc implicat quòd data illa hypothesi prædicaretur incompletè & per modum partis materialis, quare nego etiam probationis ejusdem mi. ant. Quia cum ex hypothesi animal non esset possibile in alia specie præter humanam, qui diceret animal, diceret etiam rationale saltem implicitè & concomitantèr ob mutuam connexionem quæ tunc esset inter animal & rationale, neq; enim ad faciendam prædicationem completam semper est necessarium exprimere quemcunq; gradum essentiæ, nam cum dicimus homo est animal rationale hæc est prædicatio completa, & tamen implicitè solùm explicantur gradus superioris viventis corporis &c.

Instatur; Licet data hypothesi animal non posset reperiri extra humanam speciem, adhuc tamen dicendo homo est animal præscinderet à rationali, & ut sic præcisum nõ diceret totam hominis essentiam, ergò esset prædicatio generica. R. quod tunc non daretur talis præcisio, nam quòd nunc detur ratio est, quia inter animalitatem & rationalitatem reperitur distinctio formalis, in casu autem illo idem esset principium sentiendi & discurrendi, & cùm tunc nulla foret distinctio, nulla quoque esset præcisio: cùm omnis præcisio fundetur supra distinctionem. Quod si tibi hæc responsio non sapit, Respondeo ut supra, scilicet tunc adhuc futuram prædicationem completam, quia qui diceret hominem esse animal virtualitèr, etiam & implicitè ac concomitantèr diceret eum esse rationalem. Imò si adhuc concederes quòd prædicatio illa esset incompleta, in nullo peccares: nam exinde non liceret tamen inferri, quòd quoq; esset generica, quia non esset per modum partis materialis, quod significat esse contrahibilem per plures differentias essentiales.

Urgetur; Saltem in hoc casu quo videlicet daretur aliquod genus, verbi gratiâ animal, & sub eo darentur plures species, vel quasi species, quæ tamen ultra non essent communicabiles, exempli causâ præter Petrum & Buccephalum atq; Conam, Coridon sub natura humana aliud non esse possibile individuum, quàm Petrum, sub natura equi alium non esse quàm Buccephalum, & sub natura canis alium possibilem haud esse quam hunc Coridon, in hoc, inquam, casu animal habebit se respectu generis, respectu hominis, equi & canis, quia tunc prædicabitur per modum partis essentiæ determinabilis & nullibi dicet totam essentiam explicitè, vel implicitè, ergò saltem in hoc sensu natura generica non requiret plures species, sed poterit sufficientèr in illis individuis conservari. Ad hanc instantiam variè respondent Authores, nam Pontius concedit in tali casu sine multiplicatione specierũ salvari posse rationem generis ut distinguitur à cæteris prædicabilibus, Aversa è contra negat, rationẽ dans, quia de essentia generis est, ut sit in pluribus speciebus; in casu autem non esset nisi in pluribus individuis, & consequentèr species, verùm hæc ratio non concludit: quia supponitur quòd plus differant quàm numero, species autem plura solo numero distincta requirit: & quamvis Baro defensare tentet, quòd tunc non plus differrent quàm numero R. tamen cum Mastrio & Belluto, Argumentum ex hoc casu animal habiturum rationem generis, in quantum esset prædicabile de pluribus Individuis distinctæ rationis essentialis, seu essentialitèr differentibus per modum partis materialis; Ex alia verò parte Casum illum esse implicatoriũ, quia si illa individua sunt distinctæ rationis essentialis, seu essentialitèr differunt, & plusquam numero, ergò differunt specie & sunt in diversis speciebus, quæcunq; enim differunt essentialitèr, differunt etiam specie, unde in eo casu data hypothesi dicendum esset, quòd unumquodq; illorum individuorum propriam constitueret speciem, quemadmodum de individuis angelicis dicere solent Thomistæ.

IV. *Etiam secundum Metaphysicam cõsiderationem.*

Dico 2. *Genus & species secundùm Metaphysicam*

ficam considerationem in quantùm fundamentum sunt universalis Logici, genus plures species, & species plura requirit individua, non quidem actu existentia, saltem possibilia. Hæc Conclusio colligitur ex Doctore supra cit. estq; communis Authorum sententiæ tertiæ. Probatur Conclusio primò de genere scilicet requiri plures species saltem possibiles. Quia genus in tantum est pars materialis speciei modo, quia ad plures species est contrahibile, ergò si una species esset tantum possibilis, non posset constitui ejus pars materialis, probatur ant. quia si genus non esset communius specie quàm constituit, & differentia quâ contrahitur, non posset dici verè contrahi & coarctari per differentiam, quia non esset majoris amplitudinis quàm differentia, neq; esset ratio cur species constituta cum aliis speciebus conveniret, sed potiùs spectaret ad ultimum distinctivum illius naturæ, quia illud spectat ad ultimum constitutivum alicujus naturæ, quod ei soli convenit, & consequentèr non erit pars potentialis illius speciei. Probatur Conclusio quoad eandem partem de genere & specie simul, Quia ut aliqua natura sit universalis Metaphysicè, debet esse capax universalitatis Logicæ, sed natura generica quæ unam solam speciem habet, & specifica quæ unum solum individuum possibile, non potest esse universalis Logicè, ergò nec Metaphysicè. Confirmatur ex definitione universalis Metaphysici, quod debet esse unum in multis saltem remotè, sicut universale Logicum est unum aptum esse in multis proximè, ergò. Probatur Conclusio quoad alteram partem, scilicet non requiri, ut illa plura actu existant; Quia universalitas generis Metaphysica non consistit in hoc quòd habeat plures partes subjectivas, in quibus actu existat, sed tantùm in quibus possit in esse, ergò cum universalitas consistat in sola relatione aptitudinali, frustrà requiritur actualis, & consequentèr non requiruntur plures species, vel plura individua actu existentia.

V. *Opponitur & solvitur Aristoteles.*

Opponitur Contra Concluſ.

Authoritas Aristotelis multis in locis in quibus docet quod genus debeat habere plures differentias, & etiam habeat actu consequentèr etiam plures species ut 1. Top. cap. 3. 3. Met. t. 10. & 7. Met. 42. & 10. Met. 14. & alibi sæpè. R. adhas & similes plures authoritates genus respicere plures species possibiles, non verò actu existentes, quòd si verò requirit species actu existentes in aliquibus locis tunc dicendum est eum loqui de genere Logico quod actu requirit plures species in existentia objectiva; vel dicito eum loqui prout nunc & defacto contingit secundùm naturalem rerum exigentiam, non verò quòd absolutè non possit salvari ratio generis sine pluribus speciebus actu existentibus. Verùmtamen in contra

VI.

Arguitur: Etiam ex ratione, Nullum genus concipi potest veluti contrahibile per unam tantum differentiam, ergò actu requiruntur plures, probatur ant. si posset concipi ut contrahibilis per unam differentiam tantùm, non conciperetur ut divisibilis per plures, sed genus debet concipi ut per plures divisibilis, ergò nõ potest concipi ut contrahibilis per unã differentiam tantùm, consequentèr requirentur plures actu existentes. R. concesso ant. distinguendo consequens requiruntur actu plures nego consequentiã, requiruntur plures possibiles concedo consequentiam neq; argumentum alterum plus probat quàm quòd plures possibiles requirantur non verò actuales.

Instatur; Existente uno contrario, necessè est ut alterum quoq; existat, sed differentiæ sunt sibi contrariæ, ergò existente una contrahente, genus necessè est quoq; ut altera etiam actu existat, ma. patet ex Arist. 2. Cœli. 18. R. dist. ma. Existente uno contrario necessè est etiam existere alterum propriè dicto, concedo ma. prout contrarium sumitur pro quacunq; oppositione nego ma. & mi. quia differentiæ non sunt sibi propriè contrariæ, sed potius privativè opponuntur, in quantum scilicet una semper est perfectior altera, nec aliud intendit Aristoteles citatus ut notat Aversa.

Urgetur: Differentia cum qua genus constituit unam speciem distinguit actu illud ab omnibus aliis speciebus, sed sic differre & distingui non potest facere nisi illæ aliæ actu existant, ergò actu requiruntur plures. R. negando mi. quia differentia distinguit illam speciem constitutam non modò ab actu existentibus, verùm etiam à possibilibus. Quòd si quis replicaret adhuc, quòd genus dicat potentiam naturalem ad plures species quæ frustrari non debet, alioquin superflua esset & inanis, nil proficeret, nam nimium probaret, nam sicut genus dicit potentias ad plures, & ad species syncathegorimaticè infinitas, ita sequeretur quòd deberet actu infinitas.

QUÆSTIO IV.

An habeat sub se genus individua & quomodo de illis prædicetur?

I. *Quæstio est an genus mediatè, vel immediatè prædicetur de individuis.*

Apud omnes certissimum est, genus de individuis prædicari, verè enim dicitur *Petrus est animal, Paulus est animal*, & ideò Porphyrius genus definiens dixit, genus prædicari de pluribus specie differentibus, insinuare volens non solùm prædicari de speciebus, sed etiam individuis, nam non solùm homo & brutum specie differunt, sed etiam *Petrus & Bucephalus*; Sensus igitur quæstionis quoad primum dubium est, an mediatè tantùm prædicetur de illis, id est, mediante specie: quo sensu dicimus quod Petrus sit animal, quia est homo, an verò etiam aliquando prædicari possit immediatè? Circa quod dubium duplex est sententia: Prima dicit genus non prædicari de individuis immediatè, id est, nullo alio mediante, sed mediatè, videlicet mediante specie, ita ut immediatè referatur ad speciem, & hac mediante ad individuum. Ita Albertus tract. 4. de Prædicabilibus cap. 1. Scotus. q. 17. Univers. Conimb. q. 1. de Specie Toletus q. un. Javellus tract. de Prædicab. Joan. à S. Thoma & multi alii, imò & ipse Porphyrius cap. de specie sic docuisse videtur. Secunda sententia docet posse genus prædicari non solum mediatè, sed etiam immediatè, verbi gratiâ dicendo non solum Petrus est animal,

Duplex est sententia.

animal, sed etiam hoc animal est animal, & ita sentiunt omnes quotquot individua generica admittunt, ita plurimi Recentiores Ruvius cap. de specie q. 5. Oviedo controv. 4. Log. puncto 4. Hurtadus, Sanchetz, Arriaga, D. Thomas, Scotus 1. d. 3. q. 6. & clarissimè in 4. d. 8. & alii quàm plures, unde pro clariori intelligentia.

II. Notandum Individua dupliciter considerari posse, primò ut sunt à parte rei, verbi gratiâ *Petrus, Paulus, Buccephalus &c.* & talia individua vocantur individua specifica, & sic verum est nullum tale individuum immediatè sub genere contineri, quia omne tale continetur immediatè sub aliqua specie, & mediante illa specie sub genere. Secundo modo individua considerari possunt non prout sunt à parte rei, sed prout ab intellectu concipiuntur, verbi gratiâ si à longè videamus venire aliquod animal, & non possimus discernere an homo, sit an bos? hoc individuum vocabitur incompletum & genericum, incompletum quidem, quia non attingitur secundùm totam essentiam, quam habet à parte rei; genericum verò, quia immediatè participat naturam genericam: immediatè enim de tali individuo est verum dicere, hoc animal est animal, hæc autem individua generica debere admitti expressè docet Scotus (non quidem à parte rei sed apud intellectum inadæquatè concipientem!) cum Avincenna, Varrone Magistro suo, hoc prænotato hisq; præmissis pro resolutione primi dubii.

III. Dico 1. *Genus prædicatur de individuis specificis & completis mediatè, de genericis verò & incompletis immediatè.* Hæc Conclusio colligitur ex Scoto citato, eamq; tenent Authores secundæ sententiæ contra omnes eos qui individua generica dari negant;

Probatur Conclusio primò ratione à Scoto allata ex Varrone, Quando enim de aliqua re ignoramus quid sit, distinctè & in particulari quærimus, quid est hoc? sed tunc ly *hoc* non supponit pro aliquo singulari speciei infimæ, ut hoc ligno, vel hoc lapide, quia tunc non ignoraretur quid sit illud quod per tale nomen quæritur, quia idem non supponitur & quæritur, supponit ergò pro singulari entis & quærit in speciali quid illud sit, unde data responsione quod est lignum vel lapis statim quiescit intellectus.

Probatur Conclusio specialiter secundò quoad 1. p. Illud prædicatur mediatè de aliquo, quod cognoscitur illi convenire mediante tertio, sed genus cognoscitur convenire individuis mediante tertio, ergò, ma. est certa: probatur minor; Ideò in hac propositione: verbi gratiâ Petrus est animal, ly Animal affirmatur de Petro, quia prius cognoscitur esse in homine, ergò genus mediatè tantùm prædicatur de individuis completis.

IV. Dices; Impossibile est essentiam rei competere mediante alio, sed animal rationale est essentia Petri, ergò. R. negando mi. animal enim & rationale sunt de essentia speciei, & sic secundariò tantùm conveniunt individuis, quia talia nullam essentiam propriè habent, præter species.

Probatur Conclusio quoad alteram partem; Quia hæ prædicationes sunt veræ, hoc animal est animal, hoc vivens est vivens, in quibus subjectum significat naturam singularizatam, prædicatum verò naturam universalem, sed inter naturam in communi sumptam & sumptam in singulari nullum potest dari medium, ergò genus immediatè prædicatur de individuis completis, probatur ma. quia dum video animal à longè ex certo aliquo motu vel signo, non cognoscendo cujus sit speciei, tunc non potest de illo in veritate prædicare aliud, quàm rationem communem animalis, ergò illæ sunt veræ prædicationes, & licet inter illas prædicationes mediet aliquid prout individua sunt à parte rei, non mediat tamen aliquid prout in casu illo à cognoscente imperfectè concipiuntur.

Confirmatur Conclusio. Illud prædicatur immediatè de aliquo, quod non cognoscitur illi convenire mediante cognitione alicujus tertii, sed inter cognitionem individui adæquatè & completè cogniti & cognitionem naturæ genericæ mediat cognitio speciei, quæ non mediat inter cognitionē individui inadæquatè concepti, & cognitionem naturæ genericæ, ergò genus prædicatur mediante specie de individuo completo, & immediatè de individuo incompletè concepto.

V. Opponitur Contra Concluſ. Authoritas Scoti pro prima opinione citati, ubi ait genus de individuis prædicari mediatè, ergò malè dicitur quòd prædicetur de aliquibus immediatè, cùm universaliter loquatur, adeoq; universaliter sit accipiendus; sed Responsio est facilis, nam Scotus loquitur de individuis specificis & completis, de quibus dicit quod genus mediatè prædicetur, quando verò agit de incompletis, contrarium omninò sentit, unde Scotus tàm unum quàm alterum asserit, sed non secundum idem & respectu ejusdem. *Opponitur & solvitur Aristoteles.*

VI. Arguitur Etiam ex ratione contra secundam p. Genus ita prædicatur de inferioribus prout sunt disposita in serie, & linea prædicamentali, sed in linea prædicamentali inter genus & individuum mediat species, ergò genus etiam non prædicatur de individuis nisi mediante specie. R. dist. ma. si illa inferiora sint distinctè & completè cognita, concedo ma. si sint confusè & incompletè cognita, nego ma. & concessâ mi. distinguo similiter consequens: Ergò genus etiam non prædicatur de individuis nisi mediante specie, de individuis completè cognitis, concedo consequentiam, de individuis incompletè cognitis nego consequentiam. Sed

Instatur Non potest fieri transitus ab extremo ad extremum nisi transeundo per medium, sed genus & individua sunt extrema & species est medium, ergò, genus non potest prædicari de individuo nisi prius prędicetur de specie. R. dist. ma. si illa extrema sint mediata transeat major, si sint immediata nego ma. similiter dist. mi. genus & individuum completum concedo mi. incompletum nego mi. & paritèr distincto consequente negatur consequentia, Genus enim & individuum in illo casu sunt

gradus

gradus immediati, adeoq; non est opus ut transeat per medium.

Urgetur; Genus, verbi gratiâ Animal non multiplicatur nisi per rationale, ergò illud animal non datur nisi in quantum datur hic equus, hic homo, sed, subsumo, in tantum & eo modo aliquid prædicatur, quo datur, ergò quandoquidem hoc animal non datur nisi in quantum datur hic equus, hic homo, nec etiam prædicatur nisi mediante hoc equo & hoc homine & consequentèr, mediante specie. Confirmatur; Quia dicere hoc animal est animal, est idem ac Petrus est animal, quia articulus hoc determinat singulare existens, ergò illud animal erit aliquod singulare completum & consequentèr genus de eo immediatè prædicari non poterit. R. Concesso antecedente distinguendo consequens, ergò hoc animal non datur, nisi in quantum datur hic equus, hic homo à parte rei concedo consequentiam, non datur per intellectum nostrum inadæquatè & incompletè concipientem, nego consequentiam, similitèr distinguendo subsumptum dico, hoc animal in tantum & eo modo prædicatur, prout per intellectum nostrum concipientem repræsentatur, & quia repræsentatur sine specie intermedia, sine media specie etiam prædicatur. Ad Confirmationẽ R. negando ant. cujus rationem distinguo, articulus hoc determinat singulare entis concedo, singulare speciei infimæ nego, unde licet articulus hoc demonstret singulare speciei infimæ, in quantum singulare alicujus universalis non potest esse in rerum natura, nisi in singulari, attamen non determinat singulare infimæ speciei clarè, distinctè, & adæquatè, sed confusè, hinc non sequitur quin intellectus concipere possit rationem magis universalem cum individuo non conceptis gradibus intermediis, quamvis nullum singulare à parte rei dari possit quòd non esset infimæ speciei.

VII. *Dubium autem est an tunc genus habeat rationem generis?*

Alterum dubium in quæstione hac resolvendum est, Supposito quod genus prædicari possit tàm de individuis completis ut *Petrus est animal*, quàm incompletis, *ut hoc animal est animal*, de his immediate de illis verò mediante specie; An in his prædicationibus genus tunc servet universalitatem generis, vel potius induat universalitatem speciei? Circa quam materiam triplex est sententia, prima dicit, quando genus prædicetur de individuis, sive completis, sive incompletis, prædicari per modum generis: quia esto prædicetur de individuis ejusdem speciei, adhuc tamen aptum natum est prædicari de individuis alterius speciei ita Hurtadus & alii. Secunda sententia dicit, quando genus prædicatur de individuis, non habere amplius rationem generis, nec ullius ex aliis quatuor prædicabilibus, sed constituere aliam speciem universalis innominatam. Ita Pontius d. 4. n. 65. & Lovanienses cap. de genere, quæ opinio sufficientèr refutata manet per hoc quòd entia sine necessitate multiplicet. Tertia denique; sententia dicit, genus quando prædicatur de individuis completis, prædicari per modum generis, quando verò de individuis incompletis, prædicari per modum speciei, ita Ruvius, Complutenses, Arriaga, Mastrius & Bellutus disp. 5. Log. q. 1. art. 3. n. 39. Cum quibus etiam

VIII. *Respectu completorum est genus, secus de incompletis.*

Dico 2. *Genus comparatum ad individua completa, sive ejusdem, sive diversæ speciei semper prædicatur per modum generis; comparatum verò ad individua incompleta prædicatur per modum speciei.* Ita Authores pro tertia sententia citati & Probatur 1. p. Genus est quod prædicatur actu vel saltem potentiâ de pluribus diversæ speciei incompletè, sed sic prædicatur de individuis completis, ergò de illis prædicatur per modum generis, ma. patet: minor probatur: Illud prædicatur incompletè quod non dicit totam essentiam subjecti, sed animal verbi gratiâ in hac propositione Petrus est animal, non dicit totam essentiam subjecti, quia non dicit humanitatem, ergò.

Confirmatur primò: Ex dictis genus prædicatur mediatè de individuis completis, ergò per modum generis & incompletè, hoc enim manifestum signum est, prædicari mediatè, esse prædicari partem essentiæ & non totam essentiam.

Confirmatur secundò: Quando prædico hominem de Petro adhuc est prædicatio speciei, ergò quando prædico animal de Eo adhuc erit prædicatio generis, nec obstat quòd tunc ly homo, & ly animal determinentur ad individuum unum ex vi actualis prædicationis, quia manent adhuc apta nata prædicari de pluribus & animal quidem specie differentibus.

IX

Probatur etiam secunda pars: Ideò prædicatur genus de individuis completis juxta dicta, per modum generis, quia prædicatur mediatè, id est, incompletè, ergò cum de individuis incompletis prædicetur immediatè, id est completè, prædicabitur per modum speciei. Confirmatur; Ideò illa prædicatio Petrus est homo est speciei, quia prædicatum dicit totam essentiam subjecti, ergò etiam ista erit prædicatio speciei dicendo, hoc animal est animal, quia dicit totam essentiam subjecti. Nec obstat quod *ly hoc animal* dicat in confuso etiam differentiam specificam, quia ad distinguenda prædicabilia non attenditur prædicatum & subjectum prout sunt in re, sed ut concipiuntur à nobis, alioquin genus non distingueretur à specie & differentia, cùm species genus includat, quod tamen nullus dicet: ergò.

X

Arguitur In contra Cum Hurtado? Quando quis videt quatuor individua animalis, duos scilicet homines, duos equos: & explicitè cognoscit ea esse animalia, non tamen scit qualia, tunc ab illis potest abstrahere unam rationem universalem de illis prædicabilem, sed illa ratio est generica, quia convenit pluribus specie differentibus, ergò de illis individuis incompletis genus prædicatur per modum generis & non per modum speciei, R. concedendo ma. & negando mi: nam illa ratio universalis est specifica, quia esto sit prædicabilis de pluribus specie differentibus, quia tunc cognoscens illa distinctè non percipit & concipit, nisi tanquam numero differrent, de illis prædicabitur per modum speciei & non per modum generis,

generis, nam ut supra dixi ad distinguenda prædicabilia non attenditur prædicatum & subjectum ut sunt in re, sed ut concipiuntur à nobis cum fundamento tamen. Sed

Instatur; Ratio specifica convenit solis individuis ejusdem speciei, sed hic nō essent individua ejusdem speciei ergò non posset esse hic ratio specifica, ma. patet sicut & minor ex suppositione scilicet, quâ supponitur quòd illa quatuor individua duo sint homines, & duo equi. R. distinguendo mi. concessa ma. In casu non essent individua ejusdem specie considerãdo illa secundum statum existentiæ realis concedo mi. consideranda illa ut à vidente percipiuntur nego mi. Itaq; quia videns illa quatuor individua nō percipit differentiam eorum, hinc in ejus conceptu solo numero differūt sub genere animalis quod tamen in ordine ad illa ut sic cognita induit modum speciei, quia respicit illa ut solo numero differẽtia, quod est proprium speciei.

Urgetur; hinc sequeretur illa individua non posse nec debere dici generica sed specifica, sequela est falsa, ergò & illud unde sequitur; prob. seq. Quia ideò dicuntur individua generica, quia genus de illis prædicatur per modum generis, ergò si non prædicatur de iis per modū generis sequetur non esse individua generica sed specifica. R. negando sequelam ma. cum ant. probationis. Quia hoc animal & illud animal, nō dicuntur individua generica, quia de illis prædicatur genus per modum generis, quia planè ex hoc capite specifica dici deberent, sed dicuntur generica & non specifica, quia ex consueto loquendi modo illa dicuntur individua specifica, quæ genus participant mediante specie, quia verò ista participant genus immediatè generica dici consueverunt. Quod si dicas & urgeas dicendo hæc prædicatio hoc ens est ens non potest esse specifica etiã in illo dato sensu, quia species debet habere supra se genus, ens autem nō habet supra se genus. ergò non erit specifica sed generica R. negando assumptū, ad rationẽ pro probatione positam. R. speciẽ subjicibilem debere habere supra se genus, nō verò prædicabilem. unde illa prædicatio ens est ens est specifica, nō tamen speciei subjicibilis, sed prædicabilis, quid autem sit species subjicibilis & prædicabilis dicã di sputatione sequẽte, pro fine disputationis hujus sit adhuc.

QUÆSTIO V.

Quæ est Miscellaneæ expediens nonnulla restantia de genere dubia.

Primum dubium in hac quæstione resolvendum occurrit, Quomodo scilicet conveniant, vel differant Genus supremum, seu generalissimum & infimum. Quia videntur differre specie prout affirmat Aversa; vel si specie nō differunt sequetur neq; genus infimum & speciem differre specie, & sic habebimus tantùm quatuor species prædicabilium, contra Porphyrium & communem, quod probatur: Quia genus generalissimum potest prædicari de pluribus differentibus genere, verbi gratiâ de animali & planta ac angelo quæ differūt genere, genus autem ultimū verbi gratiâ animal tantùm potest prædicari de pluribus differentibus specie & quidem specie athoma vel ultima, verbi gratiâ animal de homine & bruto ponendo quod brutum sit species infima, vel saltem brutum de equo & asino, sed non est major ratio diversificandi speI. Tam species quàm individua sunt generis correlativa.

cie universalia quando unū prædicatur de pluribus differentibus specie, & aliud differentibus numero tantùm, quàm quòd unum prædicetur de pluribus differentibus genere sicut prædicatur genus generalissimum. & aliud de differentibus specie tantùm, sicut prędicatur genus ultimum; sed illa prædicabilia quæ prædicantur de pluribus specie differentibus, & illa quæ prædicantur de pluribus numero differentibus tantùm constituunt duas species prædicabilium, ergò etiam illa quæ prædicantur de pluribus differentibus genere & differentibus specie tantùm duas constituunt species, & sic sex erunt prædicabilia, aut si non constituunt, ergò erunt tantùm quatuor, quorum utrumq; videtur esse inconveniẽs. Verumtamen R. 1. Argumentum nihil facere singulariter contra me, imò doctrinam à me supra traditam magis confirmat, videlicet stando præcisè rationibus posse defendi dari plura, vel pauciora universalia quàm quinq;, quod si quis communi adhærere nollet libenter concederet, Aſt inhærendo communi sententiæ. R. 2. Genus & speciem præcisè differre in eo quòd unum prædicetur completè scilicet species, aliud incompletè nempe genus, & hoc loquendo de quocunq; genere, seu supremo, seu medio, vel infimo; quòd autem illa plura de quibus prædicatur genus supremum genere differant est merè impertinens ad rationẽ generis præcisè, cui ex suo conceptu adæquato sufficit prædicari de pluribus specie differentibus in quid incomplete, sicut est merè per accidens quinto prædicabili, quòd sit gradus genericus verbi gratiâ color, vel specificus, verbi gratiâ albedo unde ex hoc discursu tãtùm habetur genus primũ universale posse subdividi in genus supremũ, infimum & mediũ, quorũ primum petit nullũ habere genus supra se, secundum habere supra se & infra se, tertium habere super se, & nullum habere infra se: & hoc nō quà generica sunt præcisè, sed quà talia genera. Per hæc sufficienter patet solutio dubii positi, sed est

Secundum dubium Est; an species sit correlativũ generis adæquatũ? Supponit dubium speciẽ esse correlativum generis, ut etiam infra clariùs patebit, difficultas tamẽ est an sola species sit correlativum? vel an etiã sint individua ejus correlativa ita, si per impossibile destructa specie conservaretur individuũ, vel ècõtra destructo individuo conservaretur species, an tunc inquam conservaretur ratio generis adhuc? R. tàm speciem quàm indivduũ esse generis corrrelativum, quamvis diverso modo, nam immediatum ejus correlativũ est species, mediatum, individuum completũ, quando verò nō cognoscitur ut individuũ completũ, sed veluti incompletum, tunc est quoq; immediatũ generis correlativum, Non est tamen tale correlativũ individuũ, ut si per impossibile destrueretur species in individuo posset cõservari genus, prout est à Porphyrio definitum, quia illud ut dixi si non actu, saltẽ aptitudine petit essentialiter prædicari de pluribus specie differentibus, licet benè conservaretur genus prout consideretur ejus quidditativa ratio præcisa in quantũ etiã est per hãc hęcceitatẽ & hoc individuũ contrahibile. Quod si quis ulteriùs dubitãs quærat an genus unica relatione referatur ad species & ad individua? R. cum Mastrio si intellectus genus eodem actu prędicet de specie & individua, esse unicam relationem, secus autem si hoc fiat diversis actibus;

Et quamvis hæc responsio bona sit, videtur tamen mihi meliùs responderi dicendo duplicem esse relationem, unam immediatam ad species, alteram mediatam ad individua.

III. *Quomodo genus dicitur correspondere materiæ & differentiæ formæ.*

Dubium 3. Utrum proprie dicatur genus correspondere materiæ, & differẽtia formę? ℟. genꝰ materiæ & differentiam formæ respondere, non per identitatẽ naturæ, quasi genꝰ idem sit ac materia, differẽtia idem ac forma, sed proportione & similitudine, quia genus in multis materiam imitatur, & differentia formã. Quod autem genꝰ non sit propriè & identitate materia & differentia forma, patet, quia multa constant genere & differentia v.g. angeli qui tamen non constant materia & forma, ergò genꝰ nõ est materia & differentia forma per identitatẽ naturę: Deinde omniũ sublunarium est eadem materia, sed non est idem genus, ergò major patebit ex libris Physicorum, minor patet etiam, nam genera lapidum, herbarum, animalium sunt diversa. Quod autem genꝰ in multis imitetur materiam, & differentia formam probatur: Quia sicut materia est perfectibilis per formam, ita genus per differentiam, & sicut forma est perfectiva materiæ, ita, differentia generis suo modo, Item sicut materia est potentialis ad formam, ita genus ad differentiam, & sicut forma actuat materiã, ita differentia genꝰ, & quemadmodum materia est indifferens ad multas formas recipiẽdas, ita etiã genus est indifferens ad multas species, unde frequentèr Philosophus materiam genus appellat, & ècontra genus materiam, imò ex hinc universalitèr dicitur genus contrahi per differentiã ad aliquã certã, determinatamq; speciẽ veluti pars materialis, hinc etiã vulgatũ in Scholis versatur dictũ; *Genus sumitur à materia, differentia à forma.*

IV. *Genus sumit suam differentiam ab effectu magis communi.*

Dubium 4. Unde sumatur distinctio generis & differentiæ? Ad quod ℟. Genus desumi posse ab effectu, vel operatione magis cõmuni, & differentiam ab operatione minus cõmuni, sic quia videmus sensationem esse operationẽ communẽ homini & bruto, colligimus in homine & bruto dari principiũ formale talis sẽsationis ipsi cõmune, & quia videmus quòd homo discurrat, quę operatio nõ est tàm cõmunis quàm sen'atio, colligimꝰ per discursũ hominẽ differre à bruto.

V. *Genus prædicatur de suis ut pars actualis & totum potentiale.*

Dubium 5. est. An genus prædicetur ut totum, vel ut pars? ℟. genus prædicari de suis inferioribus ut pars actualis, & totũ potentiale.

Probatur 1. p. Quia genus ingreditur constitutionẽ totius inferioris verbi gratiâ hominis, ergò prædicatur de ipso ut pars actualis.

Prob. 2. p. Quia adhoc ut aliquid prędicetur per modum totius de suis potentialis inferioribus sufficit ut superius includatur in inferiori, & inferius non includatur in ipso sed talis est natura generica ergò.

DISPUTATIO III.

DE SPECIE, SECUNDO PRÆDICABILI.

Quamvis hîc de differentia prius agendum fore videri posſit, utpote quæ est contractiva generis & constitutiva speciei, nihilominùs cum species generi sit correlativa, & perfectiùs prædicetur quàm differentia, hunc sibi congruè vendicat locũ; Variè autẽ sumpotest, nã imprimis tàm apud sacros quàm profanos Scriptores accipitur pro eleganti & pulchra venustate corporali, quæ à Politicis dicitur & judicatur digna Imperio, undeetiãPsaltes inquit, specie tua & pulchritudine tua intende; secundò accipitur speciespro aliqua re, seu similitudine alicujus rei facienda; tertio modo sumitur à Porphyrio pro specie Logica quæ est correlativa generi; & quarto denig, pro specie prædicabili ad inferiora relata, & de his posterioribus duabus speciebꝰ in præsenti cum Porphyrio c. 2. hicnobis sermo erit, unde sit.

QUÆSTIO I.

Quid sit Species?

I. *Quid sit species subjicibilis.*

In hac quæstione examinabo non modò definitionem speciei subjicibilis, verùm etiam prædicabilis, quia Porphyrius considerans quomodo quęlibet res in serie prędicamentali contemplari possit tàm in ordine ad superiora, quàm ad inferiora, utriusq; definitionem singularem tradidit de quibus inter Authores controvertitur num rectè sint assignatæ. Antequam ad quæstionem resolvendam accedam.

Notandum primò: Speciem subjicibilem esse, *quæ generi subjicitur*, seu quæ habet genus supra se, verbi gratiâ *animal, homo, &c.* nam animal habet supra se substantiam, quæ est genus respectu substantiæ animalis, & substantiæ lapidis, cùm de illis tanquam de specie differentibus prædicetur. Species prædicabilis est quæ non tantùm habet supra se genus & ei subjicitur, sed etiam habet infra se plura numero distincta de quibus prædicatur. Quando autem Porphyrius in capite secundo de specie egit de specie subalterna, non egit de illa tanquam de secundo universali, sed solum specie subjicibili, unde species infima, seu athoma, quæ etiam specialissima vocatur secundum prædicabile est.

II. *quomodo distinguantur subjicibilis & prædicabilis.*

Notandum secundò: Speciem subjicibilem & prædicabilem in hoc distingui, quòd esto tàm subjicibilis quàm prædicabilis habeat supra se genus, tamen species subjicibilis non semper est prædicabilis prædicatione ad secundum universale requisitâ; nam species subalterna (species autem subalterna vocatur, quæ habet alias species sub se) est subjicibilis, verbi gratiâ animal quod subjicitur substantiæ, non tamen est species prædicabilis, quia licet animal prædicetur de homine & bruto, non propterea debet dici species prædicabilis, cùm de iis non prædicetur tanquam de numero solo distinctis, sed dici potius debet genus cũ de iis veluti specie distinctis prædicetur, unde advertendũ speciem subalternã si comparetur ad suũ superius videlicet genus esse speciem subjicibilẽ, si verò comparetur ad sua inferiora esse genus propter rationẽ assignatã, quia nempe potest prædicari de pluribꝰ specie distinctis, ècontra verò cõtingit in specie prædicabili, quæ licet semper subjiciatur generi, nunquã tamen est genus, cùm nunquã de specie distinctis, sed semper de solo numero distinctis prædicetur. Quibꝰ præmissis & prænotatis ad Resolvendam quæstionẽ progredior &

III. *Definitur subjicibilis.*

Dico 1. *Benè definitur cum Porphyrio species subjicibilis, quòd sit illa quæ subjicitur generi & de qua genus in quid prædicatur.* Hæc est Scoti q. 21. Universalium, & Probatur Generali probatione tùm quia omnibus & singulis convenit, tùm quia sufficientèr explicat naturam speciei subjicibilis

jicibilis, ergò, probatur hoc ant. explicando ejus particulas, Dicitur itaq; quod sit illa, seu illud universale quod rationem generis habet, & convenit cum reliquis prædicabilibus, & distinguitur ab individuo, quod licet subjiciatur generi, nihilominùs tamen non subjicitur generi, veluti universale sicut subjicitur species subjicibilis.

IV. Dices; Species subjicibilis non est universale, ergò per hanc particulam non poterit distingui ab individuo, R. distinguendo ant. nō est formaliter & reduplicativè sumpta universalis, concedo ant. non est specificativè sumpta universalis, nego ant. & consequentiam. Per quid patet sufficienter quid dicendum sit ad illam contentionem, quam aliqui fusè texunt per quid nam species ab individuo distinguatur cum utraq; generi subjiciatur, & aliqui existimant, quòd per particulam *immediate* quam dicunt subintelligēdam esse in definitione speciei subjicibilis, hoc scilicet gratis dici, tùm quia additur particula cujus Porphyrius nullam fecit mentionem, tùm quia sequeretur quod homo non esset species substantiæ, quia ei immediatè non subjicitur quod falsum est, adeoq; gratis distinguunt per ly *immediatè*, & meliùs per particulam *universale*.

Reliquæ Particulę in definitione positæ locum differentiæ habent, nam per illas sufficienter distinguitur à genere, ut genus est: quia genus ut genus formaliter non subjicitur, nec aliquid de ipso prædicatur, Et licet genus prædicetur etiam de individuis, tamen de iis nō prædicatur tanquam de universalibus, imò nec prædicatur de iis immediatè, & si quandoq; immediatè, tamen tunc non prædicatur de iis per modum generis, sed potius per modum speciei ut dixi supra. Sed Incontra

V. *Argumentum in contrarium.* Arguitur Definitio speciei subjicibilis non est notior suo definito, ergò: probatur ant. quia non est notius quid sit genus, quam quid sit species, sed subjici generi non potest esse notius quam ipsum genus ergò. R. negando ant. Ad probationem dist. ma. non est notius ex natura sua quid sit genus transeat ma. non est notius ex suppositione, ex eo quòd aliquis cognoscat quid sit genus & nō cognoscat quid sit species, nego ma. & cocessa mi. nego consequentiā.

Instatur: Non potest cognosci genus quin cognoscatur species, cum genº definiatur per ordinem ad speciem, ergò falsum est quòd genus cognoscatur nō cognitâ specie R. dist. ant. Quin cognoscatur species ut species formaliter, nego ant. quin cognoscatur species materialiter, seu aliqua res quæ est species concedo ant. & similiter distinguo consequens non cognitâ specie formaliter, nego consequentiam non cognita specie materialiter concedo consequentiam. Itaq; quando definitur genus per ordinē ad speciem, debēt intelligi per speciem naturæ distinctæ rationis inter se ut sensus sit, quòd genus sit illud quod prædicatur in quid de naturis distinctæ rationis; similiter quando definitur species per ordinem ad genus, nō debet hoc intelligi de genere formaliter prout est primū prædicabile, sed de genere fundamentaliter & materialiter.

Urgetur. Omne correlativum debet per suum correlativum definiri, sed definitur hîc species formaliter, ergò per genus formaliter consideratum, subsumo sed genus formaliter consideratum non est notius quàm sit species formaliter considerata ergò species non poterit definiri per ordinem ad genus, quia sic definitio non erit notior suo definito. R. negando ma. Quia ut benè notant Tartaretus & Blanchus unum relativum non debet definiri per suum correlativum, sed per fundamentum sui correlativi, quod Blanchus hoc discursu confirmat, quia genus respicit species, & species genus eo modo quo universale respicit inferiora, sed universale non respicit inferiora ut relativa sunt, ergò nec species genus, nec genus species prob. mi. nam in definitione universalis nulla fit mētio relationis inferioritatis, definitur namq; quod sit unum aptum inesse multis, ergò universale solùm respicit inferiora ut multa sunt, non verò ut relativa sunt.

VI. *Definitur prædicabile.* Dico 2. *Bene etiam species prædicabilis definitur a Porphyrio, quòd sit illa quæ de pluribus numero differentibus prædicatur in quid.* Hęc est etiam Scoti supra Eamq; expressis quodammodo verbis tenet D. August. c. 7. Catheg. dicens: *Species autem est, quam quidam & formam vocant, quia secundum multa & differentia quid sit numero prædicatur atq; ostenditur, ut est homo.* Idem exemplum speciei adfert D. Bernard. in tract. de Erroribus Abailardi c. 3. ubi assentit; *Posito genere non quidem ponitur species, sed posità specie ponitur genus - - - - quomodo qui homo est necessariò est animal*, & infra: *Nam etsi verum sit dicere si homo est animal est, non tamen vera est conversa quā dicitur, si animal est homo est.* Ubi non modo generis & speciei mentionem facit, verùm etiam genus magis latere, quàm species docet, atq; adeò genus de specie esse prædicabile insinuat & speciem generi subjici. Probatur Conclusio etiam ratione, sicut præcedens: convenit enim cum genere in ratione prædicabilitatis & differt in eo à genere, quòd genus de specie differentibus prædicetur, species verò prædicabilis prędicetur de solo numero differentibus, per quod etiam differt ab omnibus aliis prædicabilibus, nullum enim aliud prædicabile prædicatur in quid de solo numero differentibus completè; dixi completè, quia eò ipso quòd prædicetur in quid de solo numero differentibus, dicit totam essentiam illorum & per consequens prædicatur completè, sicut genus eo ipso quòd prædicetur de pluribº specie differentibus ut pars essentiæ prædicatur, ut notavit Mastrius d. 5. Log. q. 2. a. 2. Sed in Contra

VII *Argumentum in contrarium primum.* Arguitur 1. Ex conclusione & data definitione sequeretur Deum esse speciem, sed hoc est inconveniens, ergò, prob. sequela: quia Deus prædicatur de pluribus numero differentibº, ergò prob. ant. Quia natura divina, seu Deus prædicatur de Patre, Filio, & Spiritu S. quia verè dicimus, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, ergò. R. negando sequelam cujus probationis ant. distinguo, Deus prædicatur de pluribus numero differentibus cum sui multiplicatione, nego ant. sine sui multiplicatione, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; ad rationem universalitatis, & consequentèr speciei, non sufficit ut quomodocunq; prædicetur de pluribus, sed id debet fieri etiam cum sui multiplicatione, Sed

Instatur Secundùm Scotum 1. d. 23. q. un. in fine & d. 26. q. un. In divinis potest à personis abstrahi persona ut sic, sed sic abstracta prædicabitur de illis tribus cum sui multiplicatione, ergò adhuc conveniet ista definitio personis divinis, sed subsumo, ille conceptus personæ ad illa tria suppositа non est conceptus speciei, ergò definitio conveniet alteri: Adhoc argumentum aliqui respondent & dicunt, conceptum illum habere rationem speciei, quia in ratione personæ non nisi numero differunt. Pasqualig. autem dicit, nec habere rationem speciei, nec rationem generis, quia omne prædicabile finitum est ac limitatum, & ideò personæ divinæ cum sint infinitæ, non habent rationem alicujus prædicabilis ex quinq; Porphyrianis: sed esse aliquod speciale Porphyrio incognitum. Arriaga dicit habere modum generis, quia divinæ personæ in ratione divinæ personæ formali specie differunt, quia Paternitas, Filiatio & Spiratio passiva sunt relationes diversæ speciei; Ego autem R. talem conceptum admittendo illum habere modum prædicandi speciei, non tamen propriè, siquidem species propriè dicta ad hæcceitatem potentialitatem dicere debet, personæ verò divinæ nullam dicunt potentialitatem, Et licet Paternitas, Filiatio, & Spiratio quatenus relationes, sint diversæ speciei, quatenus personæ, tamen solo numero differunt, ut notavit Mastrius loco citato.

VIII. *Secundum.*

Arguitur 2. Hæc definitio convenit alteri à definito, ergò non est bona: probatur ant. Quia convenit generi, ergò: probatur ant. Quia genus est prædicabile de pluribus differentibus numero in quid, ut cum dico Petrus est animal, Paulus est animal, ergò. R. negando ant. cum ant. probat. cujus probationis ant. dist. Genus prædicatur in quid de pluribus numero differentibus in quid completè, & immediatè nego, in quid mediatè & incompletè concedo ant. & nego consequentiam, Definitio autem illa intelligenda est de prædicatione immediata & completa per quod patet, quòd licet aliquæ naturæ sint in se incompletæ ut est materia, anima &c. prædicabilitatem adhuc futuram completam, quia prædicantur de suis inferioribus secundùm totam essentiam, & sic licet ipsæ naturæ non ponantur directè in prædicamentis, ponuntur tamen directe in prædicabilibus, veluti differentia, quæ directè in prædicabilibus ponitur, & tamen indirectè tantùm in prædicamentis.

Instatur; Differentia, proprium, accidens, prædicantur in quid de suis inferioribus completè, quia rationale, risibile, & album prædicantur completè de homine, rationali, risibili, & albo: ergò definitio competit alteri à definito non modò secundùm prædicationem incompletam, sed etiam secundùm completam. R. dist. differentia, proprium, & accidens, &c. comparata ad sua propria inferiora concedo ant. comparata ad sua subjecta, vel quasi subjecta nego ant. & consequentiam. Itaq; prædicta & enumerata prædicabilia dupliciter considerari possunt: scilicet ad propria inferiora & ad sua subjecta, vel quasi subjecta in quibus sunt, si primo modo considerentur, tunc prædicantur de suis inferioribus per modum speciei, habentq; rationem speciei: nam & illis tunc speciei definitio competit; quando verò considerantur posteriori modo, tunc non rationem speciei habent, sed gaudent ratione illorum trium universalium ut benè notat Majoronius.

Urgetur; Homo est species, sed homo non prædicatur de pluribus numero differentibus tantùm, ergò si non convenit alteri à definito, saltem non conveniet omnibus speciebus, probatur mi. quia ma. tanquam certa supponitur, homo prædicatur de pluribus specie differentibus, ergò non prædicatur tantùm de pluribus numero differentibus, probatur ant. quia prædicatur de fœmina & viro, sed hi distinguuntur specie, ergò: probatur mi. Plus distinguitur fœmina à viro, quàm unus vir ab alio, sed unus vir ab alio distinguitur numero, ergò si fœmina à viro plus distinguitur quàm vir à viro, specie distinguentur. Propter hoc argumentum dixit agricola speciem infimam posse esse genus intermedium, sed ineptè cùm tunc non esset species infima, seu ultima, seu potiùs subalterna. Quare R. aliter negando mi. cum ant. probat. cujus probationis minorem distinguo, sed hi, id est vir & fœmina distinguuntur specie essentiali nego mi. accidentali concedo mi. Itaq; Aristoteles expresè docuit 10. Met. t. 28. Virum & fœminam non distingui specie essentiali, sed accidentali, unde accidentaliter vir & fœmina differunt plus quàm duo viri, non verò essentialiter.

QUÆSTIO II.

Per quid constituatur species in esse Universali?

Hujus quæstionis origo & principium est duplex, illa in præterita quæstione assignata speciei acceptio, ideò controvertitur an rationem universalitatis sortiatur per hoc, quòd subjiciatur generi? an verò, quod prædicetur de pluribus numero differentibus? Non est autem hic sermo de specie interjecta, seu subalterna, sed de specie athoma, seu specialissima, quia certum est speciem subalternam non esse speciem prædicabilem prædicatione ad secundum universale requisita, quoniam de pluribus specie distinctis prædicatur, & ideò potius genus vocari debet, species verò subjicibilis ea tantum ratione quòd generi supremo subjiciatur. Circa præsentem autem materiam duplex est sententia prima Cajetani cap. de specie dicentis ideò speciem esse universalem præcisè, quia generi subjicitur: secunda opinio est communis omnium immediatè Cajetani contraria asserens, non per subjicibilitatem, sed per prædicabilitatem constitui in ratione universalis, in quantum scilicet est prædicabilis de pluribus numero differentibus. I. *Hic duplex est sententia.*

Dico ad quæstionem *Species intrinsicè & formaliter in esse secundi universalis non constituitur per ordinem ad superiora quibus subjicitur, sed per ordinem ad inferiora de quibus prædicatur;* Ita communis contra Cajetanum, Probatur Conclusio ratione tàm efficaci, cujus efficaciam expertus Cajetanus insolutam relinquere debuit. In tantum species est unum universale de numero universalium, in quantum parti- II. *Species intrinsicè universalis constituitur per ordinem ad inferiora de quibus prædicatur.*

participat rationem universalis in communi, sicut homo in tantùm est verum animal de numero animalium, in quantum participat rationem animalis, sed universale formalitèr constituitur in esse universalis per ordinem ad inferiora in quibus in esse, & de quibus prædicari potest; ergò etiam species constituetur in ratione universalis per ordinem ad inferiora, & non per ordinem ad superiora: & consequentèr per prædicabilitatem & non per subjicibilitatem constituetur inesse secundi universalis: probatur mi. Quia universalia ut sic habent se respectu sui termini per modum superioris cùm subjiciat sibi illum terminum, & non subjiciatur ipsi, ergò per ordinem hunc constituitur in esse universalis.

Confirmatur primò: Implicat, quòd relatio in communi tendat ad unum terminum, & relatio sub ea contenta veluti species tendat ad oppositum, ergò cùm universale in communi constituatur in esse tali per ordinem & habitudinem ad inferiora, consequentèr quodlibet universale sub eo contentum debet in esse tali constitui per relationem ejusdem rationis magis coarctatam, & non per oppositam rationem, id est, ad superiora.

Confirmatur secundò: Quia eo ipso quòd homo esset tota essentia Petri & Pauli, licet per impossibile non haberet supra se aliud genus, adhuc esset species: quia esset prædicabilis de pluribus numero differentibus in quid, & eo ipso quòd homo sic conciperetur, conciperetur sub ratione universalis & speciei, ergò species formalitèr constituitur per prædicabilitatem.

III. Opponitur contra Conclusionem fundamentū Cajetani. Propria ratio speciei est esse correlativam generis, sed hanc rationem correlativi non habet per ordinem ad inferiora, ergò per ordinem ad superiora, & consequentèr non per prædicabilitatem, sed per subjicibilitatem constituetur in ratione universalis. Sed facilè hoc fundamentum ruit, unde R. dist. ma. Propria ratio speciei secundùm illam rationem præcisè quantum est universale aliquod nego ma. secundùm rationem formalem, in quantum est species generis, concedo ma. primo autem modo est correlativa, non ad genus, sed ad inferiora sua scilicet individua, sicut genus habet rationem universalis per ordinem ad inferiora, nempe species

Instatur. Ideò homo est animal, quia continetur sub animali, ergò ideò species est universale, quia continetur sub universali, sed in quantum continetur sub universali in communi est subjicibilis, ergò in quantum est subjicibilis erit universalis. R. negando ant. & consequentiam, Quia homo non dicitur ideò animal quia subjicitur animali ut sic, sed potiùs è contra ideò subjicitur animali, quia verè homo est animal; sic etiam in proposito, species non ideò est universalis, quia subjicitur universali, sed è contra ideò subjicitur universali ut sic, quia verè est universale

Urgetur. Quod immediatè subjicitur generi est universale, sed species quatenùs subjicibilis immediatè subjicitur generi, ergò quatenùs subjicibilis est universalis, ma. patet, quia quod subjicitur generi est prædicabile, ergò. R. dist. ma. Quod immediatè subjicitur generi est universale materialitèr, seu fundamentalitèr, & in sensu specificativo, concedo ma. formalitèr & reduplicativè nego ma. Quia talis constituitur per habitudinem & ordinem ad sua inferiora.

IV. *Aliud Argumentum.*

Arguitur secundò. Ad hoc ut sit aliquid secundùm prædicabile nihil requiritur nisi quid possit prædicari de pluribus numero differentibus, sed species subjicibilis sic potest prædicari, ergò species subjicibilis erit secundum prædicabile: probatur mi. quia species subjicibilis est prædicabilis de hac & illa specie subjicibili, R. concessâ ma. negando mi. cujus probationis ant. distinguo: prædicatur de hac & illa specie, in quantum est subjicibilis, nego ant. alio modo & sub alio respectu concedo ant. & nego consequentiam, Itaq; non per hoc quòd species comparetur ad sua superiora, sed quia comparatur ad inferiora, videlicet ad alias species subjicibiles, accipit prædicabilitatem, & sic fit secundum prædicabile.

V. *Tertium.*

Arguitur tertiò. Ut species subjiciatur generi, requiritur, ut ipsa abstrahatur ab individuis, sed quando abstrahitur aliquid ab individuis, & subjicitur superiori fit universale, ergò quandoquidem species quâ subjicibilis abstrahit ab inferioribus, quâ subjicibilis erit universalis. R. concessa ma dist. mi. fit universalis proximè & logicè, nego mi. fit universalis remotè & fundamentalitèr, concedo mi. & similitèr disting. conseq. est universalis fundamentalitèr & remotè, concedo consequentiam: proximè & logicè, nego consequentiam. Itaq; hic sermo est de universali logico non verò remoto. Deinde licet etiam concederetur tunc speciem fieri universalem logicè, nihil faceret contra Conclusionem: quia tunc non ex subjectione præcisè ad superiora fieret universalis, sed vi abstractionis ab inferioribus.

Instatur. Genus subalternum non constituitur in esse universalis subalterni per prædicabilitatem, sed per subjicibilitatem; ergò etiam species præcisè per subjicibilitatem constitui potest in esse universalis. Probatur ant. Quia si constitueretur per prædicabilitatem, vel constitueretur per prædicabilitatem quâ est de pluribus specie differentibus prædicabile, sed hoc non, quia & genus supremum est sic prædicabile; vel per eam prædicabilitatem constitueretur, quæ est de solo numero differentibus, sed hoc etiam non, quia hoc speciei competit, ergò per subjicibilitatem: quia aliud non est assignabile. R. dist. ant. Genus subalternum constituitur per subjicibilitatem in quantum genus, nego ant. in quantum subalternum, concedo ant. Itaq; in quantum subalternum est, sub hac præcisa ratione subjicitur generi, sed tunc non est genus, sed potiùs species subjicibilis; quando verò comparatur ad plura specie differentia de quibus prædicatur, & pro tunc est genus atq; per habitudinem & ordinem ad inferiora in esse generis constituitur, in quantum verò subalternum est, non generis, sed speciei sortitur rationem.

Urgetur. Genus generalissimum non constituitur in esse talis per ordinem & habitudinem ad inferiora, ergò nec genus subalternum non debet constitui in esse talis per ordinem ad inferiora. Probatur ant. tùm ex Porphyrio, tùm ex Scoto 1. d. 8. q. 3. sub litt. O, ubi docet non esse de ratione generis generalissimi habere sub se plures species, ergò non per ordinem ad inferiora constituetur, sed per hoc præcisè, quia non habet aliud genus supra se. R. ad hanc replicam eodem modo quo supra dist. ant. Genus generalissimum non constituitur, &c. quà generalissimũ est, concedo ant. quà genus est nego ant. & consequentiam, unde quidem verũ est quòd sub hac præcisa ratione quà Generalissimum dicitur, non constituatur per ordinem ad inferiora, sed per negationem alicujus alterius generis supra se, non verò hoc verum est, si consideretur sub ratione generis tantùm, & in hoc sensu intelligendus est tàm Porphyrius, quàm Scotus, id tamen nihil urget contra positam Conclusionem.

QUÆSTIO III.

An omnes species diversæ necessariò sint inæqualis perfectionis?

I. *Ingressus ad quæstionem.*

Non est quidem hujus fori agere hic de speciebus, seu naturis rerum primò intentionaliter sumptis, sed tantùm de iis agere & tractare, prout substant secundis intentionibus subjicibilitatis & prædicabilitatis, nihil curando quomodo se invicem in perfectione excedant; quia tamen communiter supponitur unam semper esse perfectiorem alterâ, ideò ex professo hoc in præsenti quæstione examinandum assumo, unde licet locus proprius esse non videatur, nullus tamen videtur esse congruentior, nam nec physicæ, nec metaphysicæ determinatè adscribi potest, cùm eam aliqui in Animasticis, alii in metaphysicis fine litis decisione & loci definitione pertractant. Duplex est autem in hac materia sententia: Prima est antiquorum asserentium omnes omninò species necessariò esse inæqualis perfectionis; Ita Aureolus, Soncinas, D. Thomas, Fonseca, Albertinus, Suaretz, Vasquetz, Mastrius. Secunda sententia docet, ne dum hoc repugnare ut dentur aliquæ species æqualis perfectionis, sed etiam sat verisimile esse nunc & de facto dari aliquas species æqualis perfectionis: Ita Aversa, Oviedo, Pontius, Baro Apol. 5. Met. sect. 4. propè finem Arriaga, Comptonius, & plures alii, cum quibus ad quæstionem.

Duplex est sententia.

II. **Dico:** *Probabile est dari de facto aliquas species diversas æqualis perfectionis, ita ut neutra ex ipsis sit simpliciter perfectior alterâ, aut imperfectior, & certum est posse dari.* Ita cum secunda sententia.

Probatur 1. p. Conclusionis: Primò authoritate D. Bernardi serm. 86. ubi ait: *In pondere igitur facta est quæ rei sui generis est comparanda, aut secundùm majus, aut secundùm minus, aut secundùm æquale*, sed res quæ comparantur in suo genere sunt species, ergò ex mente D. Bernardi species ejusdem generis possunt comparari secundùm æquale, & consequenter dari possunt species æqualis perfectionis.

Probatur secundò Ratione; Nulla potest adferri ratio ob quam certò constet omnes species esse inæqualis perfectionis, ergò id non est asserendum, si tu verò dixeris id implicare, nihil dicis, quia id ego nego, quia licet verum sit omnes omninò species non posse esse æqualis perfectionis, non tamen ex hoc inferri potest, quòd nullæ sint tales, ergò.

Probatur eadem pars 2. Si omnes species deberent esse inæqualis perfectionis hoc ideò esset, quia omnes species sunt diversæ, sed hæc ratio nulla est, ergò. Prob. mi. Quia benè possum considerare aliqua esse diversa & ocularitèr cognoscere, non considerando, nec ocularitèr cognoscendo, an sint æqualis perfectionis, verbi gratiâ possum cognoscere albedinem & dulcedinem esse diversa non cognoscendo an sint æqualis perfectionis, vel inæqualis, ergò.

Probatur Conclusio tertiò; Paternitas in divinis in quantum est relatio est diversæ rationis à filiatione & spiratione passiva, & tamen sunt ejusdem omninò perfectionis, ita ut una alterâ non sit perfectior, vel imperfectior, ergò non est improbabile, quin plures species diversæ possint ejusdem perfectionis. Baro existimat hanc Conclusionem meliùs probari non posse, quàm solvendo argumenta & rationes in oppositum, unde confirmatur Conclusio, quoad hanc partem argumento morali, quod idem Author adfert, Modica pars auri est æq; pretiosa, atq; magna pars stanni vel æris, unde denarii dicti quasi denos æris valentes, item virtus Religionis & virtus Patientiæ sunt specie diversæ virtutes, sed has contingit esse æquales, multi enim Confessores sunt æqualis meriti martyribus & vice versâ, unde Castitas assimilatur ebori, quod in fine longi temporis rubescit, tanquam puritas illa virginea æquet, aut reddat martyrem.

Probatur secunda pars; Omnes angeli secundum Thomistas specie differunt, sed non implicat quin Deus possit creare unum angelum ejusdem omninò perfectionis cum altero, verbi gratiâ, quare non possit producere angelum specie diversum à Gabriele, qui esset omninò ejusdem perfectionis essentialis cum Gabriele, ergò certum est, quod dari possint plures species ejusdem perfectionis. Imò hoc argumentum satis confirmat etiam primam partem, quia si omnes angeli ut tenent Thomistæ diversæ sunt speciei, unde constat, quòd omnes qui sunt in eodem ordine & choro non sint ejusdem perfectionis, sed quòd sint diversæ? Et recurrere ad illud, quia sunt diversæ speciei, adeoq; esse quoq; diversæ perfectionis est apertè petere principium.

III. *Opponitur & solvitur Aristotelis.*

Opponitur contra Conclusionem Authoritas Aristotelis. 3. Met. t. 13. dicentis quòd sub omni genere detur prius & posterius, sed si essent aliquæ species in perfectione æquales in illis non esset prius & posterius, ergò: secundo 8. Met. t. 10. Essentias rerum dicit esse sicut numeros, sed omnes numeri sunt à se invicem essentialiter distincti, ergò etiam omnes naturæ & essentiæ rerum; ergò nullæ erunt duæ

ejusdem

ejusdem perfectionis. Sed R. ad primam Auctoritatem eam veram esse, sed nego minorẽ, quia ex textu allegato non sequitur quod sub quolibet genere aliquæ species quæ sunt priores, aliquæ quæ posteriores, non verò sequitur quòd immediatè una debeat esse alterâ perfectior, aut imperfectior: quia benè cum prioritate & posterioritate stat perfectionis æqualitas. R. ad secundam Authoritatem eam explicando & distinguendo ma. Essentiæ rerum sunt sicuti numeri quoad omnem perfectionem, nego ma. quoad aliquam concedo ma. & concessâ mi. nego consequentiam; Itaq; allata Aristotelis similitudo non currit quatuor pedibus, nec sic omnis debet currere, hinc Aristoteles non voluit quòd omnimodè se habeant species sicuti numeri secundùm omnem respectum & considerationem, alioquin etiam dicere & velle debuisset, quòd sicut in numeris nullus datur ultimus, ita nec deberet dari in speciebus, quod tamen falsum est, quia in Physica ostendam in speciebus dari talem statum, ut Deus ultra eam aliam perfectiorem producere non possit, mens ergò Aristotelis ea est, scilicet quòd quemadmodum numerus per ablationem, vel additionem cujuscunq; unitatis variatur, ita essentias rerum per ablationem, vel additionem cujuscunq; prædicati variari: Et quemadmodum omnes numero magis quàm numero differentes sunt diversæ speciei, ita omnes essentiæ rerum & omnes naturæ plus inter se distinctæ quàm numero, sint dissimiles ac diversæ speciei. Sed in Contra adhuc

IV. *Argumentum Soncinæ.*

Arguitur. Cum Soncina. Omnes differentiæ diversarum specierum sunt inter se inæqualis perfectionis, ergò & species per ipsas constitutæ: probatur ant. ex Philosopho 10. Met. t. 16. ubi ait, unam differentiam habere se ut formam, alteram ut privationem, sed privatio sumitur pro ignobiliori & imperfectiori, ergò omnes differentiæ sunt inæqualis perfectionis. R. negando ant. & ad probat. nego mi. Quia Philosophus non accipit privationem pro ignobiliori forma, quidquid dicit Commentator. Vel dic ipsum locutum fuisse communiter, non semper. Imò dici potest quod nulla ex differentiis se habeat positivè, sed semper privativè omnes, quia ex conjunctione superioris, cum illa superius privatur alterâ differentiâ, ita ut in uno supposito non possit utramque habere, tamen quandocunq; aliquod superius dividitur in aliqua duo membra, quorum unum non possit explicari nisi per oppositionem ad alteram differentiam, tunc quidem unum debet explicari positivè, & alterum negativè, ex hoc tamen non sequitur adhuc quòd illa quæ negativè, vel privativè explicatur, quod sit imperfectior; imò aliquando contrarium accidit, ut dùm dividitur substantia in materialem, & immaterialem, pro illius differentia assignatur ordo particularis ad materiam, pro hujus verò aliqua forma ad quam sequitur negatio talis, vel talis formæ, ergò Philosophus non universaliter intellexit suum axioma, nec unquam dixit privationem esse semper imperfectiorem, quamvis id sit in homine & bruto. Adde, quòd licet adhuc dixisset Philosophus omnes species esse inæqualis perfectionis, id tamen non facere certitudinem, sed tantùm probabilitatem.

Instatur. Si differentiæ essent æquales æqualiter differrent, sequeretur quod non posset assignari ex quo capite differrent, ergò non sunt omnes æquales: probatur ant. quia omnes æqualiter distarent ab ente & non ente, ergò non sequeretur quòd non posset assignari ex quo capite differrent; R. negando sequelam cum consequentia probationis. Quia possent adhuc assignari alia capita per quæ differre dignoscerentur. Primò esset ipsa essentialis diversitas, quæ videlicet non esset repræsentabilis per eandem speciem. Secundò quia dissimiles & diversas haberent operationes & effectus. Tertiò ex varietate & diverso modo producendi suas operationes. Nec æqualis distantia ab ente primo arguit universaliter æqualitatem aliquorum, quia relationes divinæ & attributa, verbi gratiâ bonitas, sapientia, omnipotentia æqualiter distant ab ente primo, nempè essentia divina, quæ tamen licet sint ejusdem perfectionis, sunt diversæ rationis formalis, & consequenter à pari licet aliqua entia creata distarent æqualiter à primo ente, adhuc poterunt esse ejusdem perfectionis & diversæ rationis.

Urgetur. Quæcunq; sunt ejusdem perfectionis, sunt ejusdem speciei ergò si illæ differentiæ essent ejusdem perfectionis, essent ejusdem speciei. Probatur ant. Ideò colligitur Petrum & Joannem esse ejusdem speciei, quia sunt æqualis perfectionis, ergò quæ sunt ejusdem perfectionis, sunt ejusdem speciei. R. negando ant. cum ant. probationis, quia potiùs è contra ideò sunt æqualis perfectionis, quia sunt ejusdem speciei, & quia non videmus ullam dissimilitudinem inter prædicata essentialia.

Dices: Quæ sunt æqualia possunt inter se commensurari, sed quæ sunt dissimiles naturæ non possunt inter se commensurari, ergò omnia dissimilia sunt inæqualia. R. dist. ma. quà sunt æqualia concedo, quà non sunt, nego; similiter dist. mi. quatenùs sunt dissimiles concedo mi. quatenùs conveniunt in tantitate perfectionis, nego mi. & consequentiam. Itaq; quemadmodum albedo & nigredo ut tria, licet sint dissimiles naturæ, & fortè inæqualis perfectionis, possunt tamen commensurari in quantum conveniunt in tot & tot gradibus perfectionis istius entitatis, ita etiam albedo & dulcedo quantumvis haberent entitatem & perfectionem diversam, possunt tamen convenire in hoc, quòd una perfectio sit tanta, quanta altera. V.

QUÆSTIO IV.

Utrum benè definiatur individuum à Porphyrio?

Porphyrius in eodem capite quo egit de specie, egit etiam de individuo veluti speciei correlativo, & non incongruè: nam quemadmodum post genus actum est de specie veluti generis correlativo, ita ob eandem rationem post speciem ordinatè agitur de individuo, quem tractandi modum etiam Authores sequuntur ordinariè secundùm partem, si non secundùm I. *Ingressus ad quæstionem.*

cundùm totum: plures enim hìc tantùm de individuo secundo intentionaliter sumpto agunt, tanquam de illo de quo propriè pertinet ad Logicam agere, Primò intentionalitèr sumptum remittunt ad Metaphysicam, verùmtamen quia ob faciliorem cognitionem universalis Logici egi de natura communi secundùm se præcisè quæ universale metaphysicum & remotum appellatur, quæ fundat universalitatem logicam ut cognito fundamento fundatum facilius cognoscatur, sic paritèr non abs re futurum existimo, si ad pleniorem cognitionem individui secundò intentionalitèr sumpti tractavero simùl de eo in quantum primò intentionalitèr capitur; cum & ipse Porphyrius non modò illud sub secunda, verum etiam sub prima intentione definiverit, quare in hac & sequentibus quæstionibus simùl ea examinabo, quæ ab aliis in Metaphysica de individuo tradi solent. Itaq; quantum attinet ad præsentem quæstionem, secundùm triplicem considerationem quà individuum spectari potest, scilicet primò, vel secundò intentionalitèr & hoc posteriori modo, vel in ratione subjicibilitatis, vel in ratione prædicabilitatis. Porphyrius etiam id triplicitèr definivit secundùm primam considerationem sic, *Individuum est cujus collectio proprietatum in nullo alio eadem erit*, has autem proprietates his duobus versibus signavit Boethius:

Triplicem dedit Porphyrius definitionem.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
Patria, sunt septem quæ non habet unus & alter.

Per formam intelligitur exterior species, seu pulchritudo, aut venustas; per *figuram* intelligitur debita partium dispositio, seu ordo; per *locum* intelligitur locus nativitatis; per *tempus* hora, vel etiam quælibet alia coëxistentia; per *nomen* intelligitur nomen proprium quod adhibetur ad discernendum, vel determinandum unum ab alio; per ly *sanguis* intelligitur stirps, familia & progenies; per *Patriam* significatur Provincia, regnum vel civitas, &c. Altera definitio individui secundò intentionalitèr spectati est: *Individuum est quod continetur sub specie.* Tertia denique, *Individuum est quod de uno solo prædicatur in quid*, quæ coincidit cum illa Philosophi 1. Perih. cap. 5. singulare est quod non est natum prædicari de multis, supple cum sui multiplicatione; unde non excluditur essentia divina & quælibet forma, quæ posteà saltem per Deum poni simùl in pluribus subjectis, & consequenter prædicari de pluribus sine sui multiplicatione. Controvertitur itaq; num datæ definitiones bonæ sint nec ne? Sunt etenim aliqui Authores qui eas simplicitèr rejiciunt tanquam nullo modo bonas. Antequam desuper mentem meam aperio. Prius notandum est, individuum, seu singulare, vel unum numero (sunt synonima) & inter suppositum ac personam, discrimen esse, nam individuum, seu singulare & unum numero est illud, cui repugnat dividi in plures partes subjectivas, id est, in plura inferiora ut hæc albedo, hic lapis, & reperitur in quolibet prædicamento substantiæ, nempe & accidentium; Suppositum verò tantùm reperitur in prædicamento substantiæ & dicitur illud quod est alteri incommunicabile ut quod, & ut quo, id est: nec veluti forma subjecto, nec veluti superius inferiori. Persona autem tantùm reperitur in genere naturæ intellectualis, & definitur à Richardo quòd sit intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, de qua Deo Optimo Maximo favente ex proposito agam in Metaphysica, Et sic individuo superaddit suppositum quòd sit substantia, & supposito persona, quòd sit substantia intellectualis, & sic hæc tria se habent tanquam magis amplum, & minus amplum: nam omnis persona est suppositum, sed non è contra, & omne suppositum est individuum, sed non è contra, omne individuum est suppositum. His præmissis.

Differentia inter individuum & personam.

Dico 1. *Benè definitur individuum subjicibile quòd sit illud quod continetur sub specie.* Ita Porphyriani. Probatur, bona est definitio speciei subjicibilis, quod sit illa, quæ continetur sub genere, ergò bona est definitio individui subjicibilis, quod sit illud quod continetur sub specie. II. *Definitur individuum subjicibile.*

Dices, Individuum juxta supra dicta continetur sub genere, ergò malè definitur quòd sit illud quod continetur sub specie. g. dist. ant. continetur sub genere eodem modo quo sub specie nego ant. alio modo concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; individuum sub specie continetur immediatè, sub genere verò mediatè, quod si verò contingat quandoq; ut etiam contineatur sub genere immediatè, tunc adhuc tamen genus non rationem generis, sed vices speciei sustinet. Hinc est quòd Conclusio intelligenda sit non de quocunq; individuo, sed de specifico ex mente Porphyrii, quamvis & de quolibet absolutè sustineri possit propter datam responsionem. III.

Dico 2. *Benè definitur individuum prædicabile quòd sit illud, quòd de uno solo prædicari potest.* Hæc est conformis doctrinæ Scoti in quæst. univers. Probatur, tùm quia sufficientèr explicat naturam individui secundò intentionalitèr sumpti, prout contra distinguitur ab universali; tùm quia constat genere & differentia, ergò probatur hoc ant. Quia genus est secunda intentio prædicabilitatis, & differentia est ordo istius prædicabilitatis ad unum solum, per quod individuum distinguitur ab omni alia prædicabilitate. Per prædicabilitatem autem individui non intelligitur quasi possit de aliquo uno inferiori prædicari prædicatione formali, nec id requiritur, sed sufficit prædicatio identica quâ Petrus prædicatur de se ipso ut Petrus est Petrus, Petrus est hic homo, sumendo ly *hic homo* signatè &, particulariter, non autem pro conceptu humani individui singulis humanis individuis communi, quatenus & Petrus est hic homo, & Paulus est hic homo, sic enim non habet rationem individui, sed conceptus communis, de quo in sequenti quæstione, Unde quando Aristoteles dicit hoc album & universaliter nullum individuum de aliquo prædicari; intelligendus, quòd non possit de aliquo prædicari veluti de inferiori, nam hoc album de aliquo veluti de subjecto prædicari potest, ut Bernardus est hoc album, unde D. Augustinus individui duplicem assignavit definitionem, unam quæ competit individuo accidentali, quod IV. *Definitur individuum prædicabile.*

quod cap. 6. dicit esse: *Quod in subjecto quidem est, de subjecto tamen minimè significatur* (id est, veluti inferiori) *ut est hæc grammatica, hic color,* nam verè dici potest, hæc scientia est hæc grammatica, hoc accidens est hic albus color. Et individuum substantiale hoc modo, *Quod nec in subjecto est, nec de subjecto significatur* (id est, veluti inferiori) *ut est Cicero, nec in subjecto est quia usia est, nec de subjecto aliquo significatur, siquidem a se ortum vocabulum teneat, neq; intelligi possit aliunde.* Sed contra Conclusionem.

V. Ignotum definitur per notius.

Opponitur Authoritas Philosophi cap. de substantia dicentis, quòd prima substantia neq; insit, neq; prædicetur; sed prima substantia est individuum primò intentionaliter, ergò juxta Philosophum saltem secunda intentio, quæ fundatur in individuo substantiali de nullo prædicatur, ergò ulteriùs non de uno solo in quid. Item in anteprædica. cap. 2. definit Individuum quod sit illud quod de nullo prædicatur. Pro solutione adverte, prædicationem aliam esse formalem, id est, cujus prædicatum est aliqua natura communis, ut hæc: Petrus est homo; alia cujus prædicatum est aliquod singulare, & vocatur materialis, & etiam identica, cum idem de seipso prædicatur, prima vocatur etiam artificialis, quia artibus & scientiis inservit, quibus maximè inserviunt prædicationes universales. Hinc R. Philosophum tantùm voluisse, nec primam substantiam, nec aliud singulare prædicari prædicatione artificiali, seu formali de ullo, quod quidem verum est, non verò quod non possint prædicari prædicatione materiali in sensu supra explicato.

II. Definitur definitum definitione.

Instatur. Secundum Philosophum 7. Met. nihil potest definiri, nisi species, sed individuum non est species, ergò non potest definiri, probatur mi. quia species est aliquod universale quale non est individuum, cùm potiùs immediatè, contrarietur universali, ergò. R. dist. ma. Nihil potest definiri nisi species formaliter sumpta, vel denominativè, concedo ma. nisi formaliter tantùm sumpta, nego ma. & distinguo similiter mi. individuum non est species formaliter sumpta, concedo mi. denominativè per simplicem conceptum inadæquatum, nego mi. Itaq; quia ab omnibus individuis abstrahi potest aliquis conceptus inadæquatus, qui extrinsecè denominari potest veluti species, ideò in tali abstractione definiri potest. Ex quo patet ulteriùs quid dicendum foret si expresè citaretur Aristoteles asserens individuum definiri non posse, id nempe verum esse in pura materiali acceptione, non verò si consideretur secundò intentionaliter in quantùm scilicet ab omnibus individuis abstrahi potest aliquis conceptus communis, licet ille sit inadæquatus, nullam importans realitatem.

III. Definitio Porphyrii est vera.

Dico 3. *Individuum primò intentionaliter non est à Porphyrio sua data definitione definitum definitione per essentialia, nec per proprietates intrinsecas, sed per accidentia separabilia.* Ita communior.

Et probatur 1. p. Forma, figura, locus, tempus, & omnia alia versibus comprehensa sunt accidentia, ergò illa definitio non est per essentialia. Secundò Definitio aliquis rei essentialis competit omni definito, sed illa non competit omni definito, sed tantùm illi definito quibus prædictæ proprietates accidentales competere possunt, ergò illa definitio non est essentialis: prob. mi. Deus & Angeli sunt individua, sed illa definitio non competit Deo, aut Angelis, ergò non competit omni definito, seu omni individuo, Probatur mi. quia nec formam, aut figuram, nec stirpem, aut sanguinem habent, ergò.

Probatur secunda pars: Videlicet; quòd nec sit data per passiones & proprietates. Quia proprietates & passiones cujus sunt passiones, non sunt separabiles à subjecto, & prædicantur in quale quid necessariò de subjecto; sed prædictæ proprietates sunt separabiles ut forma, figura, locus, &c. & non prædicantur in quale quid necessariò, sed tantùm contingenter, ergò non sunt passiones, nec proprietates.

Probatur ultima pars: Videlicet quòd sit data per accidentia separabilia, quia omnes prædictæ proprietates sunt separabiles à me & à quocunq; alio, vel saltem in sensu diviso separari possunt, quod sufficit ad hoc ut sint accidentia. Itaq; prædicta definitione acceptata tanquam accidentali à posteriori cognoscere possumus quæ sint diversa & distincta individua, quòd videlicet illa sint, quæ non habent eandem formam, figuram, quæ non sunt nata in eodem loco, eodem tempore, quæ non habent idem nomen: nullus enim unquam vidit duos homines ejusdem omninò ætatis, iisdem parentibus natos, ejusdem altitudinis, nominis, faciei, ingenii, indolis ita ut nullum esset vestigium inter illos quod dignosci possit diversum, Itaq; hæc definitio licet per accidentia bona sit, primò non est universalis, quia solis hominibus competere ex æquo potest, quibus similia prædicata adveniunt; nec etiam absolutè certissima & infallibilis, quin omnia ista accidentia per DEI potentiam duobus individuis inexistere possint, unde pro solis humanis individuis videtur esse data, quia certum est, quòd nec omnibus naturalibus & materialibus competere possit, nam implicat dari duas longitudines, vel quantitates quæ per omnia sint sibi similes, duas rosas, duo ova, &c. duos radios solares, duas portiones aquæ, &c. unde si velis omnibus omninò individuis applicare videas quomodo his allegatis sufficientem per prædictas proprietates assignes differentiam. Interea pro majori intelligentia & claritate, individuum definito essentialiter, &

Definitur itaq; aliter.

Dico 4. *Individuum primò intentionaliter sumptum est illud, cui repugnat intrinsecè dividi in plures partes objectivas, quarum quælibet sit ipsum.* Est communis, & probatur, Quia per individuum intelligimus illud, quod opponitur universali, seu quod non habet talem modum inexistendi pluribus, sicut habet universale, sed oppositum, sed cui convenit posita definitio non habet talem modum inexistendi pluribus, sed oppositum, ergò est bona descriptio individui.

Confirmatur explicando ipsam definitionem, dicitur enim primò illud, id est, quæcunq; res; dicitur, cui repugnat intrinsecè dividi in plures partes, ut excludatur natura communis singularizata, quæ licet nequeat existere in pluribus, hoc tamen non habet nisi ab extrinseco, ratione hæcceitatis, item potest colligi quòd tale ens quod est in pluribus sine sui divisione, sit adhuc singulare cum nõ dividatur in plures partes subjectivas, sicut natura divina est in tribus personis. Dicitur deniq́ue quarum quælibet sit ipsum, quia totum homogeneum singulare verbi gratiâ aqua potest dividi in plura, sic quod ex una aqua fiant plures aquæ singulares, quia nulla ex aquis divisis esset aqua primò divisa, aliàs deberet posse dividi in tot & tantas aquas, sicut ipsa aqua quæ primò dividebatur.

QUÆSTIO V.

An ab omnibus Individuis possit abstrahi aliqua ratio communis?

I. *Sensus quæstionis proponitur.*

Notandum. Difficultatem non esse, nec sermonem, an ab omnibus individuis possit abstrahi aliqua ratio communis quomodocunq; : sic enim certum est quòd ab omnibus individuis humanis possit abstrahi ratio viventis, animalis, & etiam rationalis, sed difficultas est an ab omnibus individuis sub prȩcisa ratione individuorum formalitèr possit abstrahi ratio individui communis, sicut ab omnibus hominibus abstrahitur ratio hominis ut sic. Notandum iterùm nec esse sermonem de individuis secundò intentionalitèr sumptis, sed de individuis sub prima intentione, quam intrinsecè important. In qua materia duplex est sententia; Negativa prima, quam tuentur Fonseca, Toletus, Scotus, & plurimi Scotistæ, inter quos mordicùs hanc sententiam negantem defendunt Pasqualig. & Pontius moti ex eo quòd Scotus 1. d. 3. q. 3. sub litt. I. & in 2. d. 3. q. 6. §. ad quæstionem doceat differentias essentiales esse primò diversas & in nullo conceptu per se uno quidditativè convenientes; Affirmativa est secunda, cum D. Thoma, Hurtado, Oviedo, Arriaga, Merinero & solemnioribus Scotistis, Mastrio & Belluto, Barone, &c. an magis illi quàm huic affirmativæ sententiæ patrocinetur Scotus, patebit statìm. Unde cum eadem ad quæst.

II. *Ab omnibus individuis potest abstrahi ratio communis.*

Dico: *Potest abstrahi ab omnibus individuis conceptus communis singulis & prædicabilis de quolibet inferiori in quid.* Hæc Conclusio est cum secunda sententia contra primam, quare

Probatur Concl primò: Authoritate D. Augustini lib. 7. de Trinit. cap. 4. ubi expresè id docet, & ne mentem ejus ambiguam suspiceris, eum paulò fusiùs referam ut ex toto discursu quem facit faciliùs & clariùs doctrina ejus patefiat, dicit itaq; sic: *Cùm quæritur quid tria, vel quid tres, conferimus nos ad aliquod speciale, vel generale inveniendum nomen, quò complectantur hæc tria: Pater ergò & Filius, & Spiritus Sanctus quoniam tres sunt, quæramus quid tres sunt, & quid commune habeant. Quid igitur tres? Si enim tres personæ commune est eis id quod persona est, ergò speciale hoc, aut generale est nomen eis si consuetudinem loquendi respicimus.* Et: *Hìc verò nulla est essentiæ diversitas, oportet ut speciale nomen habeant hæc tria, quòd tamen non invenitur: Nam persona generale nomen est in tantùm, ut etiam homo possit hoc dici, cum tantùm interest inter hominem & Deum. Deinde in ipso generali vocabulo si propterea dicimus tres personas, quia commune est id quod persona est, alioquin nullo modo possunt ita dici, quemadmodum non dicuntur tres Filii;* Et inferiùs: *Quam enim illis est commune nomen essentiæ, ut singulus quisq; dicatur essentia, tam illis commune est, vel substantiæ, vel personæ vocabulum;* Ex quibus clarè liquet expresè Divum Augustinum docere, personæ nomen & conceptum esse communem de singulis prædicabilem, ergò; unde si ex hoc capite quòd videlicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus dicantur tres, sapientissimè D. Augustinus infert, personam nomen esse commune: hinc de mente D. Bernardi quoq́; dubitandum non venit, nam ipse quoq; dulcissimè concinnat *lib. 5. de Consid. cap. 8. Personarum multiplicitatem & pluralitatem cum unitate substantiæ Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse tres, ergò hoc nomen personæ eis est commune.*

Probatur Conclusio secundò: III.

Authoritate Scoti 1. d. 23. q. un. ubi circa finem postquam pro utraq; parte subtilissimè disseruisset, concludit his verbis: *Ista igitur via supposita, sicut certa, quòd à personis potest abstrahi aliquis conceptus negativus negationis in genere, & hoc non solùm à personis quasi constitutis, sed etiam à formalibus constitutivis earum; est dubitatio ulterior, utrum tale commune solummodò sit negativum abstrahibile ab eis, vel aliquid positivum, & videtur quòd oporteat ponere aliquod positivum possibile abstrahi ab eis, propter verbum Augustini de doct. Christ. & Magistri in littera d. 25. quæ adducta sunt contra opinionem, potest dici quòd ab individuis abstrahi potest non tantum species quæ dicit quidditatem inferiorum, sed etiam aliquid proprium.* Vides quomodo non solummodò asserit & adstruit doctrinam nostram, sed & eam, sic definitivè ponit propter verbum Augustini, En reverentiam in Magnum Sanctum Doctorem: sed ne suspiceris, aut interpretari coneris, quasi ex mente aliorum hoc statuat, non verò veluti suam sententiam, clariorem percipe testificationem & doctrinam, ubi non modò sententiam nostram tradit, verùm etiam modum, quò id verum sit, proponit, dùm sic ait 1. d. 26. q. un. infrà num. 11. *Ad aliud dico, quòd licet aliquis conceptus communis possit haberi qui dicatur in quid de generatione divina & spiratione divina, imò forte qui dicatur in quid de Paternitate divina & creata, tamen nulla realitas potest esse in divinis aliquo modo distincta ex parte rei, à qua desumatur iste conceptus dictus in quid, quæ realitas sit determinabilis per aliam realitatem, sicut conceptus communis est determinabilis per alium conceptum in intellectu, & impossibilitas hujus & ratio satis dicta est; dico igitur quòd Paternitas & Filiatio non sunt duo primò diversa quantum ad intellectum, quin intellectus possit abstrahere aliquem conceptum realem communem, sed sunt primò diversa quantum ad realitatem & realitatem, ita quòd nullum unum gradum realitatis includant, qui sit quasi poten-*

potentialiu & determinabilu per proprias differentias, vel quasi differentias proprias, sicut albedo & nigredo includunt realitatem aliquam ejusdem rationis determinabilem, per proprias differentias specificas earum, sive realitates à quibus sumuntur earum differentiæ specificæ, & tunc illa propositio major quòd primò distinctiva sint primò diversa, debet intelligi de ipsis realitatibus quæ primò constituunt ut quantùm ad non in aliqua una realitate formali, quam formaliter inconvenientiam eludunt ambo. Hæc Doctor ibi. Confirmatur ex eodem 1. d. 2. q. 3. §. ad illa ubi docet hanc propositionem esse concedendam, *singulare est universale*, quia licet illud quòd concipitur sit singularitas, modus tamen sub quo concipitur est universalitas. Sed

IV. Probatur Conclusio Ratione 1.

Quia possunt omnia individua cognosci instar unius per conceptum correspondentem huic voci Individuum, cujus objectum non erit aliqua ratio præcisa ex parte objecti, sed aggregatum quoddam omnium individuationum, quod per distributionem accomodam erit prædicabile de hac illa individuatione, hoc & illo individuo.

2. Quia hic Syllogismus est bonus: Omne individuum est incommunicabile, Petrus est individuum, ergò Petrus est incommunicabilis; sed si nihil daretur univocè commune omnibus individuis, ut sunt individua, talis Syllogismus non esset bonus, ergò debet aliquid commune admitti, patet ma. probatur minor. Terminus medius debet esse univocus in Syllogismo, alias extremitates non jungerentur in tertio, sed una extremitas cum medio termino secundum unam rationem, & alia secundùm aliam & sic in Syllogismo erunt quatuor termini, ergò debet admitti aliquid commune omnibus individuis.

V. 3. Tum quia definitio individui omnibus in particulari convenit, non minùs quàm definitio hominis convenit omni homini; tùm quia individuo ut sic competunt signa quantitativa omnis, nullus, &c. sed hæc non competunt nisi rebus communibus, ergò, patet minor, quia non dicimus Omnis, Petrus Omnis, Paulus, Omnis hic homo, &c.

Probatur 4. Cum Mastrio, argumento, quod in Metaphysica veluti efficacissimum adfert. Omnes individuationes & hæcceitates non modò conveniunt in communi nomine, sed etiam in ipsa ratione hæcceitatis, ita ut assignata ratione quid sit hæcceitas, eandem rationem intrinsecè & quidditativè Petreitas & Pauleitas, sicut ipse Petrus & Paulus participant ipsam rationem humanitatis; ergò non modò in nomine, sed etiam in conceptu aliquo convenient Petreitas & Pauleitas, consequentèr ab eis poterit abstrahi ratio aliqua communis omnibus individuis. Ad hanc rationem varii varia respondent, nulli tamen ad sufficientiam, & inter Scotistas aliqui dicunt, quòd inter hæcceitates detur aliqua convenientia analoga, quæ tamen non importat aliquem conceptum communem præcisum, sed solùm quandam proportionem, quàm hæcceitates servant inter se in modo constituendi & faciendi differre. Sed hæc responsio non solvit argumentum, quod non modò probat convenientiam aliquam analogam, sed etiam univocam in conceptu hæcceitatis ut sic, singularum hæcceitatum; Ita si hoc argumentum non demonstret conceptum communem univocum, in nullis præcisionibus objectivis, sive transcendentalibus, sive prædicamentalibus, probari posset conceptus aliquis communis univocè ab omnibus, quia semper licit poterit omnia entia non nisi analogicè & proportionalitèr convenire, similitèr omnes homines non nisi proportionalitèr convenire in ratione humanitatis, quidquid enim adfertur ad probandum conceptum univocum inter homines, adfertur etiam in differentiis individualibus, ergò, vel admittendus erit aliquis talis conceptus univocus inter illas, vel dicendum, quòd nec ab omnibus hominibus possit abstrahi aliquis conceptus univocus in ratione humanitatis, quod tamen nullus Scotista dicet.

VI. *Opponitur & solvitur Aristoteles.*

Opponitur contra Conclusionem Authoritas Scoti 2. d. 3. q. 6. ubi videtur omnem omninò convenientiam individuorum negare quâ talium, dicens: *Omnis differentia differentium reducitur ad aliqua primò diversa, alioquin non esset status in differentibus, sed individua propriè differunt, quia sunt diversa aliquid idem entia, ergò eorum differentia reducitur ad aliqua primò diversa, &c. igitur præter creaturam in hoc & illo sunt aliqua primò diversa, quibus hoc & illud differunt*, ergò. R. verum esse Scotum in præfato loco sic rigidum fuisse in admittendo aliquem conceptum communem, verùm alibi temperavit istum rigorem, ut patet ex locis supra allegatis. Ideò ergò Scotus in præsenti loco intelligendus est, quòd differentiæ sint primò diversæ, ita ut nullus conceptus communis adæquatus qui importaret aliquam veram realitatem possit ab iis abstrahi; non negavit tamen, quin ab omnibus possit abstrahi ratio aliqua communis ab omnibus inadæquatè conceptis, imò hoc expressè docuit supra, unde Scotus benè intellectus non contra nos, sed est pro nobis.

VII. *Argumentum ex ratione primum.*

Arguitur ratione primo; Individuum, secundùm nos benè definitur cum Porphyrio: quòd sit id, quod de uno solo prædicari potest, & cujus proprietatum collectio in nullo alio reperitur, sed si esset ab omnibus conceptus aliquis communis abstrahibilis, non prædicaretur de uno solo, nec proprietatum collectio in nullo alio esset, ergò, ma. patet, mi. probatur, quia tunc posset prædicari de pluribus, ergò. R. dist. ma. individuum definitur, &c. quòd de uno solo prædicari potest, ut quid, concedo ma. ut modus, nego ma. & dist. similitèr minorem, nego consequentiam. Itaq; individuo tantùm convenit prædicari de uno solo, si consideretur præcisè in quantum tale est, si verò consideretur sub modo concipiendi tunc potest prædicari de pluribus prædicatione tàm exercitâ, quàm signatâ; unde quando prædicatur ut modus, tunc individuum tantùm confusè & inadæquatè concipitur, si verò conciperetur adæquatè & clarè, tunc ipsi repugnaret talitèr prædicari.

Instatur. Porphyrius definiens individuum, tradensq; allegatas definitiones pro exemplis attulit ut *Socrates*, *hoc album*, ergò non definivit individua confusè accepta, sed clarèquoniam si individuum in communi acceptumdefiniviſſet non valerent exempla data, ergò. R. Porphyrium illa exempla attuliſſe non quia immediatè *Socratem* & *hoc album* definiverit, sed ideò, quia omne quod signatur in secundis intentionibus, exercetur in primis, ut supra dictum est etiam in exemplis allatis à Porphyrio, quando definivit genus & speciem.

Urgetur. Si immediatè non definivit Porphyrius Socratem & hoc album, sequeretur quòd Petrum esse hominẽ non posset immediatè prædicari de Petro, sed hoc est inconveniens, ergò. Probatur sequela ma. Ideò non potest immediatè prædicari animal de Petro, quia mediat inter eum & animal, vel genus, species, sed hic etiam mediaret ratio individui communis, ergò non posset immediatè prædicari de Petro, quòd Petrus sit homo. R. negando sequelam ma. cujus probationis majorem distinguo ideò, &c. quia mediat species importans veram realitatem, concedo ma. quia importat & mediat aliquid commune per purum conceptum nego ma. similitèr dist. mi. sed hic mediaret ratio individui importans veram realitatem nego mi. sed hic mediat ratio individui communis tantùm per conceptum concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; inter individuum & speciem medium datur per rationem, non verò aliquod medium à parte rei, unde à parte rei species est immediata individui, sicut individuum est immediatum generi (scilicet generico) per rationem & conceptum, licet à parte rei sit mediatum.

Replicatur. Si mediaret, deberet poni in prædicamentis, sed non ponitur, ergò non mediat, patet ma. quia series & coordinatio prædicamentorum requirit ut immediatoria semper sibi invicem subordinentur; mi. etiam patet, ergò. R. negando sequelam quòd scilicet medium inter Petrum & hominem, id est, ratio individui communis, debeat poni in prædicamentis, quia ibi non ponuntur nisi naturæ veræ, veraeq; realitates, non verò modi naturæ, & puri conceptus inadæquati, qualis est individuatio.

VIII. *Secundum.*

Arguitur 2. In individuatione non potest dari ratio contrahibilis, & ratio contractiva, ergò nequit dari conceptus communis qui posteà contrahatur per Petreitatem & Pauleitatem, prob. ant. quia differentia individualis secundùm rationem formalem individuationis est ultimum contractivum, ergò non poterit ulteriùs contrahi. R. dist. ant. non potest dari in individuatione ratio contrahibilis, & ratio contractiva eâdem sub ratione concedo ant. sub diversa ratione nego ant. & consequentiam; ad probat. ant. R. dist. quoq;, Differentia individualis est ultimum contractivum verè & à parte rei concedo ant veluti modus & conceptus nego ant. Individuatio licet sit à parte rei ultimum contractivum, per intellectum tamen inadæquatè concipientem potest fieri universalis ut modus

Instatur. Contrahibile & contractivum important diversas formalitates, & unum debet esse extra rationem formalem alterius, ergò nequit dari sic conceptus communis, probatur consequentia, Quia contractiva illius non habebunt rationem individuationis, sed quòd non habet rationem individuationis nequit esse determinativum alicujus communis. R. dist. ant. Contrahibile & contractivum important diversas formalitates reales, si fiat contractio verè & à parte rei concedo ant. si fiat contractio per intellectum importantem diversas formalitates reales, nego ant. cujus antecedentis rationem sic paritèr distinguo, unum debet esse extra aliud realitèr, si realitèr contrahantur concedo, unum debet esse extra aliud realitèr si per rationem contrahantur, nego ant. Itaq; in tali casu contractio per rationem facit etiam contrahibile & contractivum discerni, & unum esse extra aliud per rationem, non verò à parte rei; Itaque tàm hoc quàm præcedens argumentum solùm probat quòd non detur natura à parte rei individuationis, quæ esset contrahibilis ad plura individua sicut est contrahibilis natura humana, quòd omninò verum est, quia hæcceitas à parte rei est tantùm contractiva, nec aliud reale munus exercet, quàm contrahendi & singularizandi, illa tamen realitas quæ à parte rei dicitur contractiva & hæcceitas, potest inadæquatè concipi ut convenit cum alia hæcceitate in munere faciendi ultimatè differre, & tunc inducit modum contrahibilis, & sic per intellectum eadem prorsus realitas à parte rei dividi potest & partiri in duos conceptus, quorum unus sit communis & contrahibilis; alter contractivus & proprius, quorum unus sit extra alium per rationem, & duas habeant simul formalitates rationis.

Urgetur. Sicut ab omnibus individuationibus potest abstrahi aliquis conceptus communis contrahibilis per individuationes, ita potest deinde eam considerare intellectus ut contrahibilem iterùm per differentias alias, & sic in infinitum, sed talis processus in infinitum vitiosus est, ergò. Probatur sequela, quia poterit intellectus denuò differentias individuales illam contrahentes inadæquatè concipere, sed ex tali inadæquato conceptu iterùm individuatio præscindet, & sic in infinitum, ergò. R. dist. sequelam ma. sicut ab omnibus, &c. & sic in infinitum in conceptibus, seu præcisionibus formalibus transeat ma. in præcisionibus objectivis nego ma. & similitèr dist. mi. sed inconveniens est admittere processum in infinitum, in præcisionibus objectivis, concedo mi. in præcisionibus formalibus, nego mi. & consequentiam. Itaque non videtur magnum esse inconveniens in actibus intellectûs quò priorem repetat abstractionem de eodem objecto processum in infinitum admittere, præter defatigationem capitis, tibi ergò consule.

IX. *Tertium.*

Arguitur 3. Idem non potest esse ratio formalis conveniendi & disconveniendi, sed individuatio est ratio formalis disconveniendi,

veniendi, ergò nequit habere rationem conveniendi. R. dist. ma. non potest esse ratio conveniendi & disconveniendi si eodem modo sumatur transeat ma. si diversimodè sumatur nego ma. & distinctâ similitèr mi. nego consequentiam. Individuatio, ergò in communi est ratio conveniendi, quia sic est confusè & inadæquatè cognita, habetq; rationem communis, adæquatè verò & clarè cognita est ratio differendi ut Petreitas & Pauleitas.

Instatur; Nihil potest concipi sub conceptu sibi repugnante, sed natura individuationis est ut sit una de se hæc numero, ergò non potest concipi veluti communis quomodocunq; concipiatur, quia revera concipietur conceptu repugnante, quod implicat. R. concessâ ma. dist. mi. Individuatio est de se hæc numero essentialitèr à parte rei & adæquatè concepta concedo mi. inadæquatè concepta nego mi. & consequentiam. Quia argumentum tantùm probat individuationem non posse esse communem ut quid, eò modò, quò est natura humana, vel bovina, non verò quòd non possit esse communis ut modus, nec propterea concipietur sub modo repugnante sibi, quia modus repugnans sibi tantùm est, quòd non possit concipi communis communitate per veram realitatem importatâ, non verò per purum rationis conceptum.

Urgetur: Eâdem ratione natura divina posset dicit universalis quod tamen est inconveniens ergò, probatur assumptum, quia natura divina etiam poterit inadæquatè concipi: ergò. R. negando sequelam disparitas est, quia habemus fundamentum ad concipiendam singularitatem sub ratione communi, quale non habemus in natura divina, aut quacunq; alia immultiplicabili, quia individualitates sunt plures à parte rei, & inter se habent aliquam similitudinem, seu convenientiam virtualem & fundamentalem in modo constituendi & distinguendi individua, quale non habet natura divina.

Replicatur; Si talis convenientia & similitudo in modo faciendi differre & constituendi sufficit debebit admitti communitas à parte rei, sed talis non est conceptus per puram rationem, ergò: probatur sequela majoris, Ex reali similitudine Petri & Pauli in natura humana arguitur communitas realis naturæ, ergò etiam ex eo quod Petreitas & Pauleitas sibi similes sint, debebit admitti communitas realis. R. negando sequelam ma. & probationis paritatem Quia similitudo Petri & Pauli est realis, formalis, & actualis, ideoq; erit fundamentum actuale, similitudo autem Petreitatis & Pauleitatis est solùm fundamentalis, cùm à parte rei sint simpliciter simplices formaliter facientes differre, & simpliciter alterius ac alterius rationis & primò diversæ.

QUÆSTIO VI.

An natura creata individuetur per aliquid superadditum, & an illud sit quid positivum.

I. Suppono tanquam certissimum, quòd quidquid in rerum natura à parte rei existit id esse singulare, nam sic non modò docet Philosophus pluribus in locis contra Platonem, sed etiam ipsa ratio clarè demonstrat: nam quidquid in rerum natura est, aut est Deus, aut creatura, Deus est singularissimus, omne autem creatum necessariò singulare esse debet, quia omnis productio cum sit singularis, in rem singularem tendit 1. Met. cap. 1. quò supposito veluti certo, & indubitato; in præsenti quæstione quæritur, an illa res sit singularis per semetipsam existentem & essentiam suam, an verò per aliquid additum naturæ, & illud an sit quid positivum, an verò quid negativum? Nominales post ducem suum Occhamum docent singularitatem nihil esse præter essentiam ipsius naturæ, nam quemadmodum natura ex se formaliter est natura, ita etiam ex se est singularis. Occhamum sequuntur Durandus, Clureolus, & plures Thomistæ in substantiis Spiritualibus, In eandem sententiam multum inclinat imò expressè tenet Baro, nisi quòd Apolog. 5. Met. act. 2. glorietur nullum hactenus subtilitatem hanc ex Scotistis conformitèr ad mentem Scoti attigisse, unde ipse ut putat de mente Scoti nullum requiri superadditum realitèr vel formaliter, ut natura sit singularis: requiri tamen aliquod positivum superadditum ad hoc, ut natura una distinguatur ab alia quantùm ad individua, seu ut constituantur individua primò diversa & distinguantur ab aliis; Verùm non mihi videtur tantùm hic in hac distinctione latere subtilitatis, quòd eam Scotistæ priores attigisse non debuerint, imò Baro solemnissimi principii Scotici tunc oblitus, fuisse debuit, quando hæc distinxit: scilicet, illud est principium distinctivum alicujus rei, quod est ipsius constitutivum, si ergò ad constituendam naturam singularem non requiritur aliquod principium positivum superadditum, nec requiretur ad eam distinguendam, & si è contra requiritur ad distinguenda individua & faciendum ut sint primò diversa, ergò etiam ad ea constituenda propter rationis paritatem, ex una & altera parte, quare ad primam partem quæstionis.

Variæ sententiæ.

II. Dico 1. *Nulla res creata est singularis & individua ex sui principiis intrinsecis, sed per aliquod superadditum.* Hæc est communis, Realium contra Nominales: &

Natura est singularis per aliquid superadditum.

Probatur primò: Natura quæcunq; licèt sit secundùm se ad prædicata sua essentialia, nempe animalitatem & rationalitatem, natura humana, non est tamen determinata ad principia individualia: ergò ut sit à parte rei natura Petri, vel Pauli, debebit habere aliquid per quod determinetur ut sit hujus potiùs quàm illius, ant. patet quoad primam partem, scilicet, quòd ex se sit tantùm determinata ad principia & prædicata sua essentialia; probatur etiam quoad alteram partem, quia humanitas, verbi gratiâ ex se est indifferens ut sit in Petro & in Paulo, probatur etiam consequentia principalis, Quia ex eo quòd videmus naturam genericam esse indeterminatam ad plures species concedimus ei plures species per quas determinetur ad unam potiùs quàm ad aliam, ergò etiam si natura specifica est indeterminata, plura concedi debebunt per quæ determinetur ad individua sicut genus determinetur ad species.

Probatur secundò: Quia si in conceptu naturæ humanæ includerentur essentialitèr & quidditativè secundum prædicata intrinseca, principia individuantia verbi gratiâ. Petreitas & Pauleitas, sequeretur quòd de Joanne & Jacobo essentialitèr & quidditativè prædicarentur Petreitas & Pauleitas, non minùs quàm essentialitèr prædicatur de iis animal rationale, sed hoc est inconvenientissimum & falsissimum ergò: probatur sequela; Quia quidquid inest alicui ex natura sua, per se inest ei in quocunq; ponatur, sed Petreitas & Pauleitas ineesset naturæ humanæ per se & ex natura sua, ergò ineesset etiam ei si natura humana poneretur in Joanne & Jacobo, ergò etiam de iis posset essentialitèr prædicari.

Confirmatur Conclusio; Quia experientiâ constat, quòd haberi possit conceptus essentialis cujuscunq; naturæ, præscindendo à differentiis individualibus, ergò quilibet gradus ut individualis est extra essentiam naturæ, & consequentèr illi superadditus, probatur ant. quia considerată solâ animalitate & rationalitate habetur conceptus essentialis hominis adæquatus, præscindendo à Petreitate & Pauleitate ergò.

III. *Opponitur & solvitur Aristoteles.*

Opponitur; Contra Conclusionem Authoritas tùm Aristotelis 10. Met. 26. circa finem ubi quòd ultima divisio quæ est per se & essentialis fit per differentias specificas, ergò non datur ulterior] divisio per gradus individuales: tùm Scoti 2.d.3.q.1. ab initio §. hic dicitur, ubi refert fundamentum Nominalium, quòd natura habeat esse verum extra animam, non autem habet esse in anima nisi ab alio, id est, ab anima ipsa, sed esse in anima est communitas, & esse extra animam est singularitas, ergò ex se simplicitèr habet natura esse singularis: quia esse extra animam simplicitèr ei competit; & esse universalem ab anima, seu secundùm quid tantùm. Verùmtamen R. ad Aristotelem ibi tantùm loqui de ultimis differentiis quæ faciunt specificam contrarietatem, & sic dicit esse differentias specificas: per hoc tamen non negat speciem iterum dividi per individua, cum individuum in linea prædicamentali sit infra speciem, sed tantùm vult quòd non amplius dividatur per aliquid constitutivum essentialitèr speciei, seu constituti quidditativum, & sic dicit quòd si ulterius dividatur, quòd fit divisio per accidens, sumendo per accidens pro eo quod non ingreditur intrinseca principia & prædicata constitutiva essentialia, & sic probat pro nobis; quod si species adhuc dividatur non dividi se ipsâ ad singularia, sed per aliquod superadditum posterius. Ad Scotum R. illum non agere contra Conclusionem ibi, sed simplicitèr referre sententiam Nominalium, non verò per modum contrarii asserti, quare ipse in fine quæstionis Respondet negando mi. quoad illam partem, quòd communitas sit esse in anima, quia non minùs quàm singularitas, sic communitas convenit naturæ extra intellectum; cum hac tamen differentia, quòd communitas conveniat naturæ ex se, singularitas autem per aliquid in re contrahens ipsam; unde si communitati non est quærendum aliquid in anima, singularitatis tamen causam necesse est quærere, quæ superaddit aliquid illi naturæ cujus est; Quod si verò per communitatem intelligant Nominalem universalitatem sub secunda intentione, tunc quidem verum est quòd universalitas sit quid in anima, attamen hic non est sermo de secundis sed de primis intentionibus.

IV. *Argumentum ex ratione*

Arguitur 2. Ex ratione, Illud superadditum, vel esset quid essentiale, vel quid accidentale, sed neutrum dici potest, ergò non erit aliquid superadditum naturæ ad hoc ut singularis sit: ma. patet, probatur minor, non essentiale, quia alioquin species posset dividi per essentiales differentias, & sic species non esset tota essentia individuorum, ergò: nec etiam accidentale, quia sic individuum esset ens per accidens, ergò. R. concessa ma. negando mi. cujus primam probationem distinguo, Non essentiale, si sumatur essentiale pro præcisa entitate quidditativa, concedo, si essentiale sumatur pro omni intrinseco alicujus, nego; unde non licèt inferre, quòd tunc species per essentiales differentias divideretur, quia tunc *essentiale* sumitur quatenus denotat differentiam aliquam essentialem dicentem quidditatem. Similitèr distinguo ant. alterius probationis: Nec etiam accidentale, si accidentale sumatur pro eo quod non præ se fert entitatem quidditatem, nego ant. si sumatur pro entitate aliqua extrinseca adveniente concedo, si priori modò sumatur accidentale, tunc non licet inferre quòd individuum sit unum per accidens, quia entitas quidditativa natura verè contrahibilis & divisibilis numero cum entitate non quidditativa, sed per se contrahente unum individuum per se constituere possunt alicujus unius prædicamenti, de quo species verè prædicetur.

Instatur; Si per aliquid superadditum, sive sit accidentale, sive essentiale individuaretur, natura species specialissima, seu infima non est athoma, sed hoc est contra Porphyrium ergò: probatur sequela, quia illa non est species athoma, quæ est adhuc divisibilis per plures differentias, sed hæc esset, ergò. R. negando sequelam ma. cujus majoris probationem distinguo, illa non est species athoma quæ est divisibilis per plures differentias essentiales, concedo ma. per plures differentias individuales nego ma. & similitèr distinctâ mi. nego consequentiam, Itaq; species infima non dicitur præcisè athoma, quia non potest ullo modo dividi amplius, sed ideò, quia per alias differentias specificas amplius non dividitur, unde species infima non simplicitèr athoma, id est simplicitèr indivisibilis, sed indivisibilis in plures species, quæ indivisibilitas secum compatitur divisibilitatem in plura individua.

Urgetur. Species infima esset adhuc contrahibilis per differentias specificas, ergò non esset adhuc athoma, probatur ant. quia esset contrahibilis per differentias, quæ habent rationem conveniendi simul, sed quæ contrahuntur per plures rationes conveniendi simul, contrahuntur per differentias specificas ergò: probatur ma. quia individuatio Petri & individuatio Pauli, Joannis &c. convenirent in ratione individuandi, ergò. R. negando ant. cum

probat.

probat. ma. individuatio Petri & individuatio Pauli convenirent in ratione individuitatis, si considerentur ut quid præcisè, nego, si considerentur confusè & ut modus nego, Recurre ad dicta in præcedenti quæstione.

Dico 2. *Illud superadditum, per quod natura creata individuatur, est quid positivum ad quod sequitur negatio divisibilitatis.* Hæc est Scoti Et Scotistarum omnium, quam alii passim etiam recipiunt, ut Suaretz Raguseus, Contarenus, Amicus &c.

Probatur Conclusio primò; Omnis negatio quæ est repugnantiæ, aut quæ nequit separari à subjecto præsupponit in illo subjecto aliquid positivum, ratione cujus competat illa negatio ipsi inseparabiliter, sed negatio divisibilitatis quam dicit Petrus nequit separari à Petro, repugnat enim Petro ut multiplicetur numero, ergò præsupponit in ipso aliquid positivum, sed non naturam specificam, quia hæc formaliter loquendo præscindit ab hæceitate, estq; multiplicabilis numero, mi. patet, ma. probatur inductione, nam negatio corporeitatis in angelo quæ est negatio repugnantiæ (de similibus enim hic sermo est) convenit angelo per aliquam formalitatem positivam, negatio hinnibilitatis in homine per rationalitatem, & sic de aliis. Dixi negatio repugnantiæ ad excludendas simplices negationes & privationes, quia quamvis in sensu composito repugnet alicui, non tamen in sensu diviso, verbi gratiâ in cœco negatio visûs, quem Deus tamen illuminare potest, secùs est de angelo cui simpliciter & in omni sensu repugnat esse corporeum.

VI. Dices: Dantur adhuc aliquæ simplices negationes, ratione quarum unum simpliciter & absolutè repugnat alicui alteri, ergò, probatur ant. Quia personæ creatæ per simplicem negationem ut quo, & ut quod omninò repugnat communicari alteri, ergò. R. illam duplicem negationem communicabilitatis, ut quo, & ut quod non esse adhuc repugnantiæ, sed esse tantùm actualis & aptitudinalis communicabilitatis, atq; proinde negatio repugnantiæ non competit personæ creatæ, quia ei simpliciter & absolutè non repugnat communicari alteri, sed tantùm secundùm quid, quia talis repugnantia est ab ea separabilis aufferendo illam duplicem negationem

VII. Probatur Conclusio secundò: Per negationem non constituitur aliquid in entitate perfectiori formaliter, quàm sit illa entitas præsupposita negationi, quia negatio ut negatio nullam dicit perfectionem, sed prima substantia secundùm Aristotelem in prædicamento substantiæ est maximè substantia, & magis substantia quàm secunda, ergò non poterit constitui formaliter per negationem in quantum distinguitur à substantia prima.

Probatur Conclusio tertiò: Illud per quod species est athoma & indivisibilis est ens positivum, ergò multò magis id, per quod est individuum individuum, probatur Consequentia, quia unitas numeralis est major & perfectior, quàm sit unitas specifica, ergò sicut unitas specifica est positiva, ita etiam debet esse unitas numerica.

Confirmatur; Ita differt sub eadem specie unum individuum ab alio, sicut una species ab alia sub eodem genere, sed una species ab alia non differt per simplicem negationem, sed per aliquam sui differentiam constitutivam, ergò etiam individuum. Secundò. Quia Petrus differt à Paulo non quidem per simplicem negationem, quasi solùm quædam negatio sit in uno, quæ non sit in alio, sed omninò differt aliquâ entitate positivâ quatenus est quædam entitas in uno, quæ non est in alio & in hac entitate fundatur ista negatio.

Arguitur incontra. Individuum VIII. formaliter constituitur per indivisionem, sed indivisio non est aliud formaliter quàm negatio, ergò individuum constituitur formaliter per negationem, R. disting. ma. si individuum consideretur prout est ens per infimum gradum in linea recta prædicamentali constitutum nego ma. si consideretur veluti unum quod explicetur per indivisionem concedo ma. Itaq; si individuum primo modo spectetur, tunc individuum constituitur formaliter tale per infimum gradum entis, ultimo naturæ communis determinativum, ad quem unitas individualis consequitur veluti ejus propria passio, quæ licet explicetur per negationem prout à nobis concipitur, importat tamen adhuc aliquid positivum.

Instatur; Sequeretur quòd tunc in uno eodemq; individuo esset duplex entitas, sed hoc non videtur admittendum ergò. R. dist. ma. esset duplex entitas: hoc est, duplex formalitas concedo ma. duplex entitas: id est, duplex res nego ma. similiter distinctâ mi. nego consequentiam.

QUÆSTIO VII.

Quod nam sit principium Individuationis?

In præcedente quæstione determinavi principium individuationis esse aliquod positivum, restat ut hic examinem quid nam sit illud positivum? Circa quam materiam multiplex omninò fuit Antiquiorum & Thomistarum sententia: I. *Variæ Authorum Sententiæ.*

Prima erat Henrici, Ægidii Romani, Bonetti, Rogerii de Bacconis, qui omnes pro principio individuationis statuebant ipsam rerum existentiam ita ut eo ipso quo res habent existentiam etiam habeant principium individuationis, adeoq; aliud principium individuationis non esse quærendum, præter ipsam rerum existentiam.

Secunda Sententia asseruit principium individuationis esse quantitatem, ita sensit Godofredus prout ipsum Marginistæ Scoti citant: cui Aureolus & plures Thomistæ adhærere videntur.

Tertia Sententia est multorum Sanctorum Patrum Basilii, Damasceni, Boëthii, imò Porphyrii cum Avincenna, qui ponere videntur

dentur principium individuationis collectionem omnium accidentium, cui etiam subscribere videntur plures Recentiores, in quantùm existimant causam determinare ad hunc numero effectum per circumstantias loci & temporis, de qua re in Physica, ita Suaretz, Vasquetz &c.

Quarta Sententia est materiam nudam id est secundum se spectatam esse principium individuationis, ita quidam Antiquiores Thomistæ, quia tamen Juniores viderunt difficile esse: sustineri materiam præcisè secundum se spectatam debere poni pro principio individuationis, ideò ab isto rigore ex parte declinant & dicunt materiam signatam, quam signationem ipsimet Thomistæ variè lacerant, nam Capreolus, Ferrara, Soncinas &c. per materiam signatam intelligunt materiam quantitate formali affectam, Cajetanus dicit materiam signatam esse quæ non actu est eadem quantitate affecta, sed capax tantùm hujus & non alterius ita ut per solum ordinem & respectum ad eam recipiendam dicatur esse principium individuationis: Alii alitèr istam sigillationem per distillant.

Quinta Sententia est Averoistarum post Averoëm, qui pro principio individuationis rerum materialium ponunt ipsam formam solam, alii addunt formæ materiam, ita Zabarella, Niphus Pererius, Durandus &c.

Sexta Sententia est D. Thomæ & passim Thomistarum Blasii à Concept. Bannes Joannis à S. Thoma &c. qui formarum substantialium individuationis principium esse materiam & accidentalium subjectum dicunt.

Ultima deniq; Sententia est Doctoris in 2. d. 3. ubi refutatis & rejectis aliorum opinionibus, tandem quæstione sexta, candidè aperit mentem suam, & dicit principium individuationis esse, individualem differentiam contrahentem naturam ad esse hanc, & dantem formalitèr individuo esse indivisibile in plura, de quibus prædicetur prædicatione dicente hoc est hoc, hæc individualis differentia in Schola Scoti nunc (quamvis ipse terminus apud Scotum non sit) vocatur hæccitas, ex eo quòd faciat rem determinatam & hanc, dicitur etiam singularitas, quia facit rem, in qua est, singularem, seu incommunicabilem; dicitur etiam individualitas, seu Pauleitas, vel Petreitas, quia contrahit naturam specificam ad Petrum & ad Paulum; Scotum sequuntur omnes ferè Reales extra Scholam Sancti Thomæ, cui sententiæ vi obligationis ad verbum Magistri etiam subscribam, prius tamen subtilem imitando, aliorum sententias brevitèr refutabo: unde

II. *Existentia non est principium individuationis.*

Dico 1. *Existentia non est principium formale individuationis.* Ita Doctor 2. d. 3. q. 3. & Suaretz.

Probatur Conclusio primò; Ratione Doctoris in terminis. *Quod non est ex se distinctum & determinatum, non potest esse primum distinguens ac determinans aliud, sed esse existentiæ eo modo, quo distinguitur ab esse essentiæ, non est esse distinctum ac determinatum, non enim esse existentiæ habet proprias differentias, alias à differentiis esse essentiæ, quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem existentiarum aliam à coordinatione essentiarum, sed præcisè determinatur ex determinatione alterius, igitur non determinat aliquod aliud.*

Probatur Conclusio secundò; Quia effectus formalis individuationis est omninò diversus ab effectu formali existentiæ, ergò existentia non est principium individuationis, probatur ant. Effectus formalis individuationis est determinare naturam ad infimum gradum entis, ut incommunicabilitèr se habeat, & sit de se hæc numero designabilis; effectus verò existentiæ, seu actualis, seu possibilis, est ratio ponens rem illam extra causas cujus est existentia, actualis enim actu ponit, potentialis potest ponere.

Probatur tertiò; Individuatio universalitèr præcedit existentiam tàm in esse actuali, quàm in esse possibili, ergò non potest esse principium individuationis: probatur ant. Quia existentia est actus ultimus ordinatus ad constituendam rem extra causas, ergò supponit rem extra causas constituendam quoad omnem gradum essendi prædicamentalem, etiam ultimum, qui est individualis, probatur consequentia. Quia non potest fieri existens sola animalitas absq; rationalitate, nec sola humanitas absq; individuatione, ergò existentia supponit rem quæ dicitur possibilis existere completam etiam individualitèr, quia ad complementum inter omnes gradus præcipuè requiritur gradus individualis.

Confirmatur; Quia individuum ut tale etiam ponitur in prædicamento, ergò quidquid concurrit ad ejus constitutionem, debet etiam ibi poni, sed existentia non ponitur in prædicamentis, omnia enim prædicamentalia abstrahunt ab existentia, ergò non est principium constitutivum ejus.

Arguitur incontra. Illud est principium individuationis ad quod generatio terminatur, sed ad existentiam actualem terminatur generatio, ergò existentia erit principium individuationis, ma. patet, quia ad individuum ut singulare est & hoc, primò terminatur. R. 1. negando ma. quia generatio terminatur ad individuum quod non est principium individuationis, unde licèt generatio terminetur ad individuum etiam ut existens, ex hoc tamen non sequitur quòd existentia sit principium individuationis, ut existentia concomitatur principium individuationis, sic licèt generatio sit singularis existentis, non est tamen ut singularis, sed ut existentis. R. 2. negando mi. quia generatio non terminatur ad existentiam, sed ad existens. III. *Solvitur argumentum.*

Instatur: Per principium individuationis distinguitur una res ab alia, sed per esse existentiæ unum individuum distinguitur realitèr & numeralitèr ab alio, ergò esse existentiæ est principium individuationis. R. negando mi. loquendo absolutè, quia unum individuum non distinguitur primò singularitèr per actualem suam existentiam, sed per aliquid prius, nempe per ultimum actum in coordinatione & serie prædicamentali, qui per se ad talem seriem spectat, unde dicit Doctor quòd licèt existentia sit ultimus

ultimus actus ultimò distinguens, non distinguit tamen ultimò distinctione spectante ad seriem prædicamentalem, sed distinctione quæ extra totam per se coordinationem prædicamentalem. Dixi absolutè loquendo mi. esse falsam, quia si sermo sit de distinctione vera & quidditativa reali, tunc ad constituendum integrum & totale fundamentum distinctionis realis requiritur singularitas simùl cum existentia, ut supra dixi sed

Urgetur. Illud prius dicitur complere, quod prius ingreditur essentiam rei, sed existentia ingreditur simplicitèr essentiam rei, & individuatio non sic ingreditur esse rei, sed est extra ipsum tanquam quid consequens, ergò existentia priùs complet unamquamq; rem, ita ut ratione ipsius substernatur potentiæ agentis, & consequentèr existentia erit principium individuationis. R. negando mi. quia res ut supra dixi è contra se habet, quia licèt individuatio non pertineat ad esse quidditativum ipsius individui, quod in solis prædicatis specificis dicitur consistere, pertinet tamen ad esse intrinsecum ac entitativum ejus, quia est differentia constituens individua cum natura specifica in ultimo esse determinabili intra seriem prædicamentalem, existentia verò non est differentia constituens individuum, nec pertinens ad intrinsecum conceptum ejus, sed tantùm est modus ejus intrinsecus & solùm pertinet ad esse rei non quia conferat novum gradum essendi, sed ideò, quia facit illud in actu, & sic negatur etiam consequentia inde deducta.

Dico 2. *Nec quantitas, nec ullum aliud accidens, nec ulla accidentium collectio, est principium individuationis formale substantiæ.* Ita D. q. 4. supra. Probatur quoad primam partem de quantitate.

Primò. Quia substantia prima ut sic non habet suam entitatem individualem à quantitate, ergò nec unitatem quæ ipsam concomitatur, consequentia patet, probatur ant. Quia etiam infimus gradus substantiæ est substantialis, ergò hunc acquirere non potest à quantitate, quæ est merum accidens, & inferioris ordinis quod nullo modo seipsò perfectius dare potest alteri, quàm ipsum habeat.

Secundò. Si quantitas esset principium individuationis substantiæ, ipsa deberet primò esse de se hæc & individua, & sic distincta numeraliter ab alia: quod enim est unum specie, non potest esse ratio essendi alteri unum numero, sed quantitas non est de se hæc & una numero, ergò ipsa non potest est individuationis principium, ma. patet. ex rationibus appositis, probatur mi. quia tàm benè in quantitate, quàm in aliis rebus consideratur natura communis, ergò non est de se hæc, probatur ant. quia ratio lineæ tàm benè communis est ad lineam rectam & curvam, quàm animal ad hominem & leonem; hinc Probat Doctor quòd quantitas non modò non in genere substantiæ, sed nec in genere quantitatis posit esset principium individuationis, Quia esse divisibile in plures partes subjectivas non competit naturæ communi per quantitatem, ergò quantitas non est principium individuationis, probatur ant. quia quod est ratio divisibilitatis inest formaliter illi quod est divisibile tali divisione, sed quantitas non inest formaliter speciei, seu toti universali, in quantùm est divisibile in plures partes subjectivas; ergò ipsa non est ratio divisibilitatis talis totius in partes tales: ma. patet probatur mi. quia totum universale quod dividitur in individua & in partes subjectivas prædicatur de qualibet illarum partium subjectivarum, ita quòd quælibet pars subjectiva sit ipsum: partes autem quantitativæ in quas fit divisio continui nunquam recipiunt prædicationem totius divisi in ipsas; per quod patet quid dicendum sit ad eandem objectionem quam sibi Doctor in corpore objicit, quòd scilicet quidquid per se competit alicui alteri, competit ei in quocunq; est, sed per se competit quantitati dividi in plures partes, ergò, quia quantitati non competit per se primò & ex ratione quantitatis, dividi in plures partes subjectivas, benè tamen in plures partes integrales & quantitativas.

Probatur Eadem pars tertiò: V. argumento Theologico. Sit substantia materialis individuaretur per quantitatem, sequeretur quòd nullus panis singularis transsubstantiatus esset in Eucharistia in Corpus Christi, sed hoc est hæreticum, ergò: probatur sequela, quia nullum singulare transsubstantiatur in aliud, nisi singularitas unius transsubstantietur in singularitatem alterius, sed quando panis transsubstantiatur in Eucharistia in Corpus Christi, manet singularitas istius panis: ergò nullus panis singularis transsubstantiaretur in Corpus Christi, probatur minor, quia maneret ratio istius singularitatis, quia videlicet maneret quantitas quæ secundùm opinionem contrariam est principium, & ratio individuationis. Imò Doctor in Mysterio Eucharistiæ adhuc plura adducit absurda inde secutura quæ tamen brevitatis causâ omitto, ergò.

Probatur Conclusio quoad VI. alteram partem, scilicet quòd nec ulla accidentium collectio sit principium individuationis. Si aliquod accidens, vel etiam ipsa tota collectio esset principium individuationis, sequeretur quòd substantia de se non mutata substantialitèr transiret ab hac, ad non hanc, & è contra à non hac ad hanc, sed hoc implicat ergò: probatur sequela ma. Quia substantia sine contradictione potest fieri & esse sine quocunq; accidente, quia ipsis est prior naturalitèr, ergò ipsâ non mutatâ substantialitèr de hac fieret non hæc per solam accidentium variationem &c.

Confirmatur. Quia potest tota collectio accidentium panis assignari, absq; eo quod assignetur hic panis, ergò tota collectio accidentium non potest esse principium individuationis, quia nullum principium individuationis potest esse separatum & distinctum sine eo, cujus est principium individuationis, ant. patet, quia in Eucharistia assignatur tota collectio accidentium panis absq; eo, quòd assignetur, & sit ibi hic panis. Sed contra hanc partem VII.

Opponitur Authoritas multorum Sanctorum Patrum, imò & ipsiusmet divi Augustini, *Opponuntur & explicantur Patres.*

gustini, qui cap. 9. Dialecticæ asserere videtur unum individuum distingui ab alio, nam teste Nebridio unum hominem ab alio non distinguit nisi *quòd unus sedeat alter stet, unus pauper, alter dives sit &c.* Damasceni qui in sua Dialectica cap. 30. & 42. *ait accidentia esse characteristicas proprietates quibus tanquam certis notis hypostasis exprimitur*, & alibi plura similia. Boëthii lib. 1. Trin. cap. 5. ubi dicit: *in numero differentiam, varietas accidentium facit*: his similia habent Basilius, Nissenus &c. Verùmtamen his & omnibus similibus authoritatibus unica responsione satisfacio, videlicet sanctos Patres, & similitèr omnes Philosophos tantùm velle, quòd individua distinguantur per accidentia distinctione & constitutione extrinsecâ secundariâ, & quoad nos, non verò quòd distinguantur per accidentia differentia primaria & quoad se, duplex namq; est differentia individualis, una intrinseca, altera extrinseca; intrinseca est quæ consideratur fieri per principia quæ principalitèr concurrunt ad constituendum individuum; extrinseca verò est, quæ ad tale constituendum non concurrit, sed jam constitutum reperit & accidentalitèr unum ab alio differre facit, Imò universalitèr ad alias objectiones de quantitate respondere poteris tùm per hæc dicta, tùm per diversitatem quâ quantitas dividitur in partes integrales, & quâ dividitur in partes subjectivas; in quantùm enim dividitur in partes subjectivas, non est principium ipsa quantitas, benè tamen in quantùm dividitur in partes integrales.

VIII. *Nec materia rerum materialium.* Dico 3. *Materia nec sola, nec signata, seu quantitate affecta, est principium individuationis rerum materialium.* Est Doctoris supra quæst. 5. Contra Thomistas contra quos

Probatur primò. Authoritate Aristotelis nam 5. Met. t. 35. & 39. & 12. Met. 27. docet materiam non esse de se primò individuam, sed ipsam distingui in universalem & particularem: sicut in universum forma & compositum; nam sic habet (ut citat ipsum Mastrius) 7. Met. 39. in fine *Palam autem quod anima quædam substantia est, corpus verò materia, homo verò, aut animal quod est ex utrisq; ut universale, sed Socrates, aut Coriscus ut singulariter, ergò materia est in se quædam natura communis contrahibilis ad hanc & illam singularem materiam per differentias individuales*, ergò non potest esse principium individuationis,

IX. Probatur Conclusio secundò. Materia est pars quidditatis compositi prout, non modò Scotus, sed etiam D. Thomas docet, sed quod est in quidditate & essentia naturæ specificæ, non potest esse principium individuationis, quia hoc est extra essentiam naturæ, ergò materia nequit esse principium individuationis.

X. Probatur tertiò. Quia si materia, sive in communi, sive in particulari esset principium individuationis, sequeretur genitum & corruptum haberent idem principium individuationis, sed &c. ergò. Probatur sequela. Quia quando generatur ignis ex ligno, eadem numero materia quæ est in ligno est etiá in igne postea, ergò si materia est principium individuationis ignis & lignum unicum haberent principiũ consequentèr unicum tantùm esset individuũ. Propter hæc argumenta Thomistæ plurimi recessère ab isto rigore & dixère materiam non nudè sumptam, sed signatam principium individuationis, sed demonstrando quòd nec materia sit signata

XI. Probatur Conclusio etiam quoad alteram partem primò. Quia formæ substantiales & accidentales materiales non individuantur per materiam signatam, ergò, consequentia patet, antecedens etiam, quia eadem numero forma potest esse in diversis materiis, ergò non individuantur per illam.

XII. Secundò. Quia sicut intelligi potest quòd materia prima, aut quantitas individuetur se ipsâ, ita etiam potest intelligi quòd forma substantialis & quæcunq; alia res materialis individuetur se ipsâ, ergò frustra assignatur materia prima quomodocunq; considerata,

Probatur eadem pars tertiò. Tum quia quantitas non potest adferre nisi unitatem distinctionemq; accidentalem, & quantitativam, sed unitas & distinctio quam adfert principium individuationis non est accidentalis, sed substantialis, ergò: tum quia substantia à toto genere, id est quoad omnes gradus genericum scilicet & specificum ac individualem præcedit accidens, ergò quantitate non indiget ut individuetur.

XIII. Dices. Substantiam ut sic præcedere quidem omne accidens, sed non ut est individua, quemadmodum paries præcedit albedinem absolutè, sed paries albus est posterior albedine, sicut semper effectus formalis est posterior suâ causâ formali. Sed R. negando ant. quia substantia non modò ut sic, sed etiam ut individua præcedit omne accidens, quia illa præcedit ut est eorum subjectum, sed non est eorum primum & ultimatum subjectum, nisi ut prima & singularis: Deinde si substantia ut sic est prior accidente, ergò etiam ut hæc substantia, quia differentia addita non destruit naturam generis, vel speciei, ergò si ut substantia est prior accidente, non erit posterior ut hæc est. Nec exemplum allatum est ad rem, quia esse album respectu parietis est prorsus accidentale, non sic autem est esse individuale respectu Petri, nam albedo non supponit parietem album, sic accidens præsupponit substantiam individuam ut ejus proportionatum subjectum, quia non in substantia universali, sed singulari & particulari fundatur, hinc dicitur prima substantia ex eo quòd cæteris subsitet.

XIV. *Opponuntur explicatur Aristotelis.* Opponuntur Authoritates Aristotelis pluribus in locis ubi expressè asserere videtur materiam primam esse principium individuationis, ut 5. Met. 12. ubi ait *ea esse unum numero quorum materia una est.* Secundò 1. Cœlorum 92. *Cœlum ut sic ait esse formam, hoc verò cœlum esse formam in materia*, & deinceps 93. & 94. *negat esse plures mundos, quia nequeunt multiplicari per materiam cùm tota sit in hoc mundo* & alibi sæpe plura, ubi requirit simpliciter materiam pro princi-

principio individuationis. R. cum Doctore his & similibus authoritatibus opponendo, textus à me pro conclusione allegatos, adeoq; Philosophus non intelligendus est in talibus locutionibus quod ibi loquatur de materia Physica, sed de materia Metaphysica: id est, vel de genere, vel de ipsa hæcceitate & sic non loquitur præcisè de unitate numerali, sed etiam de aliis quæ verè una dicuntur, similitèr per formam non intelligit præcisè formam, sed sumptam pro quidditate totius, ut eam discernat à forma partis, unde dicit Doctor §. ad quæstionem supra, quòd in primo loco materia sumatur pro differentia individuali comparatione quidditatis, ut est forma totius quia ipsam constituit in ultimo esse subjcibili, & rem constituit in esse materiali, non verò formali. In secundo verò loco dicit per Cœlum simplicitèr sumptum intelligi ipsam Cœli quidditatem, & naturam veluti in abstracto, per hoc verò cœlum intelligit eandem naturam veluti in concreto nempe contractam per differentiam individualem. In tertio quidem loco videtur loqui de materia partis, nam probat alium mundum esse non posse, quia putavit hunc mundum (licèt falsò) constare ex tota materia tàm actuali quàm possibili. Sed Ratione quoq;

XV. **Arguitur:** Illud est principium individuationis, cui per se primò repugnat communicari pluribus, sed materia signata quantitate est talis, ergò. ma. patet prob. mi. Quia materia signata illa quantitate ita est propria unius, ut non possit esse alterius: ergò. R. distinguendo ma. cui repugnat communicari pluribus ut quid nego ma. ut quo concedo, & sic distincta mi. nego consequentiam.

Instatur; Materia signata nequit concipi ut universalis ut quo, ergò debet concipi singularis ut quo; sed quod est singulare ut quo, est principium individuationis, ergò materia signata erit. R. negando consequentiam, nam Petrus etiam nequit concipi ut universalis, & tamen ipse non est singularis ut quo, sed ut quid, & sic etiam Petrus non est principium individuationis, sed individuum per tale principium constitutum.

Urgetur. In omni substantia composita debet assignari aliquod principium individuationis, sed hoc non est forma, ergò debet esse materia, ma. est certa probatur mi. quia forma potest pluribus communicari, ergò est materia. R. dist. ma. debet assignari aliquod principium individuationis à substantia composita distinctum, nego ma. indistinctum concedo ma. & concessâ etiam mi. nego consequentiam, Ratio enim ista ad summum tantùm probat, quòd materia cum forma debeat esse principium individuationis, non verò quòd substantia composita fit primò hæc per materiam signatam, nam sicut substantia composita distinctam dicit realitèr entitatem à forma & materia, saltem sigillatim sumptis, ita quoq; habet suum principium intrinsecum individuationis diversum à principio individuationis materiæ & formæ.

XVI. Dico 4. *Nec forma sola, nec ipsa cum materia potest esse principium individuationis.* Est communis in Schola nostra,

Probatur prima pars. Quia eadem forma potest esse in diversis individuis, sed hoc esset impossibile si ipsa esset principium individuationis ergò.

Probatur secunda pars. Materia & forma sunt principia intrinseca quidditatis & convenientiæ specificæ, suntq; principia essentialia intrinseca, in quibus omnia individua quæ ex ipsis componuntur, conveniunt, ergò non sunt principium individuationis ant. patet: probatur conseq. quia tale principium est extra essentiam rerum, nec est principium convenientiæ inter individua, sed potiùs omnimodæ distinctionis.

Arguitur. Ideò materia non est principium individuationis, quia est communis omnibus formis & compositis, ergò cùm forma sit determinata unius materiæ, non potest enim communicari alteri composito, jam ipsa erit principium tale. R. negando ant. quia nec hæc causa est præcisa, sunt etenim adhuc aliæ præterea. R. 2. negando formam esse determinatam ad unam tantùm materiam, nam certum est quòd anima verbi gratiâ mea informet defacto aliquam materiam, quam non informavit ante annos viginti, cùm defacto habeam partes quas non habebam illo tempore. R. 3. Concesso quòd forma esset determinata, adhuc tamen non posset statui pro tali principio, quia cùm forma hæc sit individua, quæro per quid sit individua sicut & de materia. XVII.

Instatur; Sola forma actuat materiam, ergò sola forma est principium individuationis, probatur consequentia; Quia individuare nihil est aliud, quàm actuare, ergò R. dist. ant. sola forma actuat Physicè specificè concedo, individualitèr & Metaphysicè nego ant. & consequentiam. Ad probationem dist. ant. individuare est actuare quomodocunq; nego ant. actuare Metaphysicè ultimatè concedo ant. & nego consequentiam.

Urgetur; Ab eo res actuatur ultimatè Metaphysicè, à quo tribuitur existentia, sed à forma tribuitur existentia ergò. R. 1. negando mi. Quia sicut totum dicit aliam entitatem ab entitate partium, sic etiam dicit aliam existentiam ab existentia partium. R. negando ma. loquendo de ultima actualitate spectante ad prædicamentum, ratio est quia ultima actualitas quæ ad prædicamentum spectat est ipsa individuatio cui deinde convenit actualis existentia, quæ ad prædicamentum non spectat & supponit rem singularem ut supra dixi.

Dico 5. *Neq; accidentia per subjectum, neq; formæ substantiales per materiam individuantur.* Est D. 4. d. 17. §. hic sunt duæ opiniones. Probatur prima pars. Idem principium individuationis potest simul & semel individuare plura individua diversæ speciei & quæ differunt numero inter se, sed hoc esset verum secundùm Adversarios, ergò, ma. patet, probatur minor; Quia in eodem subjecto sunt plura accidentia diversæ speciei, verbi gratiâ in lacte albedo & dulcedo, calor, vel frigus & humiditas, ergò secunda pars patet etiam ex dictis, sed Contra primam dices. XVIII. *Neq; accidentia individuantur per subjectũ.*

XIX. Dices, Accidens dependet in esse à substantia, ergò ab illa individuatur, probatur consequentia, à quo res habet esse, habet etiam individuationem, ergò si accidens habet esse à substantia, habet etiam individuationem. R. dist. ant. dependet à substantia intrinsecè nego ant. extrinsecè concedo ant. & nego consequentiam illa autem dependentia extrinseca non arguit principium formale intrinsecum alicujus sicut ex eo, quòd creatura dependeat à Deo quoad suam essentiam non dicitur tamen Deus principium formale intrinsecum individuationis ipsius ergò.

XX. *Principium Individuationis est hæceitas.* Dico 6. *Omnium rerum creatarum individuationis principium est hæceitas, seu singularitas, vel individualitas, aut differentia individualis.* Ita Doctor 2.d. 3.q.6. & Communis tàm Scotistarum quàm aliorum extra Scholam Sancti Thomæ, Ita ut Ragusèius & Suessanus dicant hanc fuisse etiam veterum Philosophorum opinionem & sententiam, Avincennæ 5. Met. Plotini, Procli &c. imo Canonicus 5. Met. dicit hanc Scoti doctrinam à Damasceno in sua Logica originem traxisse, ubi expressè concedit quosdam gradus ultimos sub natura specifica tanquam ultimò determinativos & contractivos illius, Est etiam ex mente Sancti Augustini: qui teste Nebridio lib. 2. Log. cap. 8. ait Sanctum Patrem toties quoties facit de individuo mentionem, ipsumq; in Categoriis definit, vix alia exempla adducere, quàm *hunc hominem, hunc equum, hanc arborem, hanc grammaticam, hunc colorem album, hanc disciplinam &c.*

XXI. Probatur Conclusio etiam ratione primò. Illud est principium individuationis, per quod individua intrinsecè distinguuntur, sed individua non nisi per differentias individuales intrinsecè distinguuntur, ergò differentia individualis est principium individuationis, seu hæceitas, patet major, quia idem est alicujus rei principium distinctivum, quod est constitutivum, probatur mi. Quia non distinguuntur per entitatem naturæ, ergò, probatur ant. quia entitas naturæ non est principium distinguendi, sed est principium conveniendi in pluribus.

Probatur secundò: Unitas semper sequitur entitatem, ergò unitas numeralis debet habere aliquam entitatem, ad quam sequatur, sed non sequitur ad entitatem naturæ formaliter, nec aliud potest assignari præter aliquod realiter identificatum ipsi naturæ & ab ea formaliter distinctum, quod est hæceitas, ergò.

Confirmatur primò. Quia illud est principium individuationis, quod naturam ultimatè determinat & ponit in gradu ultimato indeterminabili & incommunicabili, sed hoc facit solùm differentia individualis ergò.

Confirmatur secundò. Quia assignando hujusmodi principium individuationis uniformiter potest quis philosophari in omnibus rebus tàm materialibus & spiritualibus, totalibus & partialibus, quod tamen non potest fieri in sententia Thomistarum, qui pro qualibet materia particulare debent principium quærere, vel nullum statuere possunt ut patet ex dictis, ergò. Sed in contra

XXII. *Argumentum in contrarium primum.* Arguitur Cum Hernea prout ipsum refert Mastrius. Illa hæceitas, aut est aliquid diversum à materia & forma signatis, aut non? si hoc secundum, jam Scotus est cum Thomistis, si primum, aut erit substantia, aut accidens, aut nihil; si nihil, pro nihilo reputetur, si substantia, aut materia, aut forma, aut compositum, non materia, aut forma ut supra dictum est, si compositum, ergò erit id se ipso individuum, quod Scotus non admittit; si accidens, aut est respectivum, aut absolutum, nõ respectivum, quia est posterius omni absoluto, si absolutum, hoc potissimum erit quantitas, quod etiam refutatum est, ergò Sententia Scoti aut nulla est, aut coincidit cum refutatis. R. brevitèr adhoc argumentum pomposum quod in altis graditur & nihil habet præter verborum strepitum & inanem applausum, concedendo esse aliquid à materia & forma signatis distinctum, & quando quæritur an sit substantia, vel accidens, tunc dico quòd in entibus substantialibus sit substantia, in accidentialibus accidens, non formalitèr, sed identicè propter realem identitatem cum substantia vel accidente.

Instatur. Hinc sequeretur quòd in uno eodemq; compositò tot sunt futura principia individuationis quot in illo quandoq; invenientur accidentia, sed hoc est omninò absurdum ergò: sequela patet probatur minor, quia una eademq; res non potest individuari pluribus principiis. R. dist. sequelam ma. Darentur in uno eodemq; compositò plura principia individuationis partialia, concedo sequelam, totalia nego sequelam, unde in tali casu est tantùm unicum principium totale & sunt plura partialia, sed hoc est inconveniens asserere, vel admitterc.

Urgetur. In compositò Metaphysico non possunt admitti plura principia individuationis partialia, ergò nec in compositò Physico, patet ant. consequentia sequitur à paritate rationis. R. negando consequentiam & paritatem, disparitas est; Quia entitates Metaphysicæ non sunt res potentes per se existere, Physicæ autem sunt ut de se patet, Metaphysicæ, ergò existent existentiâ totius, Physicæ sunt etiam realitèr distinctæ, non verò Metaphysicæ, ideò his denegatur propria individualitas quamvis non illis. Attamen Cum Bannes Et est argumentis Mastrio fortissimum.

XXIII. *Argumentum secundum.* Arguitur 2. Natura quæcunq; non potest fieri individua per aliquod quod est commune & ratio conveniendi cum pluribus, sed differentia individualis, seu hæceitas Petri & hæceitas Pauli conveniunt in ratione communi hęcceitatis, ut dixi ipse supra, ergò hęcceitas non potest esse principium individuationis, major est ex mente Scoti quia enim ideò potiori ex ratione aliæ fuêre sententiæ refutatæ, probatur minor, quia istæ sunt veræ propositiones & enuntiationes, hæceitas Petri est hæceitas, hæceitas Pauli est hæceitas, ergò hæceitas de se est quid commune, ergò consequentèr hæceitas non potest esse principium individuationis.

duationis. R. adhoc argumentum quod & alios æq; benè urget, distinguendo ma. Natura non potest fieri individua per aliquod commune quod est à parte rei tale sine ulla intellectûs operatione, quodq; veram realitatem importat concedo ma. quod tantùm est commune per conceptum & intellectionem quoad modum nego ma. & similitèr distinguo minorem & nego consequentiam, unde quando Scotus dicit quòd natura non possit fieri individua per aliquod commune, loquitur de eo quod est de se commune, seu quod non est de se & à parte rei hoc, non verò quod est tale per intellectum.

XXIV. **Instatur.** Ex reali convenientia Petri & Pauli in natura humana arguitur communitas realis talis naturæ, sed Petreitas & Pauleitas ita conveniunt in natura hæcceitatis, sicut Petrus & Paulus in natura humana, ergò ita communis erit hæcceitas Petreitati & Pauleitati sicut humanitas Petro & Paulo. R. negando mi. Quia convenientia & similitudo Petri & Pauli in natura humana ejusq; operationibus est realis actualis & à parte rei, & ideò requirit fundamentum reale actuale & à parte rei scilicet realem unitatem & communitatem naturæ in ambobus per indifferentiam, similitudo verò & convenientia Petreitatis & Pauleitatis in natura hæcceitatis ut sic non est realis & actualis, sed tantùm virtualis & fundamentalis, unde à parte rei illæ duæ hæcceitates sunt omninò alterius rationis & ab invicem primò diversæ.

Urgetur. In prædicatis communibus quidditativis ad hæcceitatem spectantibus ita conveniunt Petreitas & Pauleitas, sicut Petrus & Paulus in prædicatis ad humanitatem spectantibus, ergò vel utrobiq; erit realis, vel utrobiq; virtualis propter omnimodam rationem. R. cum Doctore 2. d. 3. q. 6. §. ad Quæstionem, negando ant. & consequentiam. Quia nunquam est tanta convenientia in constituentibus sicut in constitutis, & omnis differentia differentium debet esse & reduci ad aliqua primò diversa, id est in nullo à parte rei quidditativè convenientia, ne detur processus in infinitum ut docet Aristoteles 5. Met. cap. de eodem, ista verò primò diversa ad quæ tandem opus est pervenire in linea prædicamentali sunt ultimæ differentiæ individuales, & ideò convenientia eorum in ratione hæcceitatis communi nequit poni formalis & actualis, sed tantùm fundamentalis & virtualis.

QUÆSTIO VIII.

An omnia individua ejusdem speciei sint æqualis perfectionis?

I. **Quæstio hæc** originem suam habuit ab animabus rationalibus de quibus Auctores in animasticis quærere solent an omnes sint in perfectione individuali æquales, vel inæquales, supposito quòd sint ejusdem speciei? quia tamen hæc difficultas communis ad individua cujuscunq; speciei etiam in animatæ ita eam universalitèr de omnibus expediam, nam quemadmodum propter perfectiores & imperfectiores animarum operationes quæritur an una altera sit perfectior, sic paritèr quæri potest de aliis, quia videmus quòd unus ignis alio urat fortius, equus unus alio sit generosior, una caro alterâ sapidior &c. & sic de cæteris. Notandum verò sensum quæstionis esse non de æqualitate, vel inæqualitate in perfectione accidentali, & extrinseca, nec etiam extensiva, aut intensiva eorum, quia sic res est indubitata quod unum individuum alio sit perfectius quia habet perfectiora accidentia, sic unus alio est melioris complexionis, pulchrioris formæ, subtilioris ingenii, velocioris memoriæ quàm alter, sic etiam una quantitas aliâ est longior, calor ut quatuor intensior calore ut duo, sed est quæstio de perfectione essentiali & quidditativa. Circa quam materiam duplex est sententia extrema, Prima asserit quòd differentiæ individuales non modò adferant distinctionem individuorum, sed etiam inæqualitatem in perfectione individuali, ita ut ratione individualis differentiæ non solùm hoc individuum non sit illud, sed etiam perfectius illo in esse entitativo. Ita videntur sentire Magister D. Bonav. Ægidius, S. Thomas, Cajetanus, Bannes, Ferrariensis, Ruvius &c. Secunda è diametro opposita dicit differentias individuales nõ adferre perfectionem aliquam entitativam essentialem majorem, vel minorem individuis, sed ipsius præcisum munus esse determinare, hoc esse hoc, & illud esse illud. Ita Henricus Durandus, Soncinas, Scotus, Toletus & Scotus cum suis omnibus cum quibus etiam ad quæstionem.

Explicatur sensus quæstionis.

Dico. *Non datur inæqualitas perfectionis intrinsecæ & quidditativæ inter individua ejusdem speciei.* Hæc est conformis ad secundam sententiam. II.

Individua ejusdem speciei non sunt in perfectione essentiali inæqualia.

Probatur primò. Authoritate nostrorum Philosophorum Augustini libro 83. quæst. 40. ubi dicit: *Non ob hoc putandum est diversas esse naturas animarum, quia diversæ sunt voluntates, cùm etiam unius animæ voluntas pro temporum diversitate varietur, siquidem uno tempore dives esse cupit, alio tempore, contemptis divitiis sapiens esse desiderat, & in ipso temporalium appetitu uni homini negotiatio & alio tempore militia placet.* Item lib. 8. Civit. cap. 6. Serm. 8. verb. Apost. cap. 2. *Non enim alterius naturæ caro nostra & caro Christi, nec etiam alterius naturæ anima nostra & anima illius* & lib. de perseverantia cap. 9. *Nonne utriq; à Deo creati unus ejusdemq; naturæ animas acceperant?* D. Bernardi in cant. cant. Serm. 8. ubi sic habet: *Quia sic in eo singularem miratur gratiam ut tamen communem constituat naturam, beatamq; illam Christi animam esse cum reliquis ejusdem quidem generis, sed differentis excellentiaq; virtutis*, ubi licet dicat esse generis ejusdem, intelligendus est ut idem sit ejusdem speciei quod non modò Patribus, sed etiam Juris Consultis valdè familiare est, qui quod à Philosophis species appellatur, à Juristis genus dicitur, & quod Philosophi in individuo determinant illi in specie ponunt, imò, dum dixit supra naturam communem utiq; sufficientèr expressit speciem, quia nulla natura communis completa est præter speciem. Doctoris nostri subtilis quodlibeto 5. in fine & quodl. 19. art. 2. infra litt. R. ubi sic ait: *Propriè perfectio non videtur convenire nisi entitati*

entitati quidditativæ, quia entitas hypostatica non est secundùm quam aliquid perficitur, sed secundùm quam aliquid recipit perfectionem, vel saltem determinatur ad perfectionem receptam: & tandem accedit authoritas Aristotelis. 3. Met. 11. ubi ait, *in individuis non dari prius & posterius*, hoc est magis, minusve perfectum *benè tamen in genere*, seu quòd genus sit contrahibile per differentias inæqualis perfectionis, non verò species.

III. Probatur Conclusio secundò. Ratione primò, quæ desumpta est ex D. Augustini authoritate prima. Quia si aliqua inæqualitas perfectionis in differentia individuali provenire posset, maximè hoc ideò esset, quia videmus verbi gratiâ in animabus rationalibus perfectiores esse operationes in uno supposito, quàm in alio: quæ diversæ operationes arguunt majorem & minorem perfectionem, sed hæc ratio non est sufficiens fundamentum asserendi ex differentia individuali provenire majorem & minorem perfectionem, ergò: patet major: quia est eadem ratio de animabus, ac de aliis individuis cujuscunq; speciei: probatur mi. Quia omnis excessus perfectionis in operando repertus in diversis suppositis, reperitur etiam in eodem homine quoad diversa tempora, ergò ille excessus non est sufficiens signum &c. probatur ant. Quia maxima est variatio in homine dum est puer, juvenis, vel senex ante & post graves infirmitates, sed hæc mutatio non provenit ab eo quod anima ipsa substantialitèr varietur, aut perfectior, vel imperfectior fiat, sed tantum ex varia corporis temperie, quæ modò magis, modò minùs organa purgat & disposita reddit, ergò malè ex diversa & varia operatione colligitur diversitas perfectionis essentialis. Probatur secundò. Quia differentiæ individualis munus aliud non est, quàm facere naturam hanc & determinatam individualitèr, sed totum hoc munus habetur inter individua absq; ullo excessu perfectionis, ergò talis excessus penes differentias individuales attendi nequit, quia tota virtus hæcceitatis exhauritur in hoc, quòd faciat hoc individuum non esse illud, non autem quòd faciat hoc individuum perfectius alio. Tertiò. Aliqua individua ejusdem speciei infimæ sunt æqualis perfectionis, sed eadem est ratio de aliis omnibus, ergò: ma. patet quia si individuatur aqua in duas partes, illæ duæ partes erunt duo individua, & tamen ridiculum esset dicere, quòd essent inæqualis perfectionis: probatur minor; Quia ideò aliqua individua essent inæqualis perfectionis, quia habent diversas hæcceitates; sed omnia individua habent diversas hæcceitates, ergò omnia individua essent inæqualis perfectionis, quod falsum esse patet. Probatur quartò. Quia singularitates non addunt supra naturam specificam nisi, vel negationem communicabilitatis, ut aliqui volunt, vel formalitatem positivam ad quam sequitur talis negatio ut tenui ego, sed quodcunq; ex his dicatur, non potest una hæcceitas majorem perfectionem tribuere naturæ specificæ, quàm altera, ergò individuum unum non potest esse perfectius altero: probatur minor, quia quodlibet individuum est tàm perfectè incommunicabile quàm quodcunq; aliud, ergò habet negationem communicabilitatis tàm perfectam & principium individuationis, quàm quodcunq; aliud, ergò à tali principio non habebit natura majorem perfectionem. Sed

Opponitur Contra Conclusionem tùm Authoritas sacræ Scripturæ, Sapientiæ 8. ubi Salomon Deo gratias refert, quòd animam bonam sortitus sit in comparatione ad alios homines, tùm Aristotelis 2. de generat. animal. cap. 3. ubi ait: *sicut anima est perfecta magis, vel minùs, ita corpus præparat*, ergò. R. tamen has authoritates nihil facere contra Conclusionem, quia Salomon gratias Deo refert, quòd acceperit animam meliorem, non quidem substantialitèr, sed accidentalitèr ratione dispositionis corporalis, & donorum gratuitò superadditorum gratiæ & naturæ; quo sensu etiam dixit D. Bernardus suprà, animam Christi esse perfectiorem aliis animabus: imò etiam angelicis Spiritibus, quibus tamen dicitur minoratus, & secundum substantiam ex communi doctrina anima rationalis secundum se est imperfectior angelo, unde quando dicitur etiam, quòd alioquin anima Christi non esset perfectior anima Judæ, id verum est secundùm naturam præcisè & non secundùm gratiam. Ad Aristotelem dico eum loqui de animabus diversarum specierum, non verò de ejusdem speciei. IV. *Opponitur & explicatur Scriptura.*

DISPUTATIO IV.

DE DIFFERENTIA, TERTIO PRÆDICABILI.

Hactenus egi de Prædicabilibus, quæ prædicantur in quid, nunc restat agendum de illis, quæ prædicantur in quale; inter quæ primò occurrit differentia propriè dicta, quæ non modò prædicatur in quale simpliciter, sed in quale quid, in qua disputatione multa Metaphysica admisceri solent, de quibus si quid egero, breviter perstringam illas, unde ad ipsa Logicalia explicanda moveo manum, sit igitur

QUÆSTIO I.

Quid sit Differentia?

I. *Non est idem differens & diversum.* Ante Resolutionem. Notandum primò: Ex Doctore 1. d. 3. q. 3. §. Ad quæstionem. Non esse idem differens & diversum, quia illa dicuntur differentia, quæ priùs in aliquo communi conveniunt; deinde per aliquid illi communi superadditum differunt, illa verò dicuntur diversa, quæ non per aliquid superadditum,

dictum, sed se ipsis & se totis secernuntur: quam doctrinam dicit Doctor esse Aristotelis 10. Met. 17. unde etiam hic Porphyrius non agit de differentia, quæ est diversitas, sed de differentia, quæ est eorum, quæ in aliquo communi conveniebant.

Notandum secundò. Porphyrium differentiæ quintuplicem assignâsse definitionem, Prima est *quòd differentia sit id, quo species excedit genus.* Secunda est, *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid,* Tertia. *Differentia est ea, quæ dividit ea, quæ sub eodem genere collocantur.* Quarta *Differentia est, quâ differunt à se singula.* Quinta, quam Porphyrius ipse cæteris præfert est, *quæ sic rem distinguit ab aliis, ut sit etiam pars constitutiva ejus.* Quæ definitiones omnes si exactè & in se considerantur exceptâ secundâ explicant differentiam primò intentionaliter sumptam, de qua tamen pro nunc nullam habere volo quæstionem, nec examinare, an bonæ sint, vel malæ, cùm non videatur dubium, quòd secundùm diversum & multiplicem respectum diversimodè & multiplicitèr differentia possit definiri; Quod hic controvertitur tantùm, est, an definitio differentiæ secunda, quæ est intentionaliter sumpta sit bona & adæquata.

Prima Sententia dicit eam definitionem esse bonam differentiæ, prout abstrahit tàm ab infima, quàm à subalterna: ita Albertus M. tract. 5. cap. 6. & plures hic Scotistæ, pro qua citatur Toletus, quos sequitur Joannes à S. Thoma; præcipuum eorum fundamentum est authoritas Porphyrii, quæ in hoc passu non videtur tàm facilè contemnenda.

Secunda Sententia pariter est affirmativa & dicit, dum dicitur de pluribus specie differentibus, sensum esse, differentiam prædicari de pluribus differentibus specie ab aliis, non verò inter se, & sic rationale prædicatur de Paulo & Petro tanquam de pluribus differentibus specie à Buccephalo, ita aliqui antiqui.

Tertia Sententia est communissima, quam docet Scotus q. 27. univers. D. Thomas. de Demonst. cap. 14. Complutenses, Aversa, Arraga Disp. 8. Log. Pontius q. 11. de Differentiâ, Mastrius, Mauritius, Baro & plures alii, qui docent illam definitionem esse bonam respectu differentiæ subalternæ tantùm: Sed cum Sententia prima

Dico 1. *Probabile est prædictam definitionem posse sic explicari, ut competat differentiæ tàm subalternæ, quàm infimæ.*

Probatur Conclusio satis pauper & inops. Quia sicut habet probabiles translationes & versiones, Porphyrius dixit differentiam, quæ prædicatur de pluribus *Et* specie differentibus in quale quid, sed si benè perpendatur & ponderetur particula *Et* illa significat frequenter tàm etiam, quàm etiamsi, ergò hoc supposito definitio data esset bona: probatur consequentia, quia tunc sensus definitionis erit, quòd differentia sit illa, quæ prædicatur de pluribus in quale quid, etiam, vel etiamsi specie differentibus, ergò definitio data erit bona. Quò supposito sic probatur alitèr, Quidquid prædicatur de pluribus specie differentibus, prædicatur etiam de pluribus numero differentibus à fortiori, ergò sufficiebat Porphyrio addidisse in definitione illud, quod majus erat, quia illud quod minùs est supponebat tanquam necessariæ consequentiæ.

Confirmatur Per hoc quòd definiverit genus per hoc, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, non exclusit, quòd non posit etiam prædicari de pluribus numero differentibus, ergò per hoc, quòd definiverit differentiam esse illam quæ prædicatur de pluribus & specie differentibus, non exclusit quin possit etiam prædicari de pluribus nnmero differentibus

Dices. Genus prædicari de pluribus numero differentibus mediatè tantùm, non verò immediatè sicut debet prædicari differentia, ergò hæc ratio nihil probat. R. negando consequentiam; Quia genus ideò mediatè prædicatur de individuis, quia de illis prædicatur veluti de suis mediatis inferioribus, per quæ non constituitur inesse universalis, differentia verò non constituitur in esse universalis, differentia verò non constituitur in esse universalis per ordinem ad sua inferiora, ideò potest congruè sub intelligi per ly & specie differentibus, quòd licèt possit prædicari de pluribus numero differentibus, etiam possit prædicari de pluribus specie differentibus. III.

Dices. Adhuc cum Pontio Porphyrium voluisse definire differentiam subalternam, adeoq; contra mentem ipsius applicatur etiam differentiæ infimæ. Sed Contra Porphyrio ex scopo præposito incumbebat non modò definire differentiam subalternam, sed etiam infimam, ergò quandoq; unicam tantùm tradidit definitionem, signum est quod unam tàm benè voluerit definire, ac alteram: alioquin dici posset quod suo muneri non satisfeciisset, quare potiùs dicendum est ipsum voluisse definire differentiam tertium prædicabile, quemadmodum fecit in omnibus aliis universalibus definiendis, quod satis ex eo colligitur, quod statim subjecerit exemplum differentiæ à se definitæ, in subalterna & infima, verbi gratiâ in ly mortale & rationale, respectu hominis; quia ly mortale est differentia subalterna communis homini & bruto, ly rationale verò differentia infima, in quantum scilicet est constitutiva speciei infimæ, non verò in quantum est communis Deo, angelis & homini. IV.

Arguitur Cum Pontio directè contra Conclusionem. Qui definiret animal sic, animal est vivens, sensitivum, etiamsi illud vivens sensitivum sit rationale, malè definiret quia ultima particula est planè superflua, vel certè non deberet potiùs addi, etiamsi sensitivum sit irrationale: ergò à pari, malè definitur differentia dicendo quod sit id, quod prædicatur de pluribus, etiamsi illa plura sint species differentia, vel deberet semper etiam addi, etiamsi illa plura differant numero. R. concedendo ant. & negando consequentiam ejusq; suppositum; supponit enim Pontius definitionem Porphyrii esse V. *Argumentum in contrarium.*

esse unam simplicem, & debere per consequens convenire secundùm omnes suas partes differentiæ tàm infimæ, quàm subalternæ, sed malè supponit, quia non est una simplex, sed composita secundùm unam partem conveniens differentiæ subalternæ, secundùm alteram infimæ, quod demonstratur ex ly *Et* quia si esset solius differentiæ subalternæ, superflueret ly *Et*.

Instatur. Ex illa particula nihili deduci potest, quia si posita est, est posita tantùm ornatus gratiâ, quia Porphyrius non affectavit ut simul definiretur differentia infima. Sed R. negando ant. cum Ratione priori (ad posteriorem dixi jam supra) Quia tò *Et* non est positum ornatûs gratiâ, sed pro copula duarum definitionum, unde cum prædicabilitas de pluribus solo numero inter omnes prædicabilitates sit minus universalis, ly *Et* denotat differentiam de qua hic, non extendere se tantum ad prædicari de pluribus solo numero, sed etiam specie differentibus, hinc est quòd particula illa faciat definitionem copulativam, & hunc sensum; Differentia est quæ prædicatur de pluribus solo numero differentibus, scilicet infima: & differentia prædicatur de pluribus etiam specie differentibus, id est subalterna: sicut si quis definiret animal in suis speciebus, & diceret animal est vivens sensitivum rationale, ut homo; & animal est vivens sensitivum irrationale, ut brutum; & sic illas definitiones binas Porphyrius brevitatis causâ expresit per modum unius, sicut etiam sæpè fecit ipse Aristoteles, ut patet in definitione animæ & alibi frequentèr.

Urgetur. Ex authoritate Scoti dicentis supra hic tantùm definiri differentiam subalternam, ergò inanitèr expresè contra mentem Doctoris & Porphyrii detorquetur illa definitio ad differentiam infimam. Verùmtamen R. Scotum loqui in communi sententia, & ex modo quo recitatur textus Porphyrii, videlicet sine ly *Et*, quæ particula tùm apud Doctorem, tùm apud alios omissa est. Unde

VI. *Descriptio illa convenit tantùm differentiæ subalternæ.*

Dico 2. *Differentiæ definitio à Porphyrio tradita prout vulgò circumfertur his terminis quòd sit illa quæ prædicatur de pluribus specie differentibus in quale quid, bona est: sed solius differentiæ subalternæ*: hæc est communissima cum tertia sententia, & quoad primam partem patet, quia constat genere & differentia conformitèr addicta de aliis universalibus; & Probatur secunda pars: Quia non competit differentiæ ut sic, ergò soli differentiæ subalternæ, probatur ant. quia alioquin convenit etiam aliis inferioribus, sed non convenit, ergò: probatur mi. quia non convenit differentiæ infimæ, ergò: probatur ant. quia tantùm differentia infima prædicatur de pluribus numero differentibus, ergo. Porphyrium secutus videtur esse D. Augustinus qui differentiam definiens hanc tradidit cap. 7. cat. dicens: *Differentia verò est quæ secundùm multa & differentia non quid sit, sed quale sit specie prædicatur, ut est animal gressivum, volatile, aquatile, bipes, quadrupes &c.* quæ definitio exactissimè explicat differentiam subalternam, & hanc etiam solùm intendisse Sanctum Doctorem definire, patet, tùm ex exemplis appositis, tùm quia alibi sæpè cognoscit & admittit differentias ultimas; nam Sermone 27. de verbis Apost. cap. 2. cum definivisset hominem quod sit *Animal rationis capax*; addit, *verùm melius & citius dicam, animal rationale*, adeoq; constat eum etiam admisisse differentias ultimas, unde si quis Sancti Patris definitionem amplecti vellet loco illius particulæ *Specie* ponat particulam *essentialitèr*, & sic conveniet omnibus differentiis.

Dico 3. *Differentia ut sic prout præscindit à differentia subalterna & infima, benè definitur. Quòd sit illa quæ prædicatur de pluribus in quale quid.* Hæc est communis in Scholis & Probatur quia constat genere & differentia, nam prædicari de pluribus rationem generis habent, reliquæ verò particulæ rationem differentiæ, subintellige quasi primò intentionalitèr sumptæ & in actu exercito, ergò: ant. quoad priorem partem patet, declaratur quoad posteriorem, quia per particulam in quale differt à duobus prioribus prædicabilibus, quæ nullo modo prædicantur in quale, sed simplicitèr & purè in quid: per particulam in quid, verò differt à duobus posterioribus, quæ nullo modo prædicantur in quid, sed tantummodò in quale. VII. *describitur Universaliter.*

Dices 1. Si per prædicari de pluribus in quale quid benè definitur differentia in communi prout præscindit ab infima & subalterna, id est abstrahendo à prædicari de pluribus specie & numero differentibus, sequetur etiam quòd genus & species unica definitione poterunt definiri, sed hoc implicat, ergò: probatur sequela, quia genus prædicatur etiam de pluribus specie differentibus veluti differentia subalterna, & species de pluribus numero differentibus, veluti species, ergò. R. negando sequelam majoris, quia ut dicit Scotus q. 27. univ. Quia genus & species non solùm differunt per hoc quod est prædicari de pluribus specie differentibus & pluribus numero differentibus, sed etiam per hoc, quia genus prædicatur tantùm ut pars & incompletè, species verò completè & ut totum, non sic autem se habent differentia ultima & subalterna, quia utraq; dicit partem formalem, unde dicit Doctor ibidem *differentiæ autem in communi est sufficiens definitio prædicari de pluribus in quale*, subintellige quòd antea jam dixerat *essentiale*. VIII.

Dices 2. Nihil potest prædicari in quale quid, ergò saltem quoad hoc definitio non erit bona: probatur ant. Quia prædicari in quid est prædicari essentialitèr, prædicari verò in quale; est prædicari non essentialitèr: sed idem nõ potest prædicari essentialitèr & non essentialitèr, ergò. R. dist. ant. in quid secundùm rem &, in quale, secundùm modum nego ant. in quid secundùm rem, & in quale secundùm rem concedo ant. & dist. similitèr majori, & minori probationis negatur utraq; consequentia; Itaq; differentia prædicatur in quid secundùm rem quatenus est pars essentialis speciei, in quale verò, seu quoad modum prædicatur, quia se habet per modum advenientis, seu adjacentis alteri. IX.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

In Ordine ad quid constituitur differentia in esse universalis?

I. Ex multiplicibus definitionibus supra datis patet differentiam etiam secundò intentionaliter sumptam multiplicem dicere respectum ad alia, nam dicit ordinem ad genus quod determinat ac dividit, verbi gratiâ rationale dicit ordinem ad animal quod contrahit; item dicit ordinem ad speciem, verbi gratiâ idem rationale ad hominem, quem cum animalitate constituit; deniq; dicit etiam ordinem ad inferiora speciei, verbi gratiâ ad Petrum & Paulum, unde tres ordinariè differentia dicit respectus, ad genus nempe ad speciem & ad speciei inferiora, unde quæritur in præsenti quæstione, per quem nam respectum ex his tribus differentia constituitur in esse universalis, seu tertii prædicabilis? Circa quam materiam triplex est Sententia;

Prima est Cajetani, Toleti, Scoti, &c. qui dicunt quòd differentia in esse universalis, seu tertii prædicabilis constituatur per ordinem ad speciem.

Secunda Sententia asserit quòd constituatur in esse universalis per ordinem ad propria inferiora, non verò in ordine ad inferiora speciei, hoc est, quòd differentia, verbi gratiâ rationale constituatur in esse universalis prout dicit ordinem ad hoc & illud rationale, non verò prout dicit ordinem ad inferiora speciei verbi gratiâ Petrum & Paulum: hanc sententiam ex Suaretz referunt absq; authoribus Complutenses.

Tertia est communis: dicens, differentiam constitui in esse tertii universalis per ordinem ad inferiora speciei: quam etiam inferiùs amplectitur. Interim

II. Differentia constituitur in esse universalis per ordinem ad quam.

Dico 1. *Differentia in esse tertii universalis non constituitur per ordinem ad speciem.* Est Contra primam Sent. & Probatur: Universale respectu quorum, seu in ordine ad quæ constituitur in esse universalis, debet respectu eorum esse superius, sed differentia respectu speciei non est superior, ergò respectu illius non erit & non constituetur in esse universalis, major patet ex ratione universalis ut sic: quia universale est illud, quod dicit ordinem ad plura quæ sub eo continentur, probatur minor, quia differentia æq; latè patet sicut species & econtra, ergò, probatur ant. Quia omnis homo est rationalis & omne rationale (loquor de rationali quod est constitutivum speciei specialissimæ, scilicet humanæ) est homo, ergò æq; latè patent, consequentia probatur, quia quæ se per modum superioris & inferioris habent, non convertuntur in subsistendi consequentia, prout hic contingit.

III. Dices. Speciem habere virtualem pluralitatem, quatenus continet sub se inferiora, ideoq; prædicationem de specie æquivalere pluribus prædicationibus de individuis, si species est ultima. Contra. Quia universale ut sic ut sit & fiat universale, debet habere formaliter plura, vel actu, vel potentiâ, juxta supra dicta, Alioquin si sufficeret ad universale ut virtualiter tantùm habeat plura, dici potest, quod differentia respectu ejus sit etiam tantùm virtualiter universalis, non autem formaliter & actualiter: quia qualis est multitudo, talis est universalitas ipsam multitudinem respiciens, ergò si multitudo sit tantùm virtualis, universale quoq; erit tantùm virtuale, quod tamen admittendum non est, cùm differentia sit unum ex quinq; formalibus universalibus, & prædicabilibus in communiori sententia, ita ut etiam dubitetur an non duplex universale fundare possit veluti genus, & species duo constituunt prædicabilia.

IV. *Nec per ordinem ad sua inferiora.*

Dico 2. *Differentia non constituitur in esse tertii universalis in ordine ad sua inferiora.* Hæc est contra secundam sententiam. Probatur. Differentia in quantum est unum ex quinq; universalibus debet prædicari de suis inferioribus in quale quid incompletè, sed differentia respectu hujus & illius differentiæ sub se contentæ non prædicatur in quale quid incompletè, ergò respectu hujus & illius non poterit esse unum ex quinq; universalibus distinctum ab aliis quatuor; major est omnium, minor, de qua sola est difficultas probatur: Rationale verbi gratiâ respectû hujus & illius rationalis non prædicatur in quale, quia non potest quis respondere interroganti quale est rationale per quale, sed benè per quid, nam si quærat à me aliquis, quale est rationale? non possum dicere, est rationale, sed si à me quærat, quid est rationale? possum dicere, est rationale, per quod ulteriùs patet, quòd nec incompletè etiam prædicetur, quia hæc est completissima prædicatio rationale est rationale, & est etiam in quid, siquidem prædicatum dicit totam essentiam subjecti? Unde prædicatio quâ prædicatur differentia de suis inferioribus propriis, est prædicatio universalis secundi, seu speciei: quia modum secundi universalis quoad prædicationem servat: ut patet.

V. *Sed per ordinem ad inferiora species.*

Dico 3. *Differentia constituitur in ratione universalis tertii per ordinem ad inferiora speciei, quam constituit.* Hæc est communissima, & Probatur: Differentia constituitur in esse universalis per ordinem ad plura de quibus prædicari potest in quale quid, sed ad nulla alia plura dicit ordinem de quibus prædicari possit in quale quid, nisi per ordinem ad inferiora speciei, ergò per ordinem hunc constituetur in esse universalis, major patet, minor probatur: quia non dicit talem ordinem ad genus, nec ad speciem, nec etiam ad propria sua inferiora, ut patet ex dictis: ergò restat quòd constituatur in esse universalis ad inferiora speciei, siquidem ad illa dicit respectum & prædicatur de illis in quale quid, nam si à me quæratur qualis sit Petrus? benè respondeo, quòd sit universalis. Sed in Contra

VI. Arguitur? Differentia prædicatur de specie, sed non ut singulare, ergò ut universale, ergò per ordinem ad speciem constituetur in esse universalis, probatur ma. quia vera est prædicatio, homo est rationalis. R. concessâ ma. & min. distinguendo consequens, ergò ut universale formaliter sumptum nego consequentiam,

tiam, materialitèr sumptum, concedo consequentiam. Itaq; sicut species si comparetur, ad genus prædicatur ut universale, non formalitèr: quia tale constituitur per respectum ad plura, sed fundamentalitèr & materialitèr; sic prædicatio ista homo est rationalis est quidem bona prædicatio, sed prædicatio topici de subjecto communi, cum quo reciprocatur, & tales prædicationes à quibusdam vocantur tertii, vel quarti prædicati.

Instatur. Ut aliquid prædicetur ut universale formalitèr, debet prædicari de pluribus immediatè, sed differentia de specie tantùm & non de inferioribus speciei prædicatur immediatè, ergò per ordinem ad speciem & non per ordinem ad inferiora speciei, differentia fundabit universale tertium, probatur minor; Quia ideò Petrus dicitur rationalis, quia homo inclusus est rationalis, ergò. R. negando ma. Quia non est necessarium quòd universale prædicetur immediatè de suis inferioribus, quia etiam genus respectu inferiorum, retinet universalitatem, & tamen de individuis non prædicatur immediatè; Unde advertendũ non quamcumq; prædicationem constituere rationem universalitatis tantùm, sed illam tantùm, quæ est de suis inferioribus; unde quamvis Petrus & Paulus sint rationales, quia sunt homines, tamen rationale non est universale, quia respicit speciem videlicet hominem, quia rationale respectu hominis non est superius, seu magis latè patens, sed quia respicit Petrum & Paulum.

QUÆSTIO III.

Quotuplex sit Differentia, & an illa quæ communitèr assignatur sit adæquata?

I. *Differentia triplex est.*

Hic examinabo divisionem realem, & non intentionalem differentiæ, quia sine omni opere intellectûs reperiuntur plures formalitates, per quas res differre dicuntur; Itaq; differentia realis communitèr circumfertur trimembris, scilicet *communis, propria, & propriissima*; nam cum differentia secundùm Porphyrium sit illa formalitas, quæ facit unum ab alio differre, & id contingat triplicitèr: nempe essentialitèr, accidentalitèr inseparabilitèr, & accidentalitèr separabilitèr: totuplex erit etiam differentia: hinc *communis est accidens separabilitèr faciens differre*, quæ differentia quintum prædicabile constituit, de qua etiam agam disputatione ultima agendo de Accidente. *Differentia propria est accidens inseparabile, quâ una res differt ab alia non quidem per modum essentiæ, nec per modum accidentis, sed per modum proprietatis*, & hanc differentiam explicabo disputatione sequenti. Differentia deniq; propriissima est, quæ facit rem essentialitèr differre ab alia: talis est rationalitas, quæ duplex est, infima scilicet & subalterna, de quibus in hac disputatione egi; Hinc in hac quæstione quæretur in primis, an differentiæ divisio trimembris supra enumerata sit adæquata, & univoca? quantùm ad primum R. &

II. *Illa divisio est bona.*

Dico 1. *Divisio differentiæ in communem, propriam, & propriissimam est adæquata.* Ita Pontius, Mastrius & communior, Prob. Illa est bona divisio cujus membra dividentia nec excedunt divisum, nec ècontra divisum excedit membra dividentia, sed hæc est talis, ergò: quia membra dividentia continentur sub diviso, & divisum non continet aliud quàm membra dividentia, ergò: probatur ant. quòd divisum non contineat aliud quàm illa membra dividentia; Quia nulla res potest ab alia differre nisi mediante aliquâ re inseparabili, vel mediante aliquâ re inseparabili, si mediante re separabili, tunc ipsius differentia est communis, si mediante re inseparabili, tunc, vel mediante aliqua re quæ est de essentia ipsius, & sic est differentia propriissima, vel mediante aliqua re quæ non est de essentia ipsius, & sic differentia ejus erit propria, ergò nihil aliud continetur sub diviso, adeoq; divisio erit adæquata, quia non potest dari aliqua differentia alicujus, quæ non sit, vel communis, aut propria, vel propriissima &c. Sed Incontra.

III. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur; Differentia individualis, seu hæcceitas ad nullam differentiam ex tribus assignatis reducitur, ergò divisio non est adæquata, ant. probatur, quia non reducitur ad communem, quia non est separabilis ab individuo, nec reducitur ad propriam, cùm non conveniat accidentalitèr ipsi, nec ad propriissimam, cùm non faciat differre essentialitèr, ergò divisio non est adæquata. R. 1. differentiam individualem posse reduci ad differentiam propriam, & facere differre accidentalitèr, non accidentalitate prædicamentali, quia est gradus substantialis penetrans per realem identitatem totam substantiam ac essentiam rei, cujus est ultima determinatio, sed accidentalitate prædicabili quatenus differre facit individua, non specificè sed individualitèr & citra essentiam. R. 2. Cum communi non esse intentionem Porphyrii sub hac divisione comprehendere differentiam individualem, quia ille solùm agere intendebat de differentiis quæ possunt universalitatem fundare, & de pluribus prædicari, differentia autem individualis cùm hoc præstare non possit, ab assignata divisione excluditur.

Instatur; Propria passio, verbi gratiâ risibilitas est differentia, facit enim unum ab alio differre, sed hæc non continetur sub hac divisione, ergò non est benè assignata adhuc. R. negando mi. quia est differentia propria, & ad illam etiam risibilitas propriè spectat.

Urgetur. Porphyrius dicit differentiam propriam suscipere magis & minùs, sed propria passio non suscipit magis & minùs, ergò non erit differentia propria, R. Porphyrium non voluisse omnem differentiam propriam suscipere magis & minùs, sed tantùm aliquas suscipere posse, & hoc patet inde, quia nec omnia accidentia sic suscipiunt, ut locus, figura, &c. & cùm dixit esse inseparabilem per accidens, intelligit illam esse inseparabilem extra essentiam, quod propriè proprietatibus convenit. Quod si quæras autem, ad quam differentiam reduci debeat genus, quod tàm benè facit hominem, verbi gratiâ differre à lapide, sicut aliæ differentiæ faciunt differre ab aliis rebus, R. genus ad nullam differentiam reduci, quia illud non est differentia propriè dicta, de qua hic est sermo, sed valdè impropriè extendendo tàm nomen, quàm rationem differentiæ, unde quando facit differre hominem à lapide, non

non facit per quale quod est differentiæ proprium, sed in quid: quia animal non prædicatur in quale, sed in quid.

Dico 2. *Divisio hæc non est alicujus univoci in univocata: sed analogi, in analogata.* Ita Doctor ipse q. 23. universal. & probatur cum eodem ex 1. d. 29. q. unica. Quia ei *quod est simpliciter tale, & ei quod est secundùm quid tale, nihil potest esse commune univocum*, sed differentia essentialis facit simpliciter differre, sicut constituit rem in esse simpliciter, accidentalis verò facit tantùm differre secundùm quid, sicut hoc modo tantùm rem in esse constituit, ergò in communi ratione differentiæ convenire nequeunt univocè, sed tantùm analogicè. Confirmatur, Quia differentia essentialis verè contrahit genus, & cum eo unum per se constituit, accidentalis verò minimè, quod enim per eam perficitur & determinatur, habet se per modum subjecti, non verò generis, ergò. Confirmatur secundò Quia nec omnes differentiæ propriissimæ conveniunt in aliquo conceptu communi univoco ipsis, quod tamen requiritur, ergò, probatur ant. quia sunt primò diversæ, ergò

Dices. Differentiæ conveniunt in conceptu univoco, quòd omnes faciant differre, ergò ab ipsis potest aliquis conceptus communis abstrahi: R. dist. ant. in aliquo conceptu abstracto determinato importante realitatem aliquam nego ant. in conceptu aliquo confusè & minus clarè cognito, sine importatione alicujus realitatis, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; quemadmodum dixi supra de differentiis individualibus, ita hic quoq; est dicendum.

QUÆSTIO IV.

De Differentia propriissima primò intentionaliter sumpta.

Quoniam Porphyrius in suis supra relatis quatuor definitionibus differentiæ primò intentionaliter sumpsit, particularia ejus munera tetigit & explicuit, quæ nonnullas involvunt difficultates: ideò absre non erit, de iisdem muneribus aliquid agere, quoniam nullus pro eis congruentior locus assignari potest. Primum itaq; munus differentiæ *est dividere genus*, quod munus Porphyrius insinuavit per definitionem tertiam, *dum dixit eam esse quæ dividit ea, quæ sub eodem genere collocantur*: hinc controvertitur & quæritur, quomodo differentia dividat genus? Secundum munus differentiæ est *ut cum genere constituat speciem*, quod Porphyrius per primam definitionem declaravit, dum dixit *differentiam esse, quo species excedit genus, vel abundat genere*, ut alii legunt, quia ut notat Doctor q. 27. universalium, sensus est ejus, differentia est quæ cum genere constituit speciem ita quod ibi ponatur species, ut correlativum differentiæ in quantum species est constituta & differentia constitutiva. Imò per quintam definitionem veluti prioris declarativam magis lucidè explicavit. Tertium tandem munus est, *ut differentia essentialiter distinguat speciem, quam constituit, ab aliis*, quod munus Porphyrius per quartam definitionem proponit, dum inquit *esse illam, quá differunt essentialiter inter se singula*, unde hic quæritur, an differentia includat in se genus quod dividit, & differentiam superiorem cui subordinatur, verbi gratiâ num rationale in suo conceptu includat animal, vel sensibile, si namq; includit, non poterit dici ratio differendi magis quàm conveniendi, quòd si verò non incluserit tunc erit vera ratio differendi & per quartam definitionem benè explicatur hoc differentiæ munus, quæ omnia sigillatim examinabo, & particularibus decidam conclusionibus, hoc prænotato quòd nullibi mentio aut intentio sit aliquid dicendi de differentia, prout secundæ subjacet intentioni, sed de primò intentionaliter capta quare.

II. *Quomodo differentia dividat genus.*

Dico 1. *Genus consideratum in statu realis existentiæ dividitur à differentia divisione reali, non quidem illud in partes scindendo, sed determinando illud, in statu verò existentiæ objectivæ non nisi per intellectum*, Hæc est Scotistarum communiter; Pro cujus intelligentia notandũ ex supra dictis disp. 1. Genus considerari posse duplicitèr, primò in statu realis existentiæ eo modo, quo nunc & de facto in speciebus dispersum est; secundò in statu existentiæ objectivæ eo modo, quo à nobis concipitur ut totum quoddam positivè indifferens ad sua inferiora, quæ sub se continet, verbi gratiâ quo concipitur indifferens ad rationalitatem & irrationalitatem. Quo præmisso,

Probatur prima pars Conclusionis.

Quia contractio generis per differentias in illo statu non est aliud, quàm divisio & multiplicatio ipsius naturæ genericæ præcedens abstractionem omnem intellectûs, sed hæc contractio est realis & à parte rei, ergò & divisio est realis, intellige benè ly realis, quia non est eo modo quo unum continuum, verbi gratiâ unum lignum dividitur in plures partes integrantes, quia animalitas verbi gratiâ non habet rationem totius in ordine ad species à parte rei, sed potiùs partis materialis & contrahibilis, nec etiam dicitur dividi quasi una esset entitas realis ante adventum differentiæ, & postea scindatur: & per ipsam amittat unitatem suam realem, quia non datur talis una natura in existens omnibus per indifferentiam; sed dicitur ideò dividi, quia una eademq; manens ita contrahitur per unam differentiam, ut distinctim ex principiis intrinsecis ei non repugnat contrahi per aliam, verbi gratiâ animalitas ex præcisa sua ratione tàm benè per rationalitatem contrahitur, quàm per brutalitatem.

Probatur etiam secunda pars.

Quia supponit naturam per intellectum abstractam, & consequentèr supponit illam positivè unam per indifferentiam positivam, quatenus potens est proximè esse in inferioribus, sicq; per intellectum abstracta per eundem dividitur quatenus concipitur ut contrahibilis per differentias. Sed

III. Dices Contra primam partem: Tota essentia naturæ, verbi gratiâ tota animalitas reperitur in homine, & etiam in equo, ergò non est divisa per differentias. R. quidquid sit de antecedente distinguendo consequens, non est divisa eo modo quo dividitur totum actuale, concedo

concedo consequentiam, non est divisa Metaphysicè eo modo quo dividitur totum potentiale in suas partes subjectivas, nego consequentiam. Itaq; hoc nihil aliud est dicere, quàm quòd dentur plures naturæ animalis multiplicatæ in speciebus, quæ omnes dicuntur una unitate indifferentiali, & hoc est quod communiter dicitur universale esse totum in quolibet inferiori totalitate essentiali, sed non totaliter, quia ab uno inferiori non desumitur totalitas ejus formalis: quia ut sit totum universale requiruntur inferiora multiplicata ad minus aptitudine. De secundo Differentiæ munere

IV. *Differentia cum genere vere componit speciem.*

Dico 2. *Differentia cum genere verè componit speciem Metaphysicè, non quidem ex re & re Physica, sed ex realitate & realitate, ita quod non sit compositio meræ rationis ex diversis conceptibus.* Ita Scotus 2. d. 3. q. 16. & 1. d. 8. q. 3. Borgius, Lichetus, Zerbius, Fonseca, Molina & quotquot inter gradus Metaphysicos admittunt distinctionem formalem, Contra Nominales: qui sicut nullum admittunt universale, seu naturam communem, ita etiam omnem omninò compositionem negant, & Thomistas qui sicut non admittunt distinctionem formalem, & gradus Metaphysicos tantùm distinguunt distinctione rationis ratiocinatæ, ita etiam hic dicunt non esse aliam compositionem quàm rationis.

V. Probatur Conclusio primò.

Ex omnibus illis principiis & rationibus, quibus probavi inter gradus Metaphysicos dari distinctionem formalem, ex quo sequitur: quòd si inter illos est aliqua distinctio, ergò etiam aliqua compositio, quia compositio dicitur esse distinctorum unio, ergò quâ ratione illa distinguentur, eâ etiam ratione componentur.

VI. Probatur Conclusio secundò.

Illa est vera compositio, quæ datur in aliis à Deo, ipsiq; & ejus summæ simplicitati repugnat, sed compositio Metaphysica est talis, ergò illa erit vera & aliquomodo realis, & non præcisè rationis: quia hæc non tollit simplicitatem à parte rei, Confirmatur hæc ratio? Quia ad salvandam compositionem Metaphysicam in natura creata, non sufficit ipsam esse resolubilem in conceptum proprium & communem cum fundamento in re ab intellectu inadæquatè concipiente; Quia tunc Deus etiam esset Metaphysicè compositus, cùm etiam ipse resolvi possit ab intellectu sic concipiente in conceptum communem & proprium, quia etiam Deus convenit cum creaturis in gradibus transcendentalibus entis, substantiæ, spiritus, viventis, quæ similitudo poterit esse fundamentum abstractionis talis.

Probatur Conclusio tertiò.

Ad compositionem realem, prout contra distinguitur à compositione rationis, duo requiruntur: nempe ut componentia, vel realiter distinguantur ut contingit in Physicis, vel saltem quòd illa non sint perfectè eadem inter se, quod tunc contingit, quando illa non ex suis rationibus identificantur, sed tantùm in quantùm uniuntur tertio, cui realiter sunt idem: deinde requiritur quòd una pars ex componentibus debeat habere rationem potentiæ, & altera rationem actûs, sed istas duas conditiones & requisita habent conceptus generis & differentiæ, ergò inter ipsa vera intercedit compositio: major patet: probatur mi. Quia licèt isti duo gradus non distinguantur realiter, quod requirit compositio Physica, tamen identitas eorum non est ex rationibus formalibus, sed tantùm ratione illius tertii in quo uniuntur & identificantur ita ut tantùm sint eadem inter se quatenùs sunt realiter identificata tertio illi, à quo si abstrahantur non manet sufficiens ratio identitatis, unde non valet dicere animalitas est rationalitas, sed benè in homine animal est rationale: Deinde habent etiam conditionem secundam, quia secundùm Aristot. 7. Met. 42. & 43. ideò ex genere & differentia resultat species, per se una, quia gradus genericus habet rationem potentialis & contrahibilis: gradus autem differentialis rationem contrahentis & determinantis. Hæc pro duobus differentiæ muneribus explicandis dicta sufficiant ut ad tertium accedam & expediam, quamvis fusiùs deberem: breviùs facio, &

VII. *Genus non includit differentiam inferiorem.*

Dico 3. *Genus non includit in conceptu suo formali differentiam inferiorem, nec etiam differentia superior differentiam inferiorem.* Hæc conclusio sicut & sequens deducuntur quoq; ex principiis de distinctione formali. Probatur tamen brevitèr; Quia potest quis habere perfectissimum conceptum generis & differentiæ superioris, verbi gratiâ animalis & sensitivitatis nullo modo concipiendo rationalitatem, vel hominem, ergò nec genus, nec differentia superior includunt formalitèr in suo conceptu inferiora: Consequentia patet: probatur ant. perfectissimus conceptus animalis est, quòd sit substantia vivens, potens sentire, nec aliud requiritur ut concipiatur animal, sed talis conceptus habetur absq; eo, quòd concipiatur rationalitas: ergò &c.

VIII. *Nec inferior superiorem, vel genus.*

Dico 4. *Differentia inferior non includit in conceptu suo formali genus, aut differentiam superiorem.* Hæc non modò est Doctoris, verùm etiam ex Aristotele clarè deducitur 4. Top. cap. 2. & lib. 6. cap. 3. & 3. Met. 10. & lib. 11. cap. 1. in quibus locis disertissimè docet genus non esse de essentia differentiarum, ergò sequitur inde; ergò differentia non includit in se genus, si enim sensibile esset de ratione rationalitatis, etiam animal erit de essentia ejus. Probatur Conclusio, vel rationalitas, vel includit solùm animal formalitèr, vel includit aliquid aliud præterea, si solum animal, ergò homo nõ distinguitur à bruto per rationalitatem, & brutum tàm benè habebit rationalitatem, quàm homo; si aliquid ulterius: quæro, utrùm illud quod ulterius dicit, includat animal formalitèr, si sic, rursus quærendum est an aliquid includat ultra animal, & sic dabitur processus in infinitum; si non, tunc dabitur status in aliquo quod non includit animal, & hoc vocatur differentia contractiva animalis & quod dicitur non includere animal formalitèr, quod est intentum. Deinde sequitur quòd rationalitas esset animal formalitèr, quia sic non esset differentia animalis, quia animal non est differentia sui ipsius, ergò non includit illa formalitèr.

Deniq;

Demùm; Quia per rationalitatem formalitèr consideratam intelligitur id, per quod præcisè & formalitèr distinguitur à bruto, & reperitur in homine, sed per nihil quod includit animal ut ipsum includit, distinguitur homo præcisè à bruto, quia animal reperitur in bruto, ergò rationalitas non includit formalitèr animal, aut differentiam superiorem. Sed contra Conclusionem

Opponitur. 1. Authoritas Aristotelis pluribus in locis 7. Met. cap. 43. ubi ad differentiam tria requirit: Primum quòd in definitione parùm referat utrum omnes differentiæ superiores ponantur, vel solùm ultima: quia ultima includit omnes. Secundum differentiam esse totam rei substantiam adeoq; si hæc ponitur aliæ superaddi nequeunt, quia aliàs committeretur negatio. Tertium quod ad inveniendam aliquam differentiam ultimam alicujus speciei, debemus dividere superiorem per duas differentias oppositas. R. cum Doctore Aristotelem ibi tantùm assignare duplicem definiendi modum: per supremum scilicet genus, & omnes differentias, vel per proximam & ultimam differentiam, hic dicit quòd in definitione per genus proximum parùm referat, licèt non ponantur omnes aliæ differentiæ superiores: quia omnes includit genus proximum, non verò quòd differentia ultima eas includit, nisi solùm materialitèr & identicè. Cùm verò dicit differentiam esse totam speciei substantiam, intelligendus est Aristoteles, quod sit completivè substantia, quia complet & determinat eam in ultimo esse specifico, non verò quòd sit totalitèr essentia. Tertium quoq; intelligendum est non quòd verè differentia superior dividatur per differentias inferiores oppositas propriè & formalitèr, sed materialitèr tantùm & identicè, ratione generis quod constituit.

Arguitur 2. Rationalitas est substantia, ergò includit differentias superiores; probatur ant. quia non est accidens, ergò est substantia cùm non detur medium. R. dist. ant. Est substantia identicè concedo, ant. formalitèr, nego ant. & similitèr distinguo consequens, ergò includit identicè rationes superiores, concedo consequentiam: formalitèr nego consequentiam.

Instatur Hæc prædicatio est formalis & essentialis, ac per se; rationale est sensitivum, est animal, ergò & illa, ergò non identicè tantùm includit rationes superiores, sed etiam formalitèr, sed R. eòdem modò quò supra: scilicet illam prædicationem veram esse in sensu identico, non verò in formali, id est, secundùm præcisam & formalem inclusionem unius in altero.

Urgetur. Sequeretur quòd illæ prædicationes essent prædicationes per accidens, sed hoc est falsum, ergò: probatur sequela, quia inter prædicationem per se & per accidens nulla alia mediat, sed dictæ prædicationes non sunt per se, ergò sunt & erunt prædicationes per accidens. R. dist. sequelam ma. sequeretur quòd illæ prædicationes quibus animal & sensitivum prædicatur de rationali formalitèr sumpto, per accidens accidentalitate prædicabilitatis, concedo sequelam, accidentalitate prædicamenti, nego sequelam. Itaq; ly accidens potest duplicitèr sumi, vel pro accidente prædicamentali, vel pro accidente prædicabili, si primò modò sumatur tunc per accidens genus prædicatur de differentia, quia est extra rationem illius, non verò si sumatur secundò modò, quia tunc spectant ad idem prædicamentum. Adhuc Arriaga.

Arguit. Etiam contra Conclusionem nostram, & pugnat esse argumentum insolubile. Non potest concipi rugibile formalitèr, quin concipiatur sensibile & vivens, ergò differentiæ superiores includuntur formalitèr in inferioribus: ant. probatur. Quia rugitus Leonis est quædam formalis sensatio & actus vitalis, ergò non potest intelligi, quin intelligatur vita & sensibilitas. R. negando ant. ad cujus probationem dist. ant. Rugitus Leonis ut est quidam effectus formalis procedens à ratione formali rugibilitatis, est formalitèr sensatio, nego ant. ut est effectus totius speciei adæquatus concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; ex eo quòd rugitus non possit adæquatè intelligi sine sensatione, non plus infertur, quàm quòd sicut rugibile in concreto non potest intelligi sine sensibili, & rationale in concreto sine animali, sic rugitus in concreto importat etiam sensationem, cùm rugitus non superaddat novam actionem supra sensationem, benè autem addat novam formalitatem à qua tanquam à principio formali procedat, hinc patet etiam ratio negatæ consequentiæ, quia relatio etiam non potest intelligi sine termino, & tamen terminus non includitur in ratione formali relationis. XI. *Arguit Arriaga.*

DISPUTATIO V.

DE PROPRIO, QUARTO PRÆDICABILI.

QUÆSTIO I.

Quid sit Proprium, quartum Prædicabile.

Ante Resolutionem Notandum primò. Proprium duplicitèr sumi posse, primo modo prout opponitur illi quod dicitur improprium & metaphoricum, unde illud est, quod alicui rei verè & absq; ulla metaphora convenit; secundo modo ut opponitur communi; & est illud, quod ita convenit alicui rei, ut alteri convenire non possit, sic dicitur quòd definitio sit propria definito, hinc videtur implicare

plicare ut illud quod est proprium sit universale, quod tamen non sic se habet: nam sub ratione primæ intentionis & in quantùm est speciei, vel generis dicitur, proprium non est universale, benè tamen si sub secunda intentione sumatur, & respectu inferiorum speciei, vel generis.

Proprium propriè acceptum Porphyrius quadruplicitèr sumpsit.

Notandum secundò. Porphyrium Proprium primò intentionalitèr sumptum quadruplicitèr accepisse, *Primò modo* proprium est illud *quod convenit soli*, id est alicui speciei, *non tamen omni ejus individuo sub illa specie contento*, ut verbi gratiâ *homini* soli competit esse Philosophum, Theologum, quod tamen non competit omnibus: nam plures sunt qui ad similes speculationes omninò sunt inhabiles. *Secundò modò* sumpsit proprium *pro eo quod accidit omnibus individuis alicujus speciei, sed non soli illi speciei*, ut *hominem esse bipedem*, quia etiam anas bipes est, unde dicitur quòd illud sit, quod omni, sed non soli convenit. *Tertiò modò* accipitur ab eo, pro eo, *quod accidit soli alicui speciei & omni individuo sub eo contento*, sed non semper, ut hominem canescere. Quartò demq; modò proprium accipitur pro eo *quod accidit omni, soli & semper ut homini esse risibilem*; nam licèt homo non semper rideat, quilibet tamen homo semper habet aptitudinem ad ridendum. His prænotatis quæritur, quod nam proprium ex datis quatuor acceptionibus possit fundare quartum prædicabile, quod primò mihi necessarium videtur decidere, antequam definitionem proprii, sive in esse proprii, sive in esse quarti prædicabilis tradam. Circa quam materiam tres inveniuntur opiniones: prima putat, quòd tres priores acceptiones verè & propriè pertineant ad hoc prædicabile, & hinc dicunt divisionem in quatuor præallegata membra esse divisionem univocam generis in species: & sic sentiunt Complutenses, Lovanienses, Cajet. &c. Secunda Sententia asserit illa accidentia, quæ soli alicui speciei conveniunt etiamsi illi non semper conveniant, esse proprium spectans ad quartum prædicabile. Ita Arriaga, Fonseca, Rubius, &c. Tertia & communissima Sententia est, propriũ quartò modò sumptum quartum fundare prædicabile, Ita sentiunt Porphyrius, Scotus D. Thomas &c. & est communis etiam aliorum, unde contra priores duas opiniones

Tres sunt opiniones.

II. *Primæ tres acceptiones non constituunt proprium.*

Dico 1. *Priores tres proprii acceptiones non constituunt quartum prædicabile proprii propriè & rigidiùs actepti.* Hæc est contra priores duas opiniones & Probatur. Quartum prædicabile debet esse proprium, id est nulli alteri conveniens & necessariò connexum, sed nullum proprium ex prioribus acceptionibus est tale, ergò nullum ex illis fundat quartum prædicabile, major est communis & Aristotelis, dicentis proprium esse, quod soli ineſt, & conversim prædicatur, minor probatur, quia non primum, quia esse Philosophum, esse Theologum, est contingens & non necessarium, imò ab homine per infirmitates & alios casus plurimos separabile, ergò: Nec secundum, quia esse bipedem non habet necessariam connexionem cum subjecto, sed potest adesse, vel abesse sine subjecti corruptione; nec tertium, quia ridere actu verbi gratiâ non habet necessariam connexionem cum homine, sicut nec canescere, quod supra pro exemplo adduxi, quia contingens est quòd homo canescat, & actu rideat, vel non canescat, aut non rideat, ergò à primo ad ultimum nullum proprium ex primis tribus acceptionibus constituit quartum prædicabile.

III. Dixi Notanter in conclusione *proprii propriè & rigorosiùs accepti*, quia si quartus modus supra relatus sumatur in largiori acceptione, poterit etiam ad eum reduci secundus, in quantùm scilicet secundus verbi gratiâ esse bipedem referatur non ad naturam humanam, sed ad illam naturam animalis, quæ communis est omnibus bipedibus, ut à quadrupedibus distinguantur: nam in ordine ad illam dicetur convenire soli & semper, sed hæc acceptio valde retortè, & per cruciatam ad quartum modum reducitur, ideò videtur mihi quòd sit potiùs totalitèr excludendus iste modus accipiendi proprium, quamvis non negem commodè primum & tertium ad quartum facilè reduci posse, si isti duo modi accipiendi & intelligendi proprium intelligantur, non de actibus, sed de aptitudine ad actus; quia aptitudo quâ homo est aptus ad essendum Philosophum, Theologum, ad ridendum, est emanãs ex natura, seu essentia hominis, dum modò hæc aptitudo emanet ab essentia & non emanet aliunde. Quia si aliunde hoc provenit ex varia humorum dispositione, alteratione, variatione naturarum, apprehensionum, tunc est accidens quintum prædicabile: nam, vel ob morbos, aut alia accidentia corrumpi & interire possunt; Hoc tamen ita determino & sentio fieri posse, & sic acceptiones priores trahi valere, quamvis contrarium teneat communis cum Porphyrio. Unde

IV. Dices Cum Arriaga; Quod competit omni & soli, est verè proprium, sed esse Philosophum, ridere, omni & soli competit homini, ergò verè erit ipsi proprium, consequenter gratis excluditur primus & tertius modus accipiendi proprium. R. distinguendo ma. Quod competit omni & soli est proprium secundùm quid, concedo ma. simpliciter & absolutè nego ma. & distincta similiter minori nego utramq; consequentiam. Itaq; proprium dupliciter accipi potest, primo modo simpliciter & absolutè; estq; illud, quod convenit omni, soli, & semper, emanatq; intrinsecè ab essentia ejus, cujus est proprium. Secundo modo secundùm quid, & est illud quod convenit omni, soli, sed non semper, nec emanat ab essentia ejus cujus est proprium, ut esse Philosophum, ridere actu. Sed Pro Arriaga

V. Instabis; Aristoteles dicit proprium verum 1. Top. 4. esse, quod omni & soli alicui speciei convenit, licet non conveniat semper, ergò adhuc gratis excluduntur, probatur ant. quia ibi citato loco sic habet; Nemo proprium alicui rei dixerit, quod alii convenire potest, ubi nullam facit mentionem quòd debeat convenire semper. R. negando ant. cujus antecedentis probationem dico esse infidelem, decurtatamq; textûs allegationem, nam Aristoteles, ibi immediatè post verba citata subdit, Neq; si forsitan per aliquod tempus ineſt soli, unde etiam

etiam alios modos appellat ibi Aristoteles non simpliciter propria, sed aliquando vel ad aliquid; nam ex dextris quidem esse aliquando proprium est, bipes autem ad aliquid proprium est, id est respectu alterius cui non convenit: unde dicit ibi hominem esse bipedem proprium esse non absolutè, sed respectivè ad quadrupedia, unde ridere dico non esse absolutè proprium.

V. Solum proprium quartò modò sumptum est fundare quartum prædicabile.

Dico 2. *Solum proprium quartò modò sumptum potest fundare quartum prædicabile.* Ita Scotus q. 31. universal. Aristoteles, Porphyrius &c. & communis contra paucos. Probatur Conclusio. Proprium quartum prædicabile debet habere diversum modum prædicandi ab aliis prædicabilibus, sed solum quarto modo sumptum habet diversum modum prædicandi, ergò solum illud potest fundare quartum prædicabile, quod in quarta acceptione sumitur; Probatur mi. Quia proprium primò, & tertiò, & secundò modò sumptum habent eundem modum existendi & prædicandi, quem habet quintum prædicabile, ergò: probatur ant. quia potest adesse, vel abesse sine subjecti corruptione. Confirmatur: Quia illud solùm habet omnes conditiones requisitas, ergò probatur, quia illud habet quòd semper conveniat omnibus individuis & soli alicui speciei, ergò.

VI. Proprium primò intentionaliter sumptum.

Dico 3. *Proprium primò intentionaliter sumptum est illud, quod accidit soli speciei ac omni & semper.* Ita communis cum Porphyrio, à qua non ab similem tradit etiam D. Augustinus cap. 10. Cath. dum dicit esse id accidens, quod in omni & solo invenitur: ut si hominem definire volens cap. 10. dicat risus capacem esse, hoc & in solo est in omni: Et Patet Conclusio, quia sufficienter declarat naturam ejus prout ab aliis naturis communibus distinguitur, ergò: probatur ant. Quia per ly accidit convenit cum quinto prædicabili & distinguitur ab aliis prioribus, quia alia sunt intra essentiam, per ly *accidit* autem denotatur proprium non debere esse intra essentiam, secundò per *omni & soli* denotatur quòd nulli alteri debeat convenire & cum illo cui convenit quòd debeat habere necessariam connexionem: hinc definio etiam proprium secundò intentionaliter sumptum &

VII. Proprium secundò intentionaliter acceptum.

Dico 4. *Proprium secundò intentionaliter acceptum bene definitur quòd sit illud quod est prædicabile de pluribus in quale accidentale necessariò & intransmutabiliter.* Est communis Scotistarum cum Doctore q. 31. univers. Probatur Conclusio: Quia omni & soli proprio convenit, ergò: probatur ant. quod omni, quia non est aliquod assignabile cui non competeret, ergò: quòd etiam soli; Quia per ly prædicabile de pluribus convenit cum aliis prædicabilibus, per ly in quale, excluditur genus & species quæ prædicantur in quid, per ly accidentale, excluditur differentia, per ly necessariò & inseparabilitèr, distinguitur à quinto prædicabili quod separabiliter prædicatur ad minùs separabilitate Logica.

VIII.

Dices 1. Prædicari in quale accidentale & necessariò repugnat, ergò non potest eidem competere, ergò malè definitur quartum prædicabile per utrumq; simul R. dist. ant. accidenti quinti prædicabilis concedo, accidenti quarti prædicabilis, nego ant. & consequentiam.

IX.

Dices 2. Multa spectant ad quartum prædicabile, quæ non prædicantur necessariò, loquendo de necessitate absoluta, ut verbi gratiâ nigredo in corvo, albedo in cygno, calor in igne, frigus in aqua. R. negando ant. cum suis exemplis: Illa enim sunt accidentia quinti prædicabilis, unde adverte cum Tartareto cap. de Proprio nec calorem in igne, nec frigus in aqua dimanare ab essentia dimanatione Metaphysica, de qua loquimur in proposito, sed dicuntur verius consequi naturaliter complexionem talium subjectorum, & esse accidentia quinti prædicabilis.

X. Constituitur in esse universalis per ordinem ad inferiora speciei.

Dico 5. *Proprium constituitur in esse universalis per ordinem ad individua speciei cujus dicitur esse proprium.* Ita communis. Probatur: Quia ut universalis rationem aliquid habeat, debet esse superius ad illa respectu quorum universale dicitur, sed proprium respectû speciei non est superius, ergò respectû speciei non potest esse universale, & consequenter debet esse respectû inferiorum speciei, quia nihil congruentiùs adferri potest; ma. patet probatur mi. quia cum specie dicitur ad convertentiam, & æq; latè patet, estq; ei proprium, ergò.

QUÆSTIO II.

An proprium sit separabile à natura divinitùs.

I.

Non est hic sermo de proprio in tribus prioribus acceptionibus sumpto, quia sic certum est quòd possit à subjecto non divina, verùm etiam naturali virtute separari, sed controvertitur de proprio in quarta consideratione, quam controversiam excitat illa particula *semper*, quia enim asseritur quòd semper ei convenire debeat in quæstionem vocatur, an hoc ita necessarium sit, ut nec divinitùs separari possit? In qua materia triplex est sententia; Prima est D. Thomæ & suorum sequacium cum Ægidio Romano & Cajetano, qui dicunt propriam passionem, seu proprium quarto modo sumptũ realitèr distingui à suo subjecto, & consequentèr à suo subjecto separari posse saltem divinitùs. Secunda sententia pro qua Masius etiam D. Thomam citat, docet, quòd aliquæ passiones realitèr distinguantur & aliquæ non, exemplum primarum est intellectus & voluntas respectû animæ; exemplum pro secundis est unũ, bonum, verum, &c. respectû entis, quæ sola ratione distinguuntur, & sic divinitùs ab ente separari non possunt, quamvis possit intellectus & voluntas, & sic dicunt quòd homo possit dari sine intellectu. Tertia sententia dicit passiones à suis subjectis non distingui realitèr, sed tantùm formalitèr, seu ex natura rei, & per consequens ens non posse à suis subjectis separari etiam per Dei potentiam absolutam, Illa Scotus & Scotistæ omnes, Gabriel, Gregorius, Mastrius, Durandus, Baro, & ipse Nominalium Princeps Occhamus. Cum quibus etiam conformiter ad dicta superius

Triplex est sententia.

II. Nec divinitùs separari potest à suo subjecto.

Dico. *Proprium seu propria passio Metaphysicè emanans ab essentia non potest etiam per Dei potentiam absolutam separari à suo subjecto.* Ita

Doctor

Doctor subtilis q. 33. univers. & 1. d. 3. q. 5. ad 2. pro opinio. 2. d. 17. q. 2. ad. 1. & d. 16. q. 1. §. Sed quia via & alibi.

Probatur Conclusio primò.

Si propria passio esset separabilis à subjecto suo, omnis propositio in qua prædicatur propria passio de subjecto esset contingens, sed in demonstratione propter quid in conclusione semper prædicatur propria passio de subjecto, ergò conclusio demonstrationis propter quid, seu à posteriori esset propositio contingens, verbi gratiâ homo est risibilis, imò posset esse falsa posito casu quod risibilitas actu separetur, ut est possibile secundum Adversarios.

Dices. Hanc conclusionem semper quidem futuram, & esse veram, homo est risibilis: non quidem formalitèr, sed tantùm radicalitèr, quia maneret rationalitas quæ est radix risibilitatis. Contra primò. Quia hoc dicere non esset aliud, quàm dicere solam illam præmissam demonstrationis quæ pertinet ad primum modum esse formalitèr necessariam, conclusionem verò esse formalitèr & in se contingentem, quod omninò dici non potest. Contra secundò. Quia si ideò tantùm est radicalitèr vera, quia maneret rationalitas quæ est radix risibilitatis, tunc sequeretur quòd eodem modo se haberet quartum prædicabile sicut quintum, quod est inconveniens, probatur sequela. Quia si separetur albedo à cygno, & nigredo à corvo, vel æthiope, sed cygnus naturalitèr est inclinatus ad albedinem, & corvus dicit aptitudinem ad nigredinem sicut etiam æthiops radicalitèr esset niger, ergò eodem modo se haberet accidens quintum prædicabile, sicut quartum; Imò sunt aliqua accidentia quæ si separantur à subjecto, non modò naturalitèr inclinationem & aptitudinem ad subjecta dicunt, verùm etiam si subjecta naturæ suæ reliquuntur, statim ad illa se reducunt, nam si aqua calefiat & relinquatur sine applicatione alicujus causæ conservantis, vel augentis calorem, mox ad pristinum frigus se reducit ut patet. Et hæc responsio facit & ansam præbet ut Conclusio

Probetur secundò.

IV. Si Deus potest separare propriam passionem à subjecto, ergò nullum erit discrimen inter proprium quartum prædicabile & accidens commune inseparabile naturalitèr, verbi gratiâ inter risibilitatem respectu hominis, & nigredinem respectu corvi & æthiopis à quibus nigredo est inseparabilis naturalitèr, probatur consequentia, Quia utriusq; connexio cum subjecto est eodem modo necessaria, videlicet secundùm communem naturæ cursum, sed utrumq; per potentiam Dei absolutam potest à subjecto separari, ergò nullum esset discrimen, Nec valet dicere hominem mansurum radicalitèr risibilem, quia ut supra deduxi etiam corvus & æthiops manent radicalitèr nigri, adeoq; certum est nullum futurum discrimen.

V. **Dices.** Adhuc aliud esse discrimen, videlicet quòd si Deus separaret risibilitatem ab homine, quòd tunc homo esset risibilis secundùm propriam subjecti virtutem & naturalem facultatem, ita ut si homo sibi relinquatur, statim iterùm risibilitas emanaret, quod non est de accidente quinti prædicabilis. Sed hæc responsio quoq; nulla est, quia non modò accidentia inseparabilia naturalitèr, verùm etiam separabilia defacto, si subjecta sibi relinquantur & non impediantur à contraria aliqua potentia post factam despoliationem iterum se reducunt ad pristina accidentia, ut patet de aqua calida, ergò hoc non est aliquod particulare discrimen.

Probatur Conclusio tertiò. VI.

Intellectus est propria passio animæ rationalis, sed intellectus nec per divinam potentiam potest separari ab anima, ergò saltem in aliquo subjecto propria passio non potest separari, sed est eadem ratio de ista ac de omnibus aliis, ergò. Probatur: Quia si intellectus separaretur ab anima tunc illa anima posset esse & non esse rationalis, sed implicat animam esse & non esse rationalem, ergò: probatur sequela majoris, anima est rationalis per intellectum, ergò si intellectus separetur erit rationalis ex suppositò; & non erit: quia non habebit illud per quod est rationalis; ant. probatur: Quia anima est rationalis per id per quod potest ratiocinari & discurrere, sed hoc potest per intellectum, ergò per intellectum est rationalis.

Dices; Animam non per intellectum, sed VII. per suam differentiam essentialem esse rationalem, ergò non per intellectum. R. negando consequentiam, quia licet verum sit quòd sit rationalis per suam differentiam essentialem, tamen illam differentiam non habet sine intellectu, qui est solus principium sufficiens discurrendi & ratiocinandi.

Probatur Conclusio quartò.

Cùm Doctore supra. Implicat quòd causa necessaria possit poni sine suo effectu, sed essentia est causa necessaria proprietatis, ergò non potest separari ab invicem.

Dices Falsam esse majorem, quia aqua est VIII. causa frigoris, & tamen frigus potest separari ab aqua, ergò. Sed R. Aquam non esse sic necessariam causam frigoris sicut est rationalitas risibilitatis, Et quamvis etiam daretur esse causam necessariam, frigus tamen non potest ab aqua separari, nisi per introductionem alicujus formæ oppositæ, scilicet per calorem; in anima non potest autem introduci oppositum intellectûs ut patet, & consequentèr alia & alia est necessitas. Sed contra Conclusionem immediatè sic.

Arguitur; Omne prius in quantum IX. prius est, per divinam potentiam saltem est separabile à posteriori suo, sed essentia & subjectum est prius sua passione, ergò potest saltem per Dei potentiam separari ab illo, major patet, minor est Aristotelis in post præd. cap. de Simul. R. 1. dist. ma. Omne prius realitèr distinctum potest separari à suo posteriori, concedo ma. omne prius formalitèr tantùm distinctum, nego ma. & similitèr distincta mi. nego consequentiam. R. 2. dist. eandem ma. Omne prius in quantùm prius &c. sub sensu reduplicativo,

Argumentum in contrarium

cativo, concedo ma. sub sensu specificativo nego ma. Itaq; licèt prius in quantùm prius reduplicativè possit separari à posteriori, non potest tamen si consideretur secundùm identitatem, quæ est actuale impedimentum separabilitatis; sic etiam in proposito: licet subjectum posset separari à proprietate in quantùm prius est, non potest tamen in quantùm proprietas identificata est.

Instatur. Secundùm Aristotelem priora naturâ etiam sunt illa, quæ possunt esse sine aliis, alia tamen non possunt esse sine ipsis, ut habet 5. Met. 15. Ergò si subjectum est prius propriâ passione non modò in sensu reduplicativo, sed etiam specificativo poterit esse sine ipsa R. dist. ma. Priora naturâ sunt illa, quæ possunt esse sine aliis &c. si illa priora sint priora in essendo concedo ant. si sint tantùm priora in intelligendo nego ma. & consequentiam. Itaq; sicut jam supra dixi, duplex est prioritas; una in essendo, & altera in intelligendo: & per hoc explicatur, quòd unum prius possit alio intelligi veluti tali quòd non includitur in conceptu formali alterius, & de hac non loquitur Aristoteles, quam tamen solam habent subjectum & propria passio.

Urgetur. Prioritas causæ ad causatum est prioritas in essendo, & non in intelligendo tantùm, sed hanc habent subjectum & passio, ergò habent veram proprietatem in essendo: probatur mi. quia subjectum est causa passionis, seu proprietatis. R. dist. ma. & minoris probationis ant. est causa Physica nego ant. Metaphysica concedo ant. prioritas autem causæ ad causatum Metaphysica non est prioritas in essendo, sed tantùm in intelligendo, bona tamen prioritas Physicæ causæ.

DISPUTATIO VI.

DE ACCIDENTE, QUINTO PRÆDICABILI.

Restat post explicationem reliquorum prædicabilium, nunc agere aliquid de accidente, quod nullo modo essentiam rei ingreditur, sed ad illa de quibus prædicatur merè contingenter habet, unde etiam posteriori loco reconditur, & brevitèr illud cum communi expediam. sit igitur.

QUÆSTIO UNICA.

De Accidente, quinto Prædicabili.

1. Advertendum est illud.

Suppono hic cum communiori, Accidens quintum prædicabile verè tale esse, quidquid nonnulli Recentiorum post Græcos opinentur; tùm quia sic sentit Doctor q. 34. univ. tùm quia habet quidquid requiritur ad hoc ut sit universale, nam est prædicabile de pluribus prout sumitur in concreto, est etiam in pluribus subjectis, nam Petrus est albus, Paulus est albus, dixi notanter prout in concreto sumitur: quia si sumatur in abstracto non prædicabitur prædicatione quinti prædicabilis, scilicet contingenter; sed de suis inferioribus prædicabitur essentialiter, ut hæc albedo est albedo, hæc albedo est disgregativa visus &c. Itaq; in præsentiarum tria examinabo, videlicet: An Porphyrius benè definiverit accidens, secundò quibus naturis competat esse accidens, quintum prædicabile, & tertiò, respectu quorum accidens habeat rationem universalis? Quantùm ad primum attinet Porphyrius triplicem accidentis dedit definitionem; Prima *est, quod accidens sit illud quod potest adesse, vel abesse sine subjecti corruptione; Secunda, Accidens est quod contingit eidem inesse & non inesse; Tertia, Accidens est quod nec est genus, nec species, nec differentia, nec proprium, inest autem subjecto*, quæ posterior cum solummodò negativè rem explicet & definiat, per illud quid non sit, & non quid sit, ordinariè in Scholis non recipitur; Duæ ergò priores invicem coincidentes communiores sunt, quæ etiam tàm primò quàm secundò intentionaliter sumpto accidenti applicari possunt, ita ut primò intentionaliter sumpti sensus sit, quòd possit realiter conjungi & separari, secundò intentionaliter sumpti ut sensus sit, quòd possit contingenter de pluribus prædicari, in quibus sensibus omninò bonæ essent, nec in aliquam quæstionem & controversiam vocari possent, attamen.

Porphyrius triplicem dedit definitionem.

Dico 1. *Benè definitur illâ definitione primâ accidens secundò intentionaliter sumptum, etiam in ratione universalis saltem implicitè.* Ita Doctor q. 34. univ. Probatur, vel potius explicatur; Quia per potest adesse, vel abesse non intelligitur, potest inhærere, vel non inhærere, afficere, vel non afficere, sed intelligitur, quòd possit affirmari, vel negari: & dum dicitur præter subjecti corruptionem, per subjectum non intelligitur subjectum inhæsionis, sed subjectum prædicationis; ita ut sensus totius definitionis sit iste, accidens est quod potest affirmari, vel negari de aliquo subjecto, ita ut affirmatio, vel negatio nihil deroget subjecti Essentiæ, sic Petrus, sive dicatur albus, sive niger, semper tamen manebit in ipso eadem essentia. Quòd autem etiam in ratione universalis definiatur, patet, quia per hoc quod potest adesse, vel abesse sine subjecti corruptione, hoc est, prædicari affirmativè, vel negativè subintelligitur de pluribus cum sui multiplicatione, saltem implicitè; & sic habebit rationem generis, quia per hoc conveniet cum aliis prædicabilibus; per illud verò quod dicitur quòd possit affirmari, vel negari differt ab omnibus aliis, quæ non sic contingenter, sed necessariò conveniunt suis inferioribus de quibus prædicantur, ut patet ex dictis. II. *Prima est bona.*

Quamvis autem hæc definitio sic intellecta sit bona & communis, clariùs tamen definiretur dicendo; Quod accidens secundò inten- III.

intentionalitèr sumptum sit illud, quod potest de pluribus prædicari contingentèr, & Accidens primò intentionalitèr sumptum quod convenit subjecto omninò contingentèr, unde seligе tibi eam, quæ magis placet. Sed in Contra

IV. *Argumentum in contrarium.*

Arguitur: Mors, conflagratio, & calor in summo sunt accidentia de quibus hic agitur, sed ista non possunt adesse sine subjecti corruptione, ergò malè definitur accidens quòd sit illud quod potest adesse, vel abesse, sine subjecti corruptione: major est omnium, minor probatur: quia mors corrumpit animal, conflagratio lignum, calor summus aquam, ergò. Ad hanc objectionem multi multiplicitèr respondent, Pontius distinguit minorem: quando adsunt corrumpunt quoad existentiam concedit, quoad essentiam negat; Verùmtamen videtur etiam, quoad essentiam destruere, nam essentia animalis est esse vivens sensitivum, sed quando mors prædicatur tollitur ab eo hoc prædicatum essentiale, ergò etiam quoad essentiam corrumpit. Arriaga dicit mortem non esse (eadem est ratio de cæteris) accidens inhæsionis, quòd inhæreat animali; cùm illi potiùs opponatur privativè, sicut tenebræ non possunt dici accidens lucis, sed potiùs ejus contrarium. Verùm meliùs Respondetur negando mi. & suppositum probationis ejus, videlicet, quòd mors sit in animali, conflagratio in ligno, calor summus in aqua veluti in suis subjectis; Quia mors non est in homine veluti in subjecto, sed est in materia & corpore organico, quia mors est privatio animæ, adeoq; idem subjectum habebit, quodanima habuit scilicet materiam, vel corpus. Idem dic de ligno respectu ignis, quia lignum non ardet, sive habet formam ignis, quia ligni forma per ignem est expulsa, similitèr nullus calor summus est in aqua, quia quando adest summus calor, non est ibi aqua; Confirmatur hæc responsio: Quia si mors esset in homine (idem dicito de aliis) tunc homo morte non moreretur, quia si mors subjectatur in homine debet saltem pro aliquo instanti mors esse in eo, & existere non obstante ipsius morte, sed hoc est plusquàm falsum, quia sic si pro uno instanti simul esse possint, nihil implicat, quin etiam pro tota æternitate sint simul.

Instatur: Desitio hominis non potest intelligi adesse sine corruptione ejus. Sed desitio est accidens ei, ergò aliquod accidens non potest adesse sine subjecti corruptione. R. negando mi. quia quando desitio est, non est homo, quia homo desinit per primum sui non esse, & tunc non est: sed immediatè antea fuit; Itaq; non est instans aliquod medium inter esse & non esse, quod esset mensura desitionis ejus.

Urgetur: Licet homo desinat instantaneè & intrinsecè sunt tamen adhuc alia quæ non sic desinunt, sed successivè, ergò inter illa debet adhuc dari medium inter esse & non esse, quod est tempus desitionis: probatur. ant. quia motus, tempus &c. sunt talia successiva, ergò dantur aliqua, quæ non desinunt instantaneè, & consequentèr dantur aliqua accidentia quæ non possunt adesse sine subjecti corruptione. R. negando ant. Quia licet videantur desinere successivè, revera tamen non desinunt sic: quia pars successivi quæ desinit in tempore, non habet esse illo tempore quo desinit, adeoq; verè non adest ei desitio, quia ut adesset, deberet utrumq; adesse, id est, pars & desitio simul quod tamen non contingit. Congerant aliqui plures alias objectiones contra datam conclusionem, verùmtamen non videntur esse tanti momenti, quin ex dictis non facilè possit erui solutio, unde ad secundum, quod in hac quæstione examinandum est.

Dico 2. *Accidens quintum prædicabile non constituitur in esse talis per ordinem ad sua inferiora, sed per ordinem ad subjecta de quibus prædicatur contingentèr.* Est communis. V. *Assignatur per quid constituatur in esse Universalis.*

Probatur prima pars. Quia respectu illorum inferiorum se habet per modum generis, vel per modum speciei, verbi gratiâ albedo respectu hujus & illius albedinis, & color, respectu nigredinis & albedinis habet se per modum generis, ergò per ordinem ad inferiora illa non habet rationem quinti prædicabilis, quod debet merè contingentèr & non essentialitèr prædicari.

Probatur secunda pars. Quia ut est quintum prædicabile debet posse prædicari contingentèr, sed per ordinem ad subjecta potest sic prædicari contingentèr, ergò per ordinem ad illa constituetur in esse universalis quinti.

Dices. Universale debet posse prædicari de suis inferioribus antequam existant, sed accidens non potest prædicari de subjectis quibus contingentèr inexistit, nisi existant: ergò respectu illorum non est universale. R. dist. ma. Universale quod contingentèr prædicatur nego ant. quod necessariò prædicatur concedo ma. & concessa mi. nego consequentiam, disparitas autem illa oritur ex necessaria connexione, quæ est inter hæc, & non necessaria, quæ est inter illa. VI.

Dico 3. *Accidens potest constitui in esse quinti prædicabilis non modò ad subjecta numerò distincta, sed etiam distincta specie.* Hanc dicit Mastrius esse cum communi. Probatur: Quia dantur accidentia quædam, quæ non solùm communia sunt pluribus individuis, sed etiam pluribus speciebus de quibus omnibus prædicantur modo diverso, ab omnibus aliis prædicabilibus; & eodem modo de illis, scilicet in quale accidentale contingentèr, & transmutabilitèr, ergo non solùm per ordinem ad subjecta numero distincta, verum etiam ad distincta specie potest constitui in esse universalis: probatur ant. Quia album est commune quid prædicabile, de Cygno, lacte, & nive, ergò. VII. *Potest non constitui ordinem ad subjecta specie distincta.*

Dices. Individua sunt propria accidentium subjectiva, non verò species, ergò de solis individuis prædicari poterit. R. dist. Individua sunt accidentium subjecta inhæsionis, concedo ant. prædicationis accidentalis nego ant. & consequentiam. Itaq; sufficit esse subjectum prædicationis speciem ut sit subjicibile hujus

quinti

quinti prædicabilis. Et si dicas non posse autem prædicari immediatè de specie, sed mediante individuo: atq; adeò non posse habere rationem universalis respectu illarum, R. non requiri immediatam prædicationem ad rationem universalis. Sed pro tertio dubio.

Dico 4. *Universalitatem accidentis fundari posse supra quodcunq; prædicatum contingenter adveniens alteri*, sive illud sit accidens, sive substantia. Ita Doctor 3.d.7.q.1. D. Thomas, Lichetus, Mastrius &c. contra Burlæum, Toletum, Amicum &c. opinantes non posse fundari nisi supra accidens commune. Probatur Conclusio. Quia numerus prædicabilium non sumitur ex varietate, & multiplicitate rerum, sed ex diversitate modi quo prædicatum aliquod convenit subjecto, sed multa prædicata substantialia possunt alteri contingenter convenire, non minùs quàm ipsa accidentia, ergò prædicata substantialia fundare poterunt universalitatem quinti prædicabilis, ma. patet ex dictis, probatur minor, Quia forma substantialis non prædicatur in quid de materia, sed in quale separabilitèr & denominativè, materia etenim dicitur informata, corpus animatum, homo vestitus à vestibus, vas deauratum ab auro, sed hæ prædicationes sunt contingentes & quidem separabilitèr, nec ad ullum aliud prædicatum reduci possunt, quàm adhoc ultimum. Confirmatur: Quia hic definitur accidens prædicabile, non verò prædicamentale, ergò cum substantia possit prædicari contingentèr & per modum accidentis, poterit ipsi applicari ratio universalis accidentis. Sed Incontra

Arguitur; Quod verè est, nulli accidit, ex 1. Physicorum, sed substantia verè est, ergò nulli accidit, ergò: nullô modô prædicabitur accidentalitèr. R. dist. ma. nulli accidit Metaphysicè & inhærentèr transeat ma. nulli accidit Logicè & per prædicationem, nego ma. & concessa mi. dist. primum consequens nulli accidit Metaphysicè concedo, Logicè nego consequentiam, hanc & etiam secundam. IX.

Instatur. Modus prædicandi sequitur modum inessendi, sed substantia & accidens differunt in modo essendi, ergò etiam in modo prædicandi. R. dist. ma. sequitur modum essendi simplicitèr ut res est in se sine respicientia ad aliud, nego ma. cum respicientia ad aliud concedo ma. similitèr dist. minorem, differunt in modo essendi simplicitèr ut sunt in se concedo mi. ut respiciunt subjecta quibus insunt, vel per modum informationis, vel per modum inhæsionis nego mi. Quia sic substantia & accidens conveniunt, quia ambo contingentèr insunt suis subjectis, ut patet ex probatione conclusionis, & nego consequentiam universalitèr, scilicet quòdsemper debeant differre in modo prædicandi.

PARS III.

TRACTANS CATEGORIAS ARISTOTELIS.

ABsolutâ Introductoriâ Isagoge, jam patet aditus ad prædicamenta, seu Categorias; commodiorem enim locum licet sibi fortè vendicare possent, non volunt, quia æquum & justum haud videtur separare tractatione ea, quæ sibi sic subordinatione copulantur, & ut plerique faciunt ad Metaphysicam remittere, nam sic Introductio, vel manuductio Porphyriana si non effectu suo frustraretur, sine culpa retardaretur, cùm non statim sequeretur illud ad quod manuduxit; Et quamvis Categoriæ, seu prædicamenta spectentur prout dicunt formales aliquas rationes & coordinationes plurium rerum secundum subjicibilitatem & prædicabilitatem, quæ sunt merè intentionalia, verùm tamen sicut in priori parte agendo de secundis intentionibus rerum prædicabilium naturas quoq; ipsas explicui, sic in hac examinando Categorias pro formali dilucidabo etiam, quæ Categoriæ pro materiali & substracto dicunt, tùm quia etiam hoc fecisse Aristotelem deprehendo, tùm quia ordinariè procedendo expedit rerum denominatarum naturas examinare ut juxta earum exigentiam prædicationes exerceantur; Quia non potest tàm exactè de conceptibus rerum disputari, nisi conceptuum objecta, seu res examinentur, frequentèr, imò quasi semper contingit ut exteriora objecta nobis, ipsis conceptibus sint notiora. Est autem unanimis consensus Dialecticorum, Authorem libri Categoriarum esse Aristotelem maximè cùm (ut testatur Boethius) in hoc libro & brevitas & subtilitas redoleat Aristotelis, Imò ab hoc libro (teste Mastrio & Belluto) Aristoteles suæ doctrinæ Peripateticæ sumpsit exordium. Quis autem Aristoteles fuerit satis describunt Authores passim & inveniri potest apud Connimbricenses: nam teste Boëthio & quasi omnibus Philosophis Aristoteles trecentis & octoginta annis ante Nativitatem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi vixit, natus in Macedonia, Patria Locali Stagirites, cujus parès & genitor fuit Nicomachus Medicus, vel à filio Excellentissimus qui utpote propter Ingenii & doctrinæ excellentiam per antonomasiam dictus est olim & dicitur hodie Philosophus. Ejusdem igitur In hac parte tractante Categorias agitur de decem classibus, seu coordinationibus rerum, in quibus res omnes creatæ saltem secundùm subjecibilitatem & prædicabilitatem disponuntur, quæ classes græcè Categoriæ, latinè prædicamenta vocitantur, Hic tractatus autem post Aristotelem dividitur in tres partes,

partes; Prima continet Anteprædicamenta, quæ comprehendunt sub se tum examinationem univocorum, æquivocorum, & analogorum, tùm regulas conditiones eorum, quæ in prædicamento ponuntur; Secunda pars complectitur ipsa prædicamenta in speciali, quæ quot sint & quomodo distinguantur statim aperiam; Tertia denique post prædicamenta quæ examinat ea quæ omnibus, vel saltem aliquibus sunt communia. Interim sit.

DISPUTATIO I.

DE ANTE-PRÆDICAMENTIS.

PRiusquam ad ipsa prædicamenta moveam manum subsistendū est paululùm cum Aristotele in vestibulo, & prius examinandæ sunt ea, quæ ad prædicamenta cognoscenda sunt necessaria: nam ipse quoque Philosophus primò egit de univocis, æquivocis, &c. & posteà tradit divisionem eorum, quæ dicuntur, & eorum quæ sunt, ex quibus duas regulas conficit Anteprædicamentorum, unam quæ priorem, alteram quæ posteriorem divisionem respicit, de his ego quoque sicut & de prædicamentis in communi agam in hac Disputatione, sit igitur.

QUÆSTIO. I

De Univocis, Æquivocis, & Denominativis.

1 definitur hoc.

Univoca definit Aristoteles cap. 1. *Quòd sint illa quorum nomen est commune ratio verò substantiæ per nomen importata est eadem.* Quam definitionem veluti bonam recipiunt Authores communitèr, unde particularis esse non cupio: &

DICO I. *Benè definiuntur univoca illâ datâ definitione Aristotelis.* Ita unanimis consensus Dialecticorum. Concordat etiam Divus *Augustinus Cat. 2. dum dicit, quod univoca sunt res quæ & nomine & sui interpretatione junguntur, ut est animal id enim de homine & equo, de fera & avibus dici potest.* Probatur declarando omnes ejus particulas. Dicitur *quorum nomen*, in quo cum aliis æquivocis videlicet & denominativis convenit; Non sumitur tamen hic nomen prout contradistinguitur à verbo, sed prout verbum & etiam participia complectitur, nam omnibus istis convenire potest univocatio; dicitur *commune* ad insinuandum nomen debere esse omninò idem non solum per litteras, sed etiam per pronuntiationem quantitatis, dicitur *ratio* & ad denotandum univoca non importare solùm conceptum formalem, sed etiam objectivum: quia conceptus objectivus & non formalis in illis essentialitèr includitur, & quando dicuntur univoca differre ab æquivocis, tunc denotantur rationes diversæ objectivæ, quia experimur quòd ad prolationem vocis æquivocæ intellectus nosfter non uniatur concipiendo aliquod unum illo nomine significatum, sed quòd ad diversa distrahatur; Dicitur *substantiæ*, per quam particulam non intelligenda est substantia de primo prædicamento prout substantia accidenti opponitur, sed intelligitur essentia, ita ut ratio substantiæ idem significet, ac ratio essentiæ, aliàs non posset contingere univocatio in accidentibus, quod tamen maximè falsum esse patet ex dictis in priori parte, ubi demonstravi & ostendi dari non solùm prædicabilia essentialia, sed etiam accidentalia, ut est proprium & accidens; sed certùm est quod de ratione universalis sit quòd sit univocum: & quamvis Aristoteles videatur solùm voluisse definire univoca essentialia, revera tamen univoca accidentalia excludi non debent, quia eo modo quo animal prædicatur de homine & bruto secundùm idem nomen & eandem rationem, ita etiam prædicatur album de nive & cygno; adeoq; sequitur quod per ly *ratio substantiæ* intelligi debeat conceptus objectivus essentiæ, seu substantialis, seu accidentalis. Hinc est quòd

Nomen Univocationis duplicitèr accipi possit, primo modo magis propriè, seu ita ut significet eandem rationem essentialem pluribus communem, & in eis essentialitèr inclusam, & talia dicuntur prædicata univoca essentialia: & hæc sola voluisse definire Aristotelem docet Doct. q. 6 prædicam. & exinde magis patet, quia Aristoteles cap. de subst. docet, accidentia prædicari non posse de subjectis nomine & ratione, quod utique falsum est si sub hac definitione comprehendere voluisset univoca accidentalia. *Alio modo magis* latè accipitur nomen univocationis, ita ut significet rationem pluribus communem, sive illa postea sit accidentalis, sive essentialis, unde Scotus hanc distinctionem & divisionem recipiens distinguit 1. d. 3. q. 3. & d. 8. q. 3. P. Aliud esse prædicatum univocum, aliud prædicari univocè; & dicit prædicari univocè esse univocum essentiale, quod prædicatur de suis inferioribus secundùm idem nomen & eandem rationem essentialem, *ut animal de homine & bruto*: prædicatum univocum appellat univocum *accidentale*, quod de suis subjectis prædicatur secundùm idem nomen & eandem rationem accidentalem, ut *album* de *lacte & cygno* &c.

II. *Nomen univocationis duplicitèr sumi potest.*

Univocatio magis propria. Iterum duplex est *una perfecta & completa*; altera *imperfecta & incompleta, seu diminuta. Prima est* quando ratio essentialis per nomen commune importata est in pluribus secundùm essendi modum, eundemq; ordinem & secundùm eundem

III. *Univocatio propria duplex est completa & incompleta.*

perfectionis gradum, quæ etiam solet appellari univocatio Physica, quæ univocatio utpote perfectissima solis speciebus infimis competit, quæ in suis inferioribus est secundùm eundem modum, eundem ordinem: non enim respicit prius unum quàm aliud, & secundùm eundem perfectionis gradum, nam omnia inferiora individua omnino sunt ejusdem perfectionis essentialis, ita ut unum altero perfectius essentialitèr per Dei potentiam esse non posset; Ad univocationem hanc, quæ primum & supremum gradum constituit quatuor requiruntur conditiones; Prima est unitas conceptus intellige tàm formalis quàm objectivi; Secunda quòd eodem modo essendi sit in omnibus; Tertia quòd descendat ad individua eodem ordine, & Quarta quòd univocata sint ejusdem perfectionis essentialis, & hæc est purè univoca. *Univocatio incompleta* quæ etiam analoga dicitur, est, cùm inter aliqua reperitur solùm similitudo formæ, quatenus secundùm eandem rationem continetur & contrahitur ad illa, quæ est prima conditio & absolutè necessaria ad univocationem, deficiunt tamen cæteræ quæ non sunt simplicitèr necessariæ, ut in conceptu entis respectu Dei & creaturæ substantiæ & accidentis qui est minimus gradus univocationis; vel saltem aliqua, quatenus scilicet illa eadem ratio licet reperiatur in illis secundùm eundem essendi modum, non tamen secundùm eundem ordinem descendit ad illa: ut numerus respectu binarii & ternarii; vel etiam liceat, quòd eodem ordine descendat ad illa, non tamen secundùm perfectionis essentialis gradum sicut se habet genus respectu specierum, quod perfectius per unam quàm per alteram differentiam contrahitur & hinc patet quomodo intelligendus sit Aristoteles 7. Met. 31. *dicens in genere latere æquivocationes.* Hæc univocatio incompleta dicitur etiam Metaphysica & Logica, quia fit in terminis secundæ intentionis, unde ad eam non requiritur æqualitas perfectionis, nec consequenter ad univocationem prout Aristoteles eam definit.

IV. Dico 2. *Benè definiuntur cum Aristotele æquivoca; Quòd sint illa quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ per nomen importata est diversa.* Ita communis torrens. Concordat etiam D. Augustinus cap. 9. Dialecticæ ubi ea sic definit *Æquivoca esse quæ tantùm uno tenentur vocabulo, sed diversis expeditionibus* (id est diversis definitionibus) *explicantur.* Et. Quæ sub uno nomine necesse est definire diversè, æquivoci nomen est. Et *cap. 10. Diximus æquivoca esse quæ non uno nomine, ita etiam una definitione possunt teneri.* Probatur etiam & explicatur sicut prior. Nam per nomen ibi intelligitur etiam tàm verbum quàm participium, quia, ly: lego verum est verbum Logicum, & tamen etiam est æquivocum nam significat non modò legere verùm etiam legare. Item per ly substantia intelligitur essentia, seu natura, quia si significaret substantiam de primo prædicamento, prout accidenti opponitur, in nullo accidente posset contingere æquivocatio, quod tamen falsum est in his exemplis, gratus, formosus, & pluribus aliis, nam gratus significat gratum prout à gratia derivatur, & etiam prout derivatur à gratitudine: formosus verò significat tùm habentem pulchram venustatem, & elegantem speciem: tùm etiam habentem aliquam formam, quo sensu etiam de formis formosus dici potest.

Arguitur Incontra. Omne quod definitur debet esse quid unum ut docet Aristoteles, sed æquivoca non sunt quid unum, ergò non possunt definiri: patet major, quia definitio est imago repræsentativa definiti, ergò unius tantùm rei, patet etiam minor, quia sunt essentialitèr plura R. dist. mi. non sunt quid unum entitativè & essentialitèr, concedo mi. non sunt quid unum denominativè nego mi. & consequentiam per quod patet etiam ad probationem minoris videlicet essentialitèr & entitativè esse plura, non verò denominativè. Iaque licet in essentia sua æquivoca plura sunt, prout tamen accipiunt denominationem significati, & eadem voce ac conceptu denotati, sub eadem ratione conveniunt, sicut licet equus hircocervus, tenebræ &c. licet secundùm suas entitates in aliqua una ratione non conveniant, conveniunt tamen sub denominatione cogniti, repræsentati &c. Unde dicit Doctor quod æquivoca non sunt unum essentialitèr, sunt tamen accidentalitèr. V. *Æquivoca sunt quid unum denominativè, & formaliter.*

Instatur: Hinc sequeretur quòd ab Aristotele non definirentur æquivoca ut sic, sed potius in quantum rationem univocorum induunt: sed hoc est in conveniens, ergò non definiuntur æquivoca sub ratione univocorum. R. distinguendo sequelam ma. sequeretur &c. si ly in quantum reduplicativè cadit super rem definitam, nego seq. Quia hic revera definiuntur æquivoca pro formali sub secunda intentione, in qua accidentalitèr univocantur & eorum natura explicatur veluti in esse signato: Si ly in quantum reduplicet conditionem & modum definiti, concedo sequelam ma. & nego mi. Itaque cujuscunque rei definibilis conditio est, quòd sit aliquod unum, vel essentialitèr, vel saltem accidentalitèr.

Urgetur. Æquivoca ita debent definiri ut contradistinguantur ab univocis, sed si habent unitatem non sic contradistinguentur, ergò non poterùt definiri: mi. probatur, quia illud unum debebit habere nomen commune omnibus sub definito conveniens secundùm eandem rationem, sed hoc habent etiam univoca, ergò non habebunt per quod distinguantur ab univocis. R. distinguendo ma. ita debent definiri ut contradistinguantur in esse exercito, & ut quid concedo ma. in esse signato, & veluti modus, nego ma. similitèr distinguo mi. & nego consequentiam. Itaque æquivoca cum univocis convenire possunt non quidem in rebus significatis, sed in modo, ob secundam intentionem quam fundare possunt, & sub hac ratione non debent definiri ut contradistinguantur ab univocis. Quod si velles adhuc replicare quòd univoca & æquivoca sint opposita, atque adeò unum de alio non possit dici etiam accidentalitèr, tunc respondeo esse quidem opposita si utrumq; sumatur ut quid, non esse verò quando unum sumitur ut modus, & alterum ut quid, prout dixi supra genus posse dici species. Ut autem hæc replica clarius intelligatur.

Dico

VI. Definitum in datis definitionibus est secunda intentio constitutiva æquivocorum, & univocorum in concreto, significata ut supponat pro ipsis rebus æquivocatis & univocatis & in esse signato.

Dico 3. *Definitum in datis definitionibus est secunda intentio constitutiva æquivocorum, & univocorum in concreto, significata ut supponat pro ipsis rebus æquivocatis & univocatis & in esse signato.* Ita Scotistæ communiter & etiam Thomistæ. Probatur, quia Aristoteles in definitionibus datis dixit, *univoca dicuntur, æquivoca dicuntur & non sunt* simpliciter, ergò definivit sub secunda intentione, tùm etiam Quia ad Logicam propriè pertinet res definire prout subsunt secundis intentionibus.

Dices. Definitiones competunt rebus & non secundis intentionibus, ergò res & non secundæ intentiones definiuntur, patet ant. quia etiam ipse Aristoteles exemplificavit in rebus. R. dist. ant. conveniunt rebus in actu exercito, concedo, in actu signato, nego ant. & consequentiam: cum probatione Aristotelis; quia ipse exemplificavit prædicationes signatas univocorum & æquivocorum per prædicationes exercitas, quod Aristoteli & Logicis valdè est familiare.

VII. Æquivoca alia sunt à casu, alia à consilio.

Æquivoca sunt in duplici differentia, nam aliqua dicuntur *à casu*, aliqua *à consilio*: æquivoca *a casu* ea sunt, quæ sinè omni prorsus habitudine & convenientia ad invicem eodem nomine appellantur merè fortuitò & casualiter, ut proinde etiam *à fortuna* & *à casu* vocentur, sic vox *canis* communis est *latrabili, cœlesti,* & *marino,* & *architectonico*, Canis latrabilis est certa, & nota animalis species à fidelitate commendata: marinus est bellua frequens reperibilis in Oceano Zelandico, quæ facilè cicuratur, cœlestis est quædam siderea constellatio à qua dies caniculares nomen habent, & architectonicus est lapis, vel illi lapides in muris incompletorum ædificiorum prominere solent, super quos postmodum continuatur fabrica: Sic etiam vox *aries* communis est *gregorio cœlesti,* & *militari*; Vox *gallus homini* in colæ in Francia, *gallo gallinaceo* & *Gallo* pronomini quod in partibus Sueviæ & Franconiæ viris communiter imponitur. *Æquivoca à consilio* sunt ea, quæ participant idem nomen ob aliquam convenientiam, habitudinem & respectum unius ad aliud, quæ ideò à consilio etiam appellantur, quia non temerè & inconsultò unum, & idem nomen ad plura significanda extensum est: sic *sanum* dicitur esse nomen æquivocum *a consilio*, propter proportionem & similitudinem formæ sanitatis, quæ est in *homine*, in *medicina* & *cibo*; prata ridere dicuntur ob similitudinem læti hominis &c. Et hæc vocantur etiam æquivoca analoga.

VIII. Æquivocum iterùm subdividitur in æquivocum æquivocans & æquivocum æquivocatum, primum est illud nomen quod vocatur æquivocum, posterius sunt res quæ illo nomine æquivocante significantur, sic etiam aliud est univocum univocans, & aliud univocatum, Item alia sunt denominativa denominantia, alia denominata &c. Et hæc posteriora pro complemento hujus quæstionis explicanda restant.

IX. Denominativa ab Aristotele definiuntur, quòd sint illa, *differentia casu secundùm nomen habent appellationem, ut Grammaticus à Grammatica, fortis à fortitudine.*

Itaq; Denominativa ab Aristotele definiuntur, quòd sint illa, *Quæcunq; ab aliquo solo differentia casu secundùm nomen habent appellatio-*

Quam definitionem aliqui sat frequentèr explicant sic, quòd denominativa sint quæ semper sunt concreta cum forma denominante, quæ semper est abstracta, conveniunt in principio nominis, quod insinuatur per ly *secundùm nomen habent appellationem* & differunt in fine & determinatione, seu desinentia ejusdem, quod denotatur per *ly solo casu*: id est, eadem nominis cadentia, unde postea ad solvendas difficultates emergentes distinguunt tria denominativorum genera, voce tamen ut studiosus à studio, re tantùm, ut studiosus à virtute, re & voce simul, qualia sunt exempla à Philosopho allata. Verùmtamen hæc expositio nimis grammaticalis est, displicétq; Arriagæ & Mastrio; Quia alioquin expellerentur & excluderentur à ratione denominativorum multæ prædicationes denominativæ ut à Musica, mulier musica & à virtute, homo studiosus, nam in priori prædicatione est convenientia in principio & fine vocis, in posteriori verò est tàm in principio quàm fine differentia; Imò non solùm nomina adjectiva à substantivis abstracta dicerentur denominativa, sed etiam casus obliqui nominum & multa adverbia à nominibus derivata, quæ cum recto conveniunt in principio, in obliquis desinentiam variant, ut Lector, Lectoris, Lectori, &c. Quare meliùs denominativa explicantur, Quòd sint illa concreta quæ à suis abstractis differunt in modo significandi, qui est significare per modum adjacentis, & secundùm illud nomen adjectivum habent virtutem denominandi, seu denominativè prædicandi, talitèr autem, scilicet per modum adjacentis informantis denominantis & qualificantis semper prædicantur accidentia, hinc omne concretum accidentale erit denominativum ut ipse Aristoteles exemplificavit. Concretum verò substantiale tunc tantùm, quando nomine signtficatur adjectivo, erit denominativum; quia etiam talia concreta substantialia, ut à suis abstractis distinguuntur, cadunt ad aliquid & aliud concernunt: scilicet, proprium suppositum, unde per ly *casu* non intelligitur casus obliquus & desinentia nominis, sed cadentia formæ ad subjectum, seu suppositum, verbi gratiâ: naturæ humanæ, humanitatis, ad aliud suppositum, quia si caderet ad proprium, tunc esset denominativum essentiale. Per ly verò *Quòd secundùm nomen habeat appellationem* non debet intelligi quasi per nominis derivationem ab alio, sed potiùs quia prædicantur secundùm nomen tantùm de re denominata: appellare enim accipitur quandoque pro prædicari 2. Top. 2. & ita explicavit Aristoteles ipse hanc particulam, cap. de subst. dum dixit differentias essentiales non prædicari denominativè, benè tamen accidentia de suis subjectis, quia prædicantur de illis secundùm nomen tantùm, id est, accidentalitèr & non essentialitèr. Hinc duæ requiruntur conditiones ad denominativa; Prima est, ut conveniant cum forma denominante in principali significatione; Secunda quod differant in modo significandi, nam cum omnis forma accidentalis quæ in subjecto est duplicitèr sumi possit, uno modo sub propria consideratione: quatenus ipsa secundùm se præcisè consideratur,

sideratur, præscindendo ab omni alio, & tunc ipsa significatur in abstracto alio modo prout informat subjectum, & sic est in concreto, unde ipsa in abstracto & denominativum in concreto eandem significant formam, licet sub diversa ratione. Prima regula denotatur *ly quod secundùm nomen habet appellationem*, secunda, *per solo casu*.

QUÆSTIO II.

De Analogis.

I. *Difficultas quæstionis est utrum dentur analoga?*

Hanc quæstionem singularitèr examinandam à priori assumpsi, non propter præcisam rationem & definitionem analogorum indagandam, nam de hoc non est tanta difficultas ut particulari quæstione dilucidaretur, sed controversia quæ hic principalitèr agitatur est; Utrum videlicet dentur aliqua analoga media inter univoca & æquivoca, ita ut nec ad univoca reducantur, nec ad æquivoca, & consequentèr, nec unius, nec alterius extremi rationem participent, sed participent unius & alterius partialitèr, & sic tertium aliquod resultet; In qua materia Thomistæ ita certò asserunt dari aliquod medium inter æquivoca & univoca, quod ad neutrum reducatur, sed sit aliquod tertium revera, ita ut potiùs illud supponant quàm de illo disputent? Contrarium tamen tenent solemniores omnes Scotistæ, ut Faber, Meurisse, Mastrius & Bellutus, Baro & plures passim. Ad quod dubium resolvendum non abs re erit priùs inquirere quid per analogum intelligant Authores; Itaque analoga derivantur ab analogia quæ est vox græca & teste Quintilian. lib. 1. cap. 1. & Cicerone lib. 1. de universit. latinè idem significat quod *proportio*, seu *comparatio* & *proportionalitas*, ita ut analogia ex vi nominis importet diversitatem cum aliqua similitudine mixtam, nam ea dicuntur propriè proportionata, quæ licet diversa sint, non sunt tamen in tantùm diversa, quin sibi in aliquo sint similia; unde analoga definiuntur post Aristotelem 4. Met. cap. 2. & lib. 5. cap. 6. *Quòd sint ea quorum nomen est commune, ratio verò per nomen significata, neque omninò eadem, neque omninò diversa*: quæ definitio ordinariè recipitur, Quamvis aliqui diversimodè eam explicent, Ex priori autem quæstione clarè deducitur ejus explicatio: hinc ad analogiam requiritur nomen aliquod commune, & ratio aliqua quæ illi nomini subsset, quæ ratio objectiva aliquam unitatem & aliquam diversitatem importet.

II. Analoga, si sumantur magis universalitèr non pro his præcisè quæ etymologiæ nominis importat videlicet, quæ habent inter se proportionem, sed pro illis quæ, nec purè sunt univoca, nec purè æquivoca ex quacunque habitudine procedunt (nam apud Latinos nunc hæc vox analogia est extensa ad significandam non modò proportionem, sed etiam habitudinem per modum ordinis dependentiæ, & attributionis) tunc benè dividuntur in analoga Attributionis, proportionis, seu proportionalitatis & inæqualitatis, quæ de se satis liquent, ita ut non indigeant nisi explicatione. Inprimis igitur.

III. *Describitur Analogia attributionis.*

Analogia. Attributionis est illa, *secundùm quam aliqua habent nomen commune, rationem verò substantiæ secundùm illud nomen eandem, & secundùm habitudines diversam*, sic *sanum* dicitur analogum attributionis, quia convenit medicinæ, pulsui, cibo, & sanitati quæ est in animali, quia sanum cibi, pulsus, & medicinæ diversas habent & dicunt habitudines ad sanitatem; verbi gratiâ hominis veluti ad terminum; cibus etenim respectum & habitudinem dicit conservantis, medicina efficientis, & pulsûs significantis, per pulsum enim veluti per signum deducimur ad cognoscendam sanitatem in animali, hinc patet hujus vocis sanum principalissimum significatum esse ipsam sanitatem formalem, hinc est vulgatum Dialecticorum axioma; *Analogum absolutè sumptum stare pro famosiori significato*, cujus ratio est, quia vox illa fuit principalitèr instituta ad illam significandam, quæ postmodum propter alios & alios respectus extensa fuit ad aliàs significationes minùs principales & proprias.

IV. *Analoga proportionis quæ sint.*

Analoga Proportionis sunt ea *quæ habent nomen commune, rationes tamen per nomen significatas simpliciter diversas, quia tamen sunt proportionaliter similes, ideò participant commune nomen* & constituunt hanc analogiæ speciem cujus varia adferri possunt exempla & adferuntur etiam ab ipso Aristotele, nam 2. post. 87. attulit spinæ & ostis exemplum, eò quod sicut se habet os in animali terrestri, ita spina in piscibus, & 1. Eth. cap. 6. Exemplum visus, quòd tàm oculo intellectûs, quàm oculo corporis dicamur videre. Item Aversa 5. Met. com. 12. attulit exemplum Gubernatoris, quod nomen tàm benè de Gubernatore Provinciæ, navis, Communitatis, quàm domus dicitur & vulgatissimum omnium, in ore omnium est risus: qui de homine ridente, & de prato ridente prædicatur, propter proportionem comparationem & similitudine in amœnitate, & jucunditate, quæ per risum in homine exprimuntur; unde ei etiam principalitèr & primariò competit, quia formalitèr inest ei, prato verò non competit, nisi translatione metaphoricâ; Sed Controvertitur quomodo nam hæc analogia vocari debeat, an videlicet Proportionis, vel proportionalitatis? Baro simplicitèr excludit analogiam proportionalitatis, quod credo eum facere ideò, ex eo quòd non constituat particularem speciem (quod utique verùm est) ab analogia proportionis; Mastrius & Bellutus verò absolutè volunt simplicitèr dicendam esse proportionalitatis, non verò proportionis: Mihi tamen videtur, sicut omninò est, quæstionem esse de nomine, unde puto quod hæc analogia quandoque vocari possit proportionis, quandoque proportionalitatis, tunc enim dici posset proportionalitatis, quando nomen refertur ad similitudinem duarum proportionum, ut cum quis dicit sicut se habent quatuor ad duo, ita octo ad quatuor, unde ad analogiam proportionalitatis requiruntur ad minùs tres termini, imò & aliquando quatuor, ut si quis diceret sicut se habent quatuor ad octo, ita se habent tria ad sex; Analogia verò proportionis tunc dici potest, quando tantùm est habitudo secundùm unam

propor-

proportionem ad aliud. Quidquid tamen sit, tenendum est cum Barone hanc esse simpliciter analogiam, quia in exemplis quæ ipse Mastrius etiam adfert non videtur esse planè analogia, quia ratio dupli, secundùm eandem rationem prædicatur de quaternario, octenario, & senario.

V. Analogia. Inæqualitatis quam simpliciter Baro rejicit tanquam speciem analogiæ & temerariò judicii capritio si ausû, vocat speciem ignorantiæ Logicorum *sunt illa Quorum nomen est commune, & ratio secundùm illud nomen est eadem, inæqualiter tamen participata quoad perfectionem*; sic homo & brutum conveniunt in nomine & ratione animalis, sed homo participat naturam animalis contractam per rationalitatem, differentiâ multô perfectiore irrationalitate, quæ contrahit ad brutum, ita ut natura animalis sit multo perfectior in homine, quàm in bruto; non quidem per essentiam animalis præcisè, sed per differentiam rationalitatis adjunctam, ita explicant communiter Scotistæ analogiam inæqualitatis. Aversa & quotquot admittunt diversos gradus univocationis & analogiæ. His prænotatis ad ipsam quæstionem decidendam. Nota Analogum duplicitèr sumi posse, uno modo formaliter, & alio modo materialiter, materialitèr sumptum est ipsum prædicatum quod denominatur analogum, formaliterverò est ipsa ratio analogiæ quæ ipsum denominat analogum; Unde quæstio potest intelligi de analogo materialitèr & formalitèr sumpto secundùm utramq; acceptionem resolutivè assero, benè defendi posse cum Mastrio & Belluto ut

VI. Dico I. *Nullum potest dari prædicatum analogum materialitèr sumptum, quod mediet inter æquivocum & univocum ut sic, bene tamen potest dici formaliter aliqualiter mediare.* Ita expressè docere Doctorem I. dicit Mastrius d. 8. q. 3. in solut. ad 3. Et ubi *sic habet licet unitas attributionis* (id est unitas analogiæ quam hic attributionis vocat) *non ponat unitatem univocationis, potest tamen stare cum illa*, quia dicit quòd minor unitas potest benè stare cum majori unitate, nam unitas analogiæ, minor est unitate univocationis, & major unitate æquivocationis, per quod sufficienter demonstratur unitatem illam esse mediam inter utramque, adeoque benè mediare secundum rationem formalem, non verò secundùm materialem considerationem, quod potissimum contra Thomistas controvertitur.

Probatur Itaq; conclusio quoad 1. p. Primò tum authoritate Scoti cit. tum D. Augustini cap. 9. Dialecticæ ubi sic habet: *Itaq; rectissimè à Dialecticis dictum est, ambiguum esse omne verbum*, id est omne verbum quod non est univocum (quod supra definierat quòd sit *res, quæ & nomine & sui interpretatione jungitur*) esse æquivocum, ergò ex mente ejus habetur nullum dari quod esset medium inter univocum & æquivocum.

Probatur conclusio secundò ratione: Si essent aliqua prædicata media inter univoca & æquivoca, maximè illa quæ dicuntur proportionis, ut est risus de homine & prato, sed hæc non sunt, ergò nulla dantur, major est Adversariorum, probatur minor. Quia risus sicut habet idem nomen cum risu de prato & de homine, vel habet etiam eandem rationem tàm in homine quàm in prato; si eandem, ergò erit univocum, si diversam, seu aliam & aliam, tunc erit æquivocum, ergò non erit aliquod medium inter utrumque extremum.

Confirmatur. Quia omnis res aut habet necessariò eandem rationem cum alia, vel diversam, ergò erit, vel necessariò univocum, vel æquivocum, patet ant. quia hæc sunt prædicata contradictoria esse eandem rationem, & non esse eandem, ergò etiam ista: habere eandem rationem & non habere, & consequentèr necessariò unum, vel alterum ei competere debebit.

Probatur conclusio tertiò. Omnes species consistunt in indivisibili secundùm Aristotelem, ergò ubicunque aliqua reperiatur, vel reperietur tota, vel nullo modo reperietur, sed si darentur analoga deberet partim reperiri & partim non reperiri, ergò non dantur analoga media, probatur ma. quia Aristoteles dicit quòd omnes species se habeant sicuti numeri, sed in numeris additâ, vel ablatâ quacunque minima unitate variatur species, ergò etiam ablatâ, vel additâ quacunque minima ratione variabitur species, & consequentèr sequitur ipsam in se indivisibilem esse.

Confirmatur conclusio Æquivoca etiam secundùm adversarios benè dividuntur in æquivoca à casu, & æquivoca à consilio: sed æquivoca à consilio sunt ea, quæ ab Adversariis vocantur analoga, ergò non dantur analoga distincta ab æquivocis & univocis.

Probatur etiam secunda pars Conclusionis, quia unitas analogiæ etiamsi reperiatur cum univocatione aut æquivocatione est tamen una major, altera minor: ergò secundùm se formaliter consideratum erit quid medium. Sed contra Conclusionem

Opponitur Authoritas Aristotelis 7. Met. cap. 5. ubi expressè videtur asserere dari analoga media inter æquivoca, prout etiam sentire videtur Aversa, ergò. R. tamen Aristotelem facilè explicare posse eum loqui quod dentur analoga formaliter sumpta, non verò de analogis materialitèr sumptis. Sed ex ratione etiam. VII. *Solvitur Aristoteles.*

Arguitur? Si non darentur analoga deberent vel univocis, vel cum æquivocis coincidere, sed cum neutris coincidere possunt, ergò dabuntur: probatur mi. quia univoca secundùm idem nomen & eandem rationem prædicantur, æquivocorum verò nomen est commune, ratio omninò est diversa: sed analogorum ratio non est omninò eadem, nec omninò diversa, ergò cum illis coincidere non possunt R. concessa ma. nego mi. cujus probationis primam partem distinguo, univoca prædicantur secundùm eandem omninò rationem, ita ut nulla admittant diversitatem nego ma. ita ut etiam aliquam diversitatem admittant, quæ tamen univocationem non impediat, concedo ma.

ma. & distincta similitèr altera parte, nego minorem & consequentiam.

Instatur Sequeretur univoca futura æquivoca, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia illa sunt æquivoca quorum nomen est commune, ratio verò importata est diversa, sed hic esset ratio diversa, ergò R. negando sequelam, cujus probationis minorem dist. esset ratio diversa secundùm essentiam specificam simplicitèr nego mi. esset ratio diversa secundum modum, vel ordinem contrahendi, aut secundùm perfectionem accidentalem concedo mi. & nego consequentiam; Itaq; sicut in priori quæstione ostendi, univocationis gradus sunt multiplices, adeoq; secundùm unum & alterum majorem, vel minorem diversitatem admittere possunt, quæ tamen non impedit simplicitèr univocationem, sed univocationem tantùm illam, quæ est in perfectissimo gradu.

VIII. Urgetur: Quæcunq; diversitas impedit univocationem, ergò nulla solutio; probatur ant. quia si non impediret, denominativa ad ea etiam reduci possunt, sed hæc non reducuntur, & hoc non ob aliam rationem, quàm quia diversimodè prædicantur, ergò nec analoga reducentur, & consequentèr sicut dantur denominativa media, ita debebunt etiam dari & admitti analoga. R. negando ant. cujus probationis ma. concessâ nego mi. quia denominativa aliquando reducuntur ad univoca & hoc frequentius aliquando etiam ad univoca, Ad rationem autem additam in illa minori dico eam non esse, nec consequentèr sequi quod si admittantur denominativa media etiam debeant admitti analoga, quia denominativa tantùm in quale prædicantur, analoga verò, in quid, sicut etiam prædicantur univoca & æquivoca, inter quas prædicationes cùm fiant in quid, benè admitti alia potest media in quale.

IX. *Melius est dicere nullo modo dari analoga media.* Dico 2. *Melius tenetur secundum nullam rationem dari analoga media inter univoca & æquivoca, id est, nec secundùm rationem formalem.* Hæc in terminis nullius est ante hac;

Probatur autem Conclusio authoritate *D. Augustini dicentis supra omne verbum esse ambiguum*, ergò præter æquivocum & univocum nullum datur medium.

Probatur Conclusio etiam ratione: Quia inter prædicata contradictoria non datur medium, sed prædicari de pluribus secundùm eandem rationem, & non prædicari de pluribus, secundùm eandem rationem sunt prædicata contradictoria, ergò non potest dari medium; subsumo, sed univoca prædicantur secundum eandem rationem, & æquivoca non prædicantur secundum eandem, ergò inter illa non potest dari medium.

Probatur Conclusio secundò. Si darentur analoga media inter univoca & æquivoca, maximè formalitèr accepta, sed hæc non dantur, ergò: probatur minor: Quia vel illa ratio prædicatur univocè, vel æquivocè de pluribus: si univocè, ergò ad illa reducetur si æquivocè, ergò reducenda erit ad æquivoca, ergò non erit ratio aliqua media. Confirmatur. Quia non est major ratio de analogis formalitèr, quàm materialitèr sumptis, ergò.

Opponitur: Authoritas Scoti supra, ubi videtur expressè afferere analoga mediare inter æquivoca & univoca, ergò. Conclusio est contra Doctorem. R. Scotum ibi aliud non intendere quam quod unitas analogiæ sit compatibilis cum unitate univocationis, quod est idem, ac dicere quòd aliqua æquivoca ita sint talia, in tàm imperfecto gradu, ut non implicet ipsis stare cum univocis similitèr minus rigorosè acceptis. Vel dic eum locutum fuisse cum communiori & ex mente Aristotelis; Quòd si autem replices Aristotelem supra admisisse analoga media, ergò: tunc R. negando quod ullo modo absolutè tenuerit hoc, nam postquam loco citato egisset de illis subdit. *Sed hæc quomodocunq; dicere quis velit nihil refert*, ego volo dicere quòd non dentur, ergò secundum Aristotelem nihil refert. X.

QUÆSTIO III.

De duabus Divisionibus & Regulis Ante-Prædicamentalibus.

Ad cognoscendum ea quæ in prædicamento sunt collocabilia, Aristoteles post traditas definitiones Æquivocorum & Univocorum duas divisiones rerum posuit, & duas regulas in prædicatione ordinata observatù necessarias, quas etiam cum Authoribus communitèr expediam brevitèr. I. *Primadivisio ante prædicamentalis.*

Itaque Divisio prima est, *Eorum quæ dicuntur alia cum complexione, alia sine complexione dicuntur*, Quæ divisio indicat ea quæ in prædicamento sint collocabilia, an videlicet complexa, an verò incomplexa, scilicet concomplexa, unde hæc definitio principalitèr est rerum, seu conceptuum objectivorum, & minus principalitèr vocum quatenùs res per eas significantur, ita ut sensus divisionis sit, rerum aliæ significantur conceptibus complexis, ut homo pugnat, leo currit, alia quæ significantur conceptibus incomplexis, ut homo, leo, nam complexio, & incomplexio primò convenit conceptibus, & secundariò vocibus.

Secunda Divisio est, *Eorum quæ sunt hæc. Eorum quæ sunt* (id est in rerum natura) *alia de subjecto* (id est parte subjectiva) *quidem dicuntur*, id est essentialitèr prædicantur, *in nullo verò prorsus subjecto sunt*, id est, in nullo accidentaliter inhærent, ut *homo*, qui essentialitèr prædicatur de *Petro* & *Paulo*, in nullo tamen subjecto est inhæsivè, & hujusmodi sunt omnes substantiæ secundæ universales. *Alia verò in subjecto sunt*, id est in subjecto accidentalitèr inhærent, *de nullo tamen subjecto dicuntur*, id est essentialitèr prædicantur, *ut albedo* quæ quidem inhæret parieti, non tamen essentialitèr prædicatur de pariete, aut ullo alio & hujusmodi sunt omnia accidentia singularia. *Alia de subjecto dicuntur, & etiam in subjecto sunt*: ut color qui inhæret parieti & prædicatur de parietis albedine essentialitèr, & hujusmodi sunt omnia accidentia universalia; *Alia deniq; neq; in subjecto sunt, neq; de subjecto* II. *Secunda Divisio est quadruplex.*

subjecto ullo prædicantur, id est, quæ nec ullo subjecto accidentaliter inhærent, neq; de ullo inferiori essentialiter prædicantur. *Petrus, Paulus*, & hujusmodi sunt omnes substantiæ primæ, seu omnia individua substantialia. Ex his duabus divisionibus sequentes duæ deducuntur regulæ, quas tradit Aristoteles cap. 3.

III. Prima Regula est: *Cum quidpiam de quopiam prædicatur* (nempe essentialiter) *ut de subjecto ea, quæ de prædicato dicuntur, dicantur etiam de subjecto*, sic quia homo prædicatur de Petro, & de homine prædicatur animal, etiam animal prædicari potest de Petro. Valet hæc regula ad cognoscendum ordinem eorum, quæ ponuntur in prædicamento; nam quæ in recta linea ponuntur debent esse essentialiter subordinata, ita ut superiora in inferioribus includantur & de illis quidditativè prædicentur. Unde hæc valet tantùm pro prædicatis essentialibus.

IV. Secunda Regula est, Pro iis quæ in prædicamento ponuntur non quidem in linea recta ut prior, sed in linea transversa & laterali ita ut in prædicamento progrediendo possimus generibus differentias constitutivas & divisivas assignare. Est autem hæc, *diversorum generum, & non subalternatim positorum diversæ sunt specie differentiæ: si verò subalternatim ponantur, easdem differentias habere possunt.* Pro cujus regulæ intelligentia notandum, tribus modis aliqua genera dici diversa; primò & propriissimè illa genera dicuntur diversa, quæ collocantur in diversis prædicamentis ut animal & scientia. quod exemplum ipse etiam attulit Aristoteles, & hæc simpliciter non sunt subordinata: secundò dicuntur diversa, quæ sunt ejusdem prædicamenti unum tamen non continetur sub altero, sed ambo sub tertiò: ut animal & planta continentur sub vivente, & hujusmodi genera possunt dici subalternata, non quidem inter se, sed sub tertiò. Tertiò possunt dici genera diversa quando in eodem prædicamento collocantur, ita tamen ut unum sub alio ponatur, ut animal & vivens. Quo notato difficultas est circa hanc regulam qualiter genera non subalternatim posita diversas specie differentias habent, quod brevitèr expediam unde.

V. Dico 1. *Genera primò modò diversa nullam habent differentiam communem.* Hæc est apud Mastrium communis cum Philosopho & Probatur: Quia non possunt in alia differentia communi convenire, nisi quæ esset divisiva aut constitutiva generis superioris, sed in nulla tali conveniunt excepto ente, quod non impedit quo minus dicantur primo diversa, vel in nulla differentia communi convenientia, nam licet sic videantur convenire in aliqua differentia communi transcendentali, videlicet limitationis, vel finitatis, Philosophus tamen loquitur de differentia communi prædicamentali.

VI. Dico 2. *Genera secundò modò diversa necessariò conveniunt in aliqua differentia communi generis, nempe in illa, quæ est constitutiva illius tertii, cui subalternantur.* Patet hæc Conclusio ex prima Regula, Quia quod convenit superiori per se primò, convenit etiam inferioribus, verbi gratiâ animali & plantæ quæ ponuntur sub vivente. Et per hoc patet etiam de generibus tertiò modò diversis, nam quidquid convenit viventi, convenit etiam animali propter rationem assignatam, quod etiam valet de differentia divisiva illius generis, ubi talis reperitur, quod videlicet etiam conveniat generibus diversis subalternatis illi tertiò. Dixi ubi talis reperitur, quia dantur genera aliqua diversa quæ subalternantur alicui tertiò generi, ut verbi gratiâ substantia corporalis & spiritualis subalternantur substantiæ, non conveniunt tamen in aliqua differentia communi divisiva substantiæ, quia nulla datur differentia divisiva ejus.

VII. Dico 3. *Nulla differentia divisiva unius, potest esse divisiva alterius generis.* Ita Doct. q. 10. Prædica: prout ipsum Mastrius cit. disp. 6. Log. q. 4. Probatur, Quia si una differentia divisiva unius generis, esset divisiva alterius generis sequeretur idem esse in diversis generibus subalternis, sed hoc implicat, ergò: probatur sequela: Quorum differentia est una, unam habent essentiam: unitas etenim non potest convenire, nisi ab aliqua differentia eadem sicut diversitas à diversa: probatur etiam minor; Quia implicat genera disparata etiam ejusdem prædicamenti eandem habere essentiam, ut patet de animali & planta.

Differentia divisiva unius non est divisiva alterius.

QUÆSTIO IV.

De Numero Prædicamentorum.

I. Antequam ad ipsam quæstionem pro positam resolvam, Præmittendum est brevitèr ipsinsmet prædicamenti in se examen, quod ordinariè describitur *series, seu coordinatio rerum, seu graduum secundùm subjicibilitatem & prædicabilitatem sub aliquo supremo genere subordinatorum*; quæ descriptio quidem ab omnibus recipitur, verùmtamen non caret omni difficultate: nam dantur maximè in communi sententia multa prædicamenta quæ non habent sic suprema genera, ut etiam genera sub se haberent subalterna: ut patet de actione, passione, &c. nec etiam prædicamenta ab Aristotele ita sunt suprema, quin supra se habent adhuc aliud genus magis latè patens, ens utiq; supereminet tàm substantiam quàm accidens, quare dicendum est quod illa particula sub aliquo supremo genere non est sic intelligenda (stando in communi sentia, in cujus favorem hoc limito) quasi necessariò deberet sub se habere genera subalterna; sed intelligitur si aliquando sunt, quia ut notat Scotus 1. d. 8. q. 3. *non est de ratione & essentia prædicamenti ut habeat sub se similia genera*; nec etiam intelligenda est quasi illud genus ita deberet esse supremum, ut nullum omninò supra se aliud genus, sed quod nullum habeat supra se superius ex illis rebus, quæ ad illud prædicamentum spectare dicuntur, verbi gratiâ non propterea præcisè substantia finita dicitur supremum genus prædicamenti substantiæ, quia supra se aliud genus non habet, sed quia nullum aliud genus habet supra se quod esset de prædicamento substantiæ, nec Quantitas & qualitas dicuntur genera suprema, quia non habent aliud Genus supra se, sed quia non habent aliud supra se, quod esset de quantitate & qua-

Describitur prædicamentum.

litate quia habent supra se accidens absolutum; similitèr reliqua habent supra se genus accidens respectivum, non tamen propterea non sunt prædicamenta, quia nullum genus habent supra se quod spectaret ad prædicamentum quodcunq; particulare; Quod si dicas accidens respectivum esse genus supra accidens, & prædicamentum ad aliquid, quia adhoc propriè spectat, nihil dicis, quia Prædicamentum ad aliquid non est quodcunq; accidens respectivum, sed illud quod intrinsecè advenit, unde accidens varie primâ sui divisione dividitur in absolutum & respectivum, respectivum iterum in intrinsecus & extrinsecus adveniens, hoc posterius tandem in illas sex ultimas classes. Hoc præmisso Circa titulum quæstionis Variæ & multiplices tum Antiquorum, tum Recentiorum fuêre sententiæ, nam Plato unicum tantùm admisit prædicamentum scilicet ens: Xenocrates & Andronicus duo, substantiam & accidens; Alii posuerunt tria substantiam, scilicet & accidens absolutum & respectivum, alii quatuor substantiam, quantitatem, realitatem, & relationem, Ita Pavesius, Ammonius &c. & sic ulterius usq; ad Denarium numerum, sicut tenent ordinariè omnes Peripatetici. Econtra verò nonnulli in tantùm numerum auxerunt & planè duplicarunt: nam Pithagorici viginti posuerunt, Ego in hac materia indifferentem me geram, & sicut de numero universalium resolvi, hinc & illinc sic quoq; faciam in numero Prædicamentorum unde.

Variæ sententiæ circa numerum prædicamentorum

II. *Plura admitti possunt, quam decem.*

Dico 1. *Stando præcisè in rationibus plura admitti possunt prædicamenta quàm decem.* Hæc licet apud Authores passim quos legi in terminis non proponatur, in revidetur esse communis & omnium illorum, qui de sufficientia in ratione assignanda, pro illis decem dubitant.

Probatur Conclusio primò.

Secundùm Aristotelem actio & passio constituunt duo prædicamenta, ergò possunt etiam constituere duo ubi actuum & passivum ubi, probatur consequentia, quia omnis ratio quæ probat dari illa distincta membra, probat etiam ubi activum & ubi passivum posse constituere duo prædicamenta distincta, quo supposito erunt decem & unum supra, similitèr, deberent assignari duo prædicamenta pro Quando, nam tempus, mensura & homo mensuratur, item pro habitu, nam vestis vestit & homo vestitur, & sic jam erunt tredecim.

Probatur Conclusio secundò.

Quia sicut accidens dividitur in novem prædicamenta, sic poterit etiam dividi substantia imò ob perfectionem majorem debebit, ergò: probatur ant. Quia eadem ratione quâ accidens impenetrabile constituunt duo prædicamenta, sic poterunt constituere duo substantia corporea & incorporea; item substantia corporea corruptibilis & incorruptibilis, ergò & quia plus differunt substantia spiritualis & corporalis, quàm quantitas & qualitas, similitèr corruptibilis & incorruptibilis, ergò debebunt & poterunt constitui plura prædicamenta quàm decem.

Probatur Conclusio tertiò.

Quantitas virtutis est tàm verè quantitas, sicut est quantitas molis, sed quantitas virtutis non continetur in quantitate molis, nec in ullo alio prædicamento, ergò debebit constituere aliud particulare.

Probatur Conclusio quartò.

Positivè enervando rationem primariam divisionis. Hæc decem prædicamenta non continent omnes res defacto existentes, ergò non est divisio adæquata: probatur ant. Quia Christus Dominus non est ponibilis in aliquo prædicamento ex illis decem Aristotelis, ergò non ponuntur omnia in illis consequentèr divisio non est adæquata: probatur ant. Quia si poneretur in aliquo prædicamento, maximè inprædicamento substantiæ, sed inprædicamento substantiæ poni non potest, ergò: probatur mi. Quia non potest poni ut substantia secunda, nec ut prima, ergò, probatur quòd non ut secunda, quia Christus non est substantia communis; nec etiam ut substantia prima, quia destructo Christo nulla substantia destruitur necessariò, sed sola unio hypostaticæ naturæ humanæ ad verbum Divinum manente utroq; extremo, ergò non potest poni in prædicamento substantiæ, sed pro Christo Domino benedicto assignari deberet etiam particulare prædicamentum, quia solus DEUS secundùm se ab Aristotele à prædicamento excluditur, imò pro DEO super omnia benedicto potest poni aliquod particulare prædicamentum, sicut etiam pro entibus rationis negativis & privativis, ergò stando rationi præcisè plura poterunt poni prædcamenta, quàm decem.

III. *Etiam pro sumsentibus pauca.*

Dico 2. *Staudo præcisè rationibus etiam liberè admitti possunt pauciora prædicamenta quàm decem maximè si genus supremum sumatur non pro illo quòd nullum aliud habet super se, sed pro aliquo supremo secundùm quid & in aliquo certo ordine.* Videtur esse Eorundem Authorum qui supra &c. licet non æqualitèr ab omnibus teneatur mani.

Probatur Conclusio primò.

Quia quemadmodum omnis substantiarum diversitas ponitur in uno prædicamento substantiæ, ita omnis accidentium diversitas poni potest in prædicamento uno, quo facto non erunt nisi duo prædicamenta, ergò stando rationi benè possunt admitti aliqua prædicamenta pauciora quam decem, probatur ant. Quia ens finitum in sua latitudine primâ sui divisione dividitur in substantiam & accidens, ergò benè possunt ista duo poni pro duobus prædicamentis, quia etiam tunc servabuntur exactè requisitæ regulæ ad bonam aliqnam divisionem, quia tunc observabitur quòd fiat divisio in proximiora membra sitq; bimembris &c. ergò.

Probatur Conclusio secundò.

Quia quemadmodum accidens ut sic univocè dicitur de omnibus accidentibus tàm absolutis quàm respectivis, ita accidens absolutum dicitur univocè de omnibus absolutis & respectivis de omnibus respectivis dici poterit univocè, & sic tantùm tria erunt prædicamenta, ergò.

Probatur Conclusio tertiò.

Acccidens respectivum intrinsecus adveniens unum constituit modo prædicamentum, ergò etiam accidens extrinsecus adveniens constituere

tuere poterit unum, & sic erunt tantùm quatuor, ergò: probatur ant. Quia eandem unitatem & communitatem habet accidens extrinsecus adveniens respectu suorum inferiorum, quam habet accidens intrinsecus adveniens, sed hoc constituit tantùm unum prædicamentum, ergò & illud non constituit nisi unum adeoq; sequetur tunc tantùm futura quatuor prædicamenta.

IV. Dico 3. *Si Ens sumatur in rigore prout est ille gradus supremus generalissimus, qui non habet alium supra se, qui haberet rationem generis, tunc unum potest statui prædicamentum.* Hæc videtur esse de mente Scoti 1. d. 8. q. 3. N. ubi non obscurè ens finitum genus supremum ad decem genera prædicamentorum. Probatur brevitèr, quia sicuti omnes substantiæ definito ponuntur sub uno prædicamento substantiæ, ita omnes substantiæ & omnia accidentia simul possunt poni sub uno ente, & sic tunc non erit nisi unum prædicamentum, ergò: probatur ant. quia nihil impedit quo minus ens finitum sit genus supremum ad omnia entia finita, ergò:

Dices. Ens non est univocum, sed analogum, adeoq; perfectè genus esse non potest. Verùmtamen hoc nihil est dicere, quia ut supra dixi, benè stat analogia cum univocatione, & ens potest dicere conceptum à differentiis præcisum.

V. Dico 4. *In Sistendo Authoritati adæquatè assignantur decem prædicamenta, idq; ad bonam intelligentiam in Scholis de facto necessariò sit.*

III. Prima pars Conclusionis est communissima; Et Patet, quia non modo Aristoteles pluribus in locis asserit decem esse Categorias, verùm etiam illas expresè specificat. cap. 4. de præd. *Eorum quæ secundùm nullam complexionem dicuntur unumquodq; aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm, esse aut habere, aut agere, aut pati.* Similitèr eas enumerat D. Augustinus in Categ. cap. 8. *Eorum quæ nullâ copulatione sui dicuntur, quodq; singulare dictum fuerit aut usiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut facere, aut pati, aut ubi, aut quando, aut habere,* Et licet harum Categoriarum primus inventor fuerit Architas Tarentinus, Aristotele tamen approbante & solidè defendente suam esse fecit, ut proinde ex ejusdem approbatione omne robur in Scholis acceperit, ut quodammodo nefas sit refragari, ita ut Suaretz numerum prædicamentorum vocet *dogma philosopicum.*

VI. Probatur Conclusionis eadem pars ratione, Illa est bona & adæquata divisio, quando divisum adæquatur omnibus membris dividentibus inter se distinctis, sed talis est hæc divisio, ergò est bona & adæquata, ma. est certa, probatur minor ex suppositio, quòd divisum sit ens in sua tota latitudine finitum; Quia quodlibet prædicamentum est diversæ rationis à quolibet & nullum est ens finitum quòd non spectet ad aliquod existis decem, ergò divisio est adæquata; probatur ant. quoad secundam partem, de qua sola in præsenti est quæstio; quia prima probabitur in quæstione sequenti. Quia omne ens reale finitum aut est substantia, aut accidens; si substantia, constituet primum prædicamentum; si accidens, aut est absolutum, aut est respectivum; si absolutum, aut est principium formale impenetrabilitatis & est *quantitas*, aut est penetrabile ex se, & est *qualitas*: si est respectivum, aut est intrinsecus adveniens, & constituet prædicamentum *ad aliquid*: aut extrinsecus adveniens; & est id quod requiritur ad communicandum esse formalitèr, tanquam determinatio actualis, aut id quod non sic requiritur: si primum, vel est determinatio activa & est *actio*, vel est passiva & est *passio*; si respectus extrinsecus adveniens, qui non sit talis determinatio, vel requiritur ad aliquid ponendum in loco formalitèr & est *ubi*, vel in tempore & est *quando*, vel est dispositio partium rei corporeæ & est *situs*: vel ordo rei ad habitum, vel vestitum, & est *habere*, sed nullum ens reale finitum assignari potest quòd non sit aliquod horum, vel reducatur ad unum existis, ergò est divisio bona & adæquata.

VII. Probatur 2. pars Conclusionis. Quia si non observaretur hic numerus denarius, in Scholis frequentèr non intelligeremus oppugnantes, quia quilibet arguere deberet ex suppositione illius sententiæ quæ ponit decem prædicamenta, adeoq; frequentèr difficultates aliæ examinandæ terminarentur in quæstione de divisione & numero prædicamentorum, ergò necessariò retinendus est hic numerus denarius ad bonam in Scholis inter pro, & oppugnantes intelligentiam.

VIII. Contra hanc Conclusionem militant omnia argumenta stipendiaria pro prioribus adducta, quæ tamen non expugnant, nam aliud non probant quàm quòd plura, vel pauciora prædicamenta statui potuissent, nec id in conclusione nostra negamus, sed solùm asserimus quòd stando authoritati benè & adæquatè & nunc ad bonam in Scholis intelligentiam necessariò assignentur decem, unde non agimus de eo quod fieri potuisset, sed quid benè factum sit. Quare claritatis gratiâ brevitèr aliquid respondeo, quasi ad singula in particulari, unde ad primam probationem primæ conclusionis. R. negando consequentiam & paritatem, disparitas est quia actio & passio veram realémq; agendi & patiendi rationem habent, non tamen ubi activum, & passivum: nam licet grammaticalitèr circumscriptio activa quæ fundatur in loco circumscribente significetur per verbum activum, non est tamen vera actio, & idem dicendum est de ubi passivis quod veram passionem non significat, ac omnibus aliis prædicamentis posterioribus, Et ratio ulterior est, quia ubi activum est ipse locus locans, locus autem est quantitas recipiens locatum, nulla autem quantitas est activa efficientèr, sed solùm quasi formalitèr, Quod si dicas hanc solutionem nondum esse adæquatam, quin ex ratione actionis debeant admitti plura prædicamenta, quia sicuti propter causæ efficientis & materialis datur actio & passio, ita etiam debebit assignari prædicamentum propter actionem finalis & formalis; tunc Respondeo id quidem verum

Solvuntur argumenta superiora.

esse, quòd debeant aliqua prædicamenta assignari eis, sed nego quòd debeant esse distincta ab illis decem, actio enim causæ finalis simpliciter ad actionem reducitur, formalis verò reducitur ad passionem, quia quando subjectum informatur verè patitur & totum constitutum quodammodo patitur & constituitur passivè, quamvis dici absolutè non posset esse verè, propriè & rigorosè passionem, sed minus propriè. Ad secundum argumentum R. Hic non attendi majorem, vel minorem perfectionem entitativam, quia sic dubio absq; est quòd pro substantia deberent assignari plura prædicamenta quàm unum, quia certissimum est eam esse multo perfectiorem, quàm sit accidens, sed attenditur multiplicitas & diversitas in essendi quæ multoties in accidente variatur, & quia accidentia etiam sunt plura quàm substantia, & quia accidentia sunt magis obvia sensibus, quæ rationes moverunt Aristotelem & Authores passim, ut plura prædicamenta ponerent accidentium quàm Substantiæ. Ad tertium argumentum dico, quantitatem molis reduci ad substantiam, vel ad qualitatem. Ad quartum affero sermonem esse apud nos de prædicamentis naturalis ordinis non verò ordinis supernaturalis, unde Salvatorem nostrum Jesum Christum simpliciter excludimus à prædicamento sicut etiam ipsum DEUM benedictum secundùm se de quo plura infra. Et per hæc patet quomodo respondendum sit ad alia argumenta secundæ & tertiæ conclusionis; Contra quas conclusiones universaliter.

IX. *Solvitur authoritas Aristotelis.*

Opponitur: Authoritas Aristotelis 10. Met. 12. & 5. Met. 12. dicit: *illa decem prædicamenta esse primò diversa*: id est, in nulla realitate generica convenientia, ergò poterunt pauciora poni, quia alioquin deberet mediare aliqua ratio generica. Similiter 12. Met. t. 19. & 28. *dicit principia rerum id est naturas prædicamentorum non esse eadem, sed diversa, & si dicuntur eadem hoc non fieri nisi analogicè.* Post. 108. *dicit unam propositionem in qua unum generalissimum negatur de alio esse immediatam, ut hæc substantia non est quantitas, quia non datur prædicatum superius quod de uno dicatur & non dicatur de alio*, Et 8. Met. t. 16. *ens cùm dividitur in decem genera non esse genus* ideoq; non esse ponendum in definitionibus eorum quæ ex genere & differentia constant. Sed R. ad 1. Authoritatē, Philosophum per eam non velle quasi in nulla realitate generica deberent, vel possent convenire, sed ea esse ita diversa, ut non modo specie differant, sed & genere, quia nihil unius prædicamenti continetur sub altero. Ad secundam dico eam loqui de principiis rerum, id est materia, forma, & privatione, quæ non nisi analogicè sunt eadem: Ad tertiam Respondeo distinctionem vocat illam propositionem immediatam, si omnia illa decem prædicamenta sumantur veluti immediatè substantia enti finito concedo; si verò sumantur subordinatè pro ut ens primo descendit in substantiam, & accidens, & accidens in absolutum & respectivum, nego ant. & consequentiam corde dedicendam, Quia tunc posset per hoc probari quòd substantia non sit accidens quemadmodum probaretur quòd non sit substantia. Quartam similiter distinguo, Ens non est genus, si transcendentaliter sumatur veluti propria passio concedo, si sumatur prout dividitur in illa decem membra, nego ant. & consequentiam; imò cum Doctore respondere potest eum ibi non resolutivè, sed disputativè loqui.

Arguitur Etiam ex ratione Divisionis X. entis in decem prædicamenta est realissima à parte rei, ergò non est liberum intellectui, vel voluntati facere plura, vel pauciora, patet ant. quia revera non fit per operationem & fictionem intellectûs, vel alterius potentiæ probatur consequentia, quia nec intellectus, nec voluntas possunt aliquid reale extra se producere, ergò nec realem coordinationem rerum mutare, & consequentèr non erit liberum eis facere plura, vel pauciora prædicamenta, sed R. dist. est realissima quoad subordinationem graduum inclusorum divisi in membris dividentibus, & quoad entitatem quomodocunque consideratam concedo ant. quoad enumerationem & assignationem plurium graduum mediantium & intercedentium, & quoad eorundem restrictionem, nego ant. & similiter distinguo consequens, & nego consequentiam. Itaq; licet illæ series, seu rerum coordinationes sint veræ & aparte rei, adhuc tamen liberum est ut intellectus enumerare plures, vel enumerare pauciores possit, quia per hoc non variantur & mutantur entitates, sed ex pluribus gradibus inclusis aliqui recensentur, non recensitis aliis, quod in Moralibus, vel Civilibus facilè declaratur: nam Imperator, vel Rex Catholicus in pluribus suis regnis habet Legiones militum ad defensionem Patriæ cujuslibet, potest tamen omnes legiones dicere unum exercitum, vel plures, & quamvis quælibet legio supremum haberet caput adhuc Generalissimum ipsis sufficere & præponere potest, quam singuli respiciant. *Licet divisio entis realis sit possint tamen prædicamenta augeri & minui.*

Instatur: Unum & multa sibi opponuntur, sed si plura sunt, ergò ad minus non poterit dici quod tantùm unum sit. R. dist. ant. si eodem modo & sub eodem respectu sumantur, concedo ant. si diversimodè diversoq; respectu accipiantur nego ant. & consequentiam. Itaq; præterquam quod supra docui unitatem non esse ita unam, quin sub alia ratione possit dividi in multa, scilicet unitas generica in multas species, unitas, specifica in multa individua etiam in ipsa conclusione; tertia limitavi rigorem per hoc quòd addiderim si genus rigorosè sumatur, non verò si sumatur minùs rigorosè.

QUÆSTIO V.

Quomodo prædicamenta inter se distinguantur?

Quæstio hæc non procedit de prædicamentis illis quæ ad libitum sibi quilibet stando & insistendo rationi fabricare & coordinare possit, quia sic non esset dubium, quin diversa prædicamenta sibi identificari possint, ita ut nullo modo realitèr distinguantur: quia si pro omnibus proprietatibus passionibus & differentiis specialia collocarentur, non esset dubium quòd realitèr identificarentur rebus quarum sunt proprietates & passiones; Est ergò sermo I. *Forma illa cem prædicamenta naturæ ens*

sermo de prædicamentis Aristotelicis prout communiter in Scholis circumferuntur, & de iis prout primæ sunt intentionis, non verò prout subsunt secundis intentionibus; Circa quam materiam duplex est sententia, prima est Thomistorum asserentium ea non distingui distinctione ex natura rei, sed solùm aliqua distinctione rationis ratiocinatæ; Thomistas sequuntur Vasquetz, Suaretz, Toletus, Hurtadus, Aversa &c. Secunda est Scotistarum post Doctorem 2. d. 3. q 4. D. quos sequuntur Nyphus, Paulus, Venetus, Cajetanus, Cum qua sententia ad quæstionem resolutive.

II. Dico. *Probabile est decem prædicamenta Aristotelica, prout per Scholas vagantur, realiter inter se distingui*: hæc est ad mentem sententiæ posterioris.

Probatur Conclusio primò.

Res quæ sunt ejusdem prædicamenti distinguuntur realiter, ergò etiam res diversorum prædicamentorum ant. patet, nam substantia spiritualis & corporea sunt ejusdem prædicamenti & tamen certùm est substantiam spiritualem & corporalem distingui realiter, ergò: probatur etiam consequentia. Res diversorum prædicamentorum plus differunt quàm res ejusdem prædicamenti, sed res ejusdem prædicamenti distinguuntur realiter, ergò etiam & multo magis res diversorum prædicamentorum, probatur ma. quia res diversorum prædicamentorum sunt genera primò diversa, id est in nulla realitate generica convenientia, sed quæ non sunt sic convenientia necessariò distinguuntur, ergò; probatur mi. quia nullam possunt habere differentiam communem, ergò.

Probatur Conclusio secundò.

Substantia essentialiter distinguitur ab accidente, sed primum prædicamentum est substantia, secundum, tertium &c. usque ad decimum sunt accidentia. ergò etiam ab illis distinguitur: subsumo, sed eâdem ratione differunt etiam secundum & tertium à quarto, & sequentibus: quia omne absolutum realiter distinguitur ab omni respectivo quod est simpliciter tale, ergò distinguuntur omnia realiter; Probatur subsumptum, Ideo substantia distinguitur ab accidente, cùj; non potest identificari. quia illa est ens per se, accidens ens in alio, sed accidens absolutum est ens ad se, accidens verò respectivum ens ad aliud, ergò etiam distinguentur.

III.

Probatur Conclusio tertiò.

Si aliqua duo entia realiter identificata possent poni in diversis prædicamentis, ut de substantia, & quantitate docent Adversarii, de fundamento & relatione (de quibus infra) non esset ratio quare proprietates & differentiæ rerum non ponerentur directè in aliquo prædicamento, quod tamen adversarii non fatentur, sed hoc est absurdum, ergò, nullæ duæ entitates sibi identificatæ ponuntur in diversis prædicamentis, consequentèr sequitur quòd omnia erunt realiter distincta.

Dices. Magnam esse diversitatem de proprietatibus & differentiis, & de ipsis prædicamentis: quia proprietates & passiones debent reduci ad illud prædicamentum, cujus sunt proprietatis. Sed contra; Ideo proprietates, passiones & differentiæ debent reduci ad illud prædicamentum cujus sunt, quia ipsi realiter identificantur, sed si non distinguerentur ab ipsis invicem, realiter sibi invicem identificarentur, ergò deberent etiam ad idem prædicamentum reduci, propter omnimodam rationis paritatem; ergò nullæ duæ res realiter identificatæ ponuntur in diversis prædicamentis.

IV. *Solvitur authoritas Scoti.*

Opponitur: Authoritas Scoti 2. d. 1. q. 5. Ubi concedere videtur posse negari res diversorum prædicamentorum distingui realiter, & sufficere distinctionem formalem, ergò ex mente Scoti non distinguuntur realiter. R. negando consequentiam, quia ibi Scotus non locutus est assertivè, sed solummodo in responsione ad argumentum, quia videbatur sufficere pro solutione illius argumenti, quia si prædicamenta formalitèr distinguuntur, relatio creaturæ ad DEUM cùm sit formalitèr separabilis à creatura, poterit poni in alio prædicamento, unde aliam ibi dat resolutionem adhuc; Unde hoc potius adfert ex mente aliorum.

Scotus dicit figuram esse nomen æquivocum.

Instatur. Scotus citatus q. 1. non ex mente aliorum, sed assertivè dicit figuram spectare ad quantitatem, quatenus est superficies terminata lineis; quatenus verò dicit ipsammet terminationem linearum, spectare ad prædicamentum qualitatis, ergò non solvitur argumentum ex authoritate. R. negando consequentiam. Quia Scotus non dicit unam eandem rem quantumcunque consideretur diversimodè spectare diversa prædicamenta, sed docet figuram esse nomen æquivocum & significare duo distinctæ rationis, primò enim significat superficiem terminatam lineis, & sic sumptam spectare ad prædicamentum quantitatis: secundò dicit ipsam terminationem quæ distinguitur realiter & à lineis terminantibus, & à superficie terminata. & sic ipsam spectare ad prædicamentum qualitatis, quod nihil est contra nos, imò etsi apertè hoc Scotus assereret, conclusio nostra non rueret, quia tantùm dicim⁹ id probabile esse quod realiter distinguantur, per hoc enim non nego probabilitèr quoque posse sustineri non distingui realiter. Sed

Habitus spectat ad duplex prædicamentum accidentalitèr.

Urgetur. Habitus est una eademque res significans vestem, vel tunicam aptam ad corpus cooperiendum, sed hic spectat ad duplex prædicamentum scilicet substantiæ & habitus, ergò una eademq; res non in sensu æquivoco spectat ad diversa prædicamenta, probatur minor, quia certum est, quod in quantum est substantia spectet ad prædicamentum substantiæ, & in quantum refertur advestitum adhabitum, ergò. R. distinguendo mi. habitus spectat ad duplex prædicamentum essentialitèr nego mi. accidentalitèr & denominativè concedo mi. quia res essentialitèr unius prædicamenti, accidentalitèr denominatur alterius: sic non modo habitus ad substantiam & habitum spectat, sed etiam Petrus essentialitèr spectat ad prædicamentum substantiæ, accidentalitèr & denominativè ad prædicamentum ad aliquid, in quantum Pater, quæ ratio paternitatis est accidens adveniens ipsi, & ab ipso separabile, sic habitus spectat etiam ad ultimum prædicamentum, in

in quantùm est fundamentum relationis habitus.

V. *Relationes mobilitatis &c. reducantur ad substantiam*

Arguitur: Ex ratione. Relatio dependentiæ creaturæ ad DEUM veluti ad creatorem. Item relationes mobilitatis, risibilitatis, & omnes aliæ aptitudinales spectant ad prædicamentum relationis, sed istæ nõ sunt realitèr distinctæ, sed potius realitèr identificatæ, ergò omnia decem prædicamenta non sunt inter se realitèr distincta, ℟. negando ma. Propter illam universalem regulam, quòd *quidquid realitèr identificatur alicui, debet reduci ad prædicamentum illius rei cui realitèr identificatur*, sic omnes relationes reales identificatæ substantiæ reducuntur ad prædicamentum substantiæ, non quidem formalitèr & directè, sed reductivè & propter identitatem,

Tales sunt etiam omnes transcendentales.

Instatur: Omnes relationes intrinsecus advenientes spectant ad prædicamentum ad aliquid, sed enumeratæ relationes sunt omnes intrinsecus advenientes, ergò spectant ad quartum prædicamentum, patet ma. quia sicut omnes quantitates, vel omnes qualitates reducuntur ad quantitatem & qualitatem, ita etiam relationes reducentur ad relationem; probatur mi. quia illæ sunt relationes intrinsecus advenientes quæ positis extremis necessariò resultant, sed enumeratæ relationes positis extremis necessariò resultant, ergò: ℟. dist. ma. Relationes intrinsecus advenientes prædicamentales concedo ma. transcendentales nego ma. similitèr distinguo mi. sunt relationes prædicamentales nego mi. transcendentales concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; quidem verum est quòd omnes relationes intrinsecus advenientes spectent ad prædicamentum ad aliquid, non verò transcendentales, quæ tales vocantur: quia suis subjectis identificantur, ut licet necessariò sequantur, non sequantur tamen distinctæ, sed realitèr identificatæ.

Urgetur. Ideò relationes similitudinis ponuntur in prædicamento ad aliquid, quia sunt intrinsecus advenientes, ergò etiam istæ poni debent in illo, Probatur consequentia, quia non est ratio, quare potius relationes similitudinis in quarto collocarentur prædicamento & non etiam relationes dependentiæ mobilitatis & omnium aliarum aptitudinalium, ergò. ℟. concedendo ant. & consequentiam negando, disparitas est, quia relatio similitudinis participat rationem accidentis, non sic verò participant relationes identificatæ, nam relatio similitudinis aptitudinem habet ad inhærendum alteri, quam aptitudinem non habent allegatæ illæ alteræ, cùm sint identificatæ substantiis quæ nullo modo alteri inhærere possunt, unde si mavis poteris distinguere ant. Ideò de eo quia sunt accidentia concedo, ideò præcisè in quantùm posito fundamento sequuntur nego ant. & consequentiam.

QUÆSTIO VI.

Quænam conditiones requirantur ad Ens prædicamentale, seu ut aliquid ponatur in prædicamento?

I. *Si alia prædicamenta ponerentur ab istis deberent etiam esse alia conditiones.*

Hæc quæstio quoque instituitur ex suppositione communis sententiæ ponentis decem genera prædicamentorum, & de mente Aristotelis, nam hac seclusâ, licet, sicut Aristotelis defacto & post ipsum communis requirit, ut illud quod ponitur in prædicamento sit ens finitum, ita non videtur quare ens non possit poni pro genere generalissimo, & sic sub eo tàm DEUS benedictus, quàm creatura poneretur, imò non video quare non posset simplicitèr poni sub genere substantiæ, quæ primâ sui divisione divideretur in Increatam & creatam sumendo genus & substantiam pro aliquo conceptu communi contrahibili per modos intrinsecos, ita quod non requiratur ut contrahatur per differentias aliquas veras: secundò quod requirit debere esse ens reale per se completum & etiam voluntarie & gratuitò asseritur ab Aristotele, cùm non implicet ponere aliquam coordinationem rerum per accidens, incompletarum, negationum privationum & entium rationis; Verùmtamen, quia dixi propter bonam in Scholis correspondentiam non esse à communi divisione; quæ jam rationem axiomatis Philosophici habet recedendum, ideò etiam eas conditiones quas Aristoteles requirit ad collocationem in prædicamento hic examinabo. Unde pro clariori intelligentia dicendorum.

II. *Explicatur quid sit rem poni in prædicamento.*

Notandum primò. Poni rem aliquam in prædicamento nil aliud esse, quàm posse habere rationem subjecti in illa serie & coordinatione rerum, quæ prædicamentum appellatur, seu in illo ordine deducto à supremo genere per species intermedias, usque ad ultimum individuum. Triplicitèr autem potest aliqua res poni in prædicamento, directè scilicet, indirectè & reductivè; directè ea ponuntur, quando genus supremum in linea recta prædicari potest de iis in quid veluti de genere sub alterno, specie & individuo; indirectè, seu collateralitèr ponuntur illa, per quæ naturæ genericæ dividuntur & species constituuntur, & sunt omnes differentiæ essentiales: Reductivè denique ea poni dicantur quæ neutro modo dicto collocantur, pertinent tamen aliquomodo ad illa quæ sic ponuntur, vel ut partes integrantes, ut manus, caput, pedes &c. vel ut partes Physicæ essentiales, ut materia, forma respectu compositi Physici, vel ut passiones & proprietates, vel ut rerum termini, ut puncta respectu lineæ, vel ut negationes & alia hujusmodi.

III. *Quæ sint entia completa.*

Notandum secundò. Illa dici entia completa Physicè, quæ, vel non concurrunt, vel non sunt nata concurrere tanquam partes ad compositionem alicujus Physici, vel essentialem, vel integralem, vel si nata sunt concurrere ad compositionem integralem, adhuc tamen ita concurrunt ut habeant denominationem totius quod constituunt, eandémq; essentiam Metaphysicam: tunc adhuc debent censeri entia completa ut contingit in partibus homogeneis & similibus, verbi gratiâ aquæ, cujus partes separatæ habent eandem essentiam Metaphysicam aquæ, eandémq; denominationem quòd sint aqua &c. hoc verò non contingit in partibus heterogeneis, nam licet manus abscissa, imò corpus ab anima separatum videatur habere rationem totius, eam tamen non habet: nam imprimis dicit semper rationem partis, quia

quia etiam in statu separationis habet aptitudinem ut informetur ab anima velut pars integralis, nec etiam ullo modo habet eandem essentiam Metaphysicam quam ante habuit, unde similes partes, vel etiam corpus posset dici poni in prædicamento non quidem veluti pars essentialis, sed veluti aliquod totum integrale. Metaphysicè verò completa ea censentur ad hoc ut in prædicamento collocari possint, quæ sunt prædicabilia de suis inferioribus in quid, & per modum totius potentialis, ac veluti per se stantis, ut sunt genera & species, hinc differentiæ excluduntur quæ non prædicantur de suis inferioribus in quid & per modum per se stantis, sed per modum accidentis & in quale.

IV. *Deducuntur ea per se.*

Notandum tertiò. Ens per se illud esse quod non est compositum ex subjecto & accidente, neque ex partibus quæ per se & ex natura sua non sunt ordinata ad mutuam unionem ad modum perfectivi per se, & perfectibilis per se; è contra verò illud est ens per accidens, quod sic còmponitur scilicet ex subjecto & ex accidente, & ex rebus quæ non sunt natæ ad mutuam inter se unionem, exemplum primi est *album*, verbi gratiâ homo albus; exemplum secundi est acervus lapidum. Unde autem colligatur quod aliquid sit ens perfectibile per se, & alterum perfectum ordinaria assignatur regula duplex: Primò quando res sunt diversorum prædicamentorum, quæ cùm ex communi inter se realitèr distinguantur, res in eis collocatæ sunt etiam realitèr distinctæ, & ideò, quia unum non ordinatur ad alterum, nec unum ab altero necessariò ex natura sua præcisè & intrinsecò dependet, ideò faciunt unum per accidens, sic albedo, quia ipsa non est nata esse partem alicujus entis intrinsecam, ideò cum homine facit ens per accidens, materia verò & forma faciunt unum per se, quia ex natura sua est pars entis intrinseca receptiva actûs & perfectionis per se, scilicet formæ, hinc est altera regula, tunc etiam fieri unum per se, quando neutrum est ens completum & directè in prædicamento collocatum, ut liquet de materia & forma, quia quidquid directè in prædicamento ponitur ex rebus Physicis, debet esse ens completum, ut statim dicam, quod verò est ens completum non est ab alio perfectibile saltem per se, & hæc regula universalis erit si addas, si fuerit ab eo realitèr distinctum, unde Plato & Buccephalus non faciunt unum per se: Et per hanc regulam excluduntur omnia artificiata quâ talia, quia constant ex materia, verbi gratiâ ligno, lapide, &c. & forma artificiali, quæ pertinet ad qualitatem, vel relationem. His ltaque prænotatis facilior erit quæstionis resolutio ad quam

V. *Ut aliquid ponatur in Prædicamento debet esse ens per se completum.*

Dico 1. *Ad hoc ut aliquid directè ponatur in aliquo prædicamento, requiritur quod sit ens reale, positivum, finitum, unum per se & completum.* Hæc est Aristotelis pluribus in locis, & est in Scholis etiam communis sententia,

Adeoque Probatur quoad singulas partes & primò quòd debeat esse ens reale positivum, tum quia Aristoteles 5. Met. 14. & 6. Met. 4. dividens ens in anima, id est ens rationis, & extra animam, id est reale, posterius in decem prædicamēta subdividit, tum quia prædicamenta sunt earum rerum coordinationes, quæ veram habent essentiam, sed sola entia realia positiva veram habent essentiam, ergò illæ solæ ponuntur in prædicamento directè, hinc excluduntur negationes, privationes, entia rationis, sicut etiam existentia & passiones, quæ sicut non nisi identicè sunt res, ita etiam non nisi reductivè ponuntur: sicuti etiam negationes & privationes. Quòd autem debeant etiam esse ens per se, patet tum ex notabili tertio, tum quia Philosophus 5. Met. 14. qui cum divisisset ens in ens per se, & ens per accidens, ens per se sub divisit in decem prædicamenta. Quòd autem debeat esse ens finitum probatur: Quia quidquid in prædicamento collocatur, aut est genus, aut est species, aut individuum, sed ens infinitum non potest esse genus, nec species, nec individuum, ergò ad hoc ut aliquid sit in prædicamento, debet esse finitum. Patet ma. quia prædicamentum est series & coordinatio rerum sub aliquo supremo genere per species subalternas usque ad individuum contentarum, nec intellige individuum exclusivè, sed inclusivè, quia verè est ens unum completum finitum in se, continens omnia prædicata lineæ prædicamentalis quibus subjicitur: probatur ergò mi. Quia genus & species dicunt perfectivum & perfectibile & species componitur ex genere, individuum ex specie & differentia individuali, sed ens infinitum non potest ex his constitui cùm sint omnia finita, & infinitum non constituitur ex finito. Hanc rationem & hanc simul partem magis declarabo probando, disput. sequenti acturus de substantia.

Interim Probatur ultima pars Conclusionis ex Arist. 7. Met. 8. ubi expressè rejicit materiam à prædicamento; quod etiam postmodum docuit Scotus, imò etiam de corpore prout est altera pars compositi substantialis & anima rationali, ac omnibus differentiis essentialibus. Patet etiam hæc pars per notabile secundum. Sed

VI. *Ut aliquid sit ens per se non debet habere semper partes Physicas.*

Arguitur 1. Contra particulam quòd debeat esse ens per se. Angelus de facto ponitur in prædicamento, sed angelus non est ens per se, ergò non requiritur, ut aliquid ponatur in prædicamento, quod sit ens per se: major certa: probatur mi. Quia ens unum per se debet partes habere, quarum una se habeat per modum actûs, & altera per modum potentiæ, seu quarum una sit per se perfectibilis, & altera perfectiva; sed angelus non habet tales partes, ergò non est ens per se, & consequentèr non requiritur ut sit ens per se. R. negando mi. concessâ majori, probationem minoris dist. Unum ens per se debet habere partes Physicas, vel Metaphysicas, seu quasi partes, scilicet genus & differentiam, concedo ma. debet habere partes semper Physicas, nego ma. & distinctâ similitèr mi. nego utramq; consequentiam. Itaq; quando dicitur quòd unum per se debeat constare ex partibus perfectibili & perfectiva, intelligendum est, tunc, quando aliquid habet tales partes Physicas ut per hoc excludantur entia Physica, quæ non constant talibus partibus.

Instatur: Nihil constat genere nisi quod constat materiâ, sed angelus non constat materiâ

teriâ, ergò nec constat genere, consequentèr si non habet genus non erit ens unum per se & nec sic in prædicamento collocabile, probatur ma. quia genus desumitur à materia, ergò nihil constat genere nisi quod constat materia. R. dist. ma. Nihil constat genere nisi quod constat materiâ Physicâ nego ma. materiâ Metaphysicâ concedo ma. Per materiam autem Metaphysicam intelligo gradum aliquem, vel formalitatem perfectibilem ab altera formalitate, quemadmodum materia perficitur à forma servatâ utrobiq; proportione.

Urgetur: Angeli sunt actus puri, ergò non constant genere, quia genus semper est perfectibile R. dist. ant. sunt actus puri Metaphysicè, nego ant. Physicè concedo ant. & nego consequentiam. Per purum actum Physicum autem aliud non intelligo, quàm quòd non includat materiam per formam Physicam perfectibilem.

VII. *Corpus ut dicit alteram partem compositi viventis non ponitur directè in prædicamento.*

Arguitur 2. Contra particulam quòd debeat esse completum. Corpus est ens directè in prædicamento collocabile, sed corpus non est ens completum, ergò ut aliquid ponatur in prædicamento requiritur ut aliquid sit completum: probatur ma. quia corpus immediatè continetur sub substâtia, probatur etiam minor, quia illud ens dicitur incompletum, quod dicit ordinem, aptitudinem partis ad constituendum aliquod totum per se unum, sed corpus dicit ordinem ad animam, ergò non est quid completum. R. dist. ma. corpus est directè ponibile in prædicamento prout dicit alteram partem compositi substantialis viventis, nego ma. prout dicit totum aliquod potentiale, vel etiam totum integrale concedo ma. & distinguo similitèr mi. non est ens completum prout consideratur veluti aliquod individuum quod dicit & habet rationem partis in ordine ad aliquod totum constituendum; concedo mi. prout dicit totum potentiale & rationem communem Metaphysicam nego mi. & consequentiam. Itaq; expresè docet Scotus quod corpus in quantum est altera pars compositi, quod nõ ponatur directè in prædicamento in 4. d. 11. q. 3. Hh. Verba ejus sunt sequentia. *Est ideò universaliter in quolibet animato necesse est ponere illam formam, quâ corpus est corpus aliam ab illa quæ est animatum, non autem loquor de illa quæ est corpus, hoc est individuum corporis, quod est genus: nam quodcunq; individuum sua forma est tale individuum, vel talitèr corpus, ut corpus est genus & habens corporalitatem, sed loquor de corpore, ut est altera pars compositi substantialis; per hoc enim non est individuum, nec species in genere corporis, nec in genere substantiæ, quod est superius, sed tantùm per reductionem.*

Instatur: Equus, vel homo mutilatus est verum corpus, quod directè ponitur in prædicamento, & non solùm per reductionem, seu est corpus quod sub genere corporis & substantiæ continetur, sed equus & homo mutilatus non est aliquod completum, ergò adhuc potest aliquod incompletum directè poni in prædicamento, & non tantùm per reductionem: ma. est certa: probatur mi. quia tàm corpus quàm partes abscissæ, verbi gratiâ pedes, brachia &c. dicunt ordinem ad se invicem veluti partes aliquod totum natæ construere, ergò. R. concedo ma. distinguendo mi. non est completus integraliter transeat, non est completus essentialitèr nego mi. & consequentiam. Itaq; non requiritur quòd semper sit completum integraliter, sed sufficit etiam quòd sit completum essentialitèr, & ideò dixi in notabili secundo quod partes etiam possint poni in prædicamento, dummodo retineant denominationem totius, & hinc est quòd asseram tàm partes homogeneas quàm heterogeneas, quæ denominationem totius retinent, inter entia completa recenseri debere, & ideò per hoc magis explico ea quæ dixi in notabili secundo. Sed restat adhuc

Alia Difficultas examinanda, an videlicet omnia quæ in prædicamento ponuntur, debeant in abstracto, vel in concreto in eis collocari & sumi? Circa quam materiam, quantum ad substantiam non est quidem difficultas, omnes enim conveniunt posse & debere in concreto sumi: Circa accidentia verò putant Nyphus, Toletus, Blancus, Amicus, debere in concreto disponi. Scotus verò contra asserit debere in abstracto, & cum eo Tuentes, Conimb. Complutenses &c. Verùmtamen

VIII. *Res substantiales ponuntur in concreto in prædicamento.*

Dico 2. *Res substantiales collocantur in suo prædicamento in concreto, accidentales verò possunt poni tum in abstracto, tum in concreto, dummodo cætera ejusdem prædicamenti eodem modo exprimantur, non tamen in ultimata abstractione.* Hæc est contra duas priores sententias; videtur tamen esse Ruvio Aversæ, Cajetani, Mastrii: &c. Quantùm ad primam partem est communis sententia & patet quia omnia exprimuntur in concreto; nam substantia, Corpus, vivens, animal, homo omnia concreta sunt.

Probatur etiam ratione, Quia in tantùm res ponuntur in prædicamento in quantùm gradus superior est prædicabilis de gradu inferiori, sed gradus superior non prædicatur de inferiori in abstracto, ergò: probatur mi. Quia hæc est falsa prædicatio, animalitas est rationalitas, ergò: probatur ant. quia ut sit aliqua vera prædicatio debet intellectus concipere illud in esse, quod de aliquo prædicat, sed quando res concipitur in abstracto, non concipitur veluti in existens, ergò tunc non potest verè de illo prædicare, consequentèr illa est falsa prædicatio, rationalitas est animalitas.

Probatur Conclusio quoad alteram partem: Tum quia Philosophus accidentia utroque modo expresit, scilicet & in abstracto & in concreto, ut patet in prædicamentis quantitatis & qualitatis: Tum quia accidentiæ, seu entia de prædicamento accidentis tàm in concreto quàm in abstracto possunt verè de se invicem prædicari, & sibi invicem subjici, ergò tàm in concreto quàm in abstracto poni possunt: probatur ant. quia istæ sunt veræ prædicationes hoc album est album, item hæc albedo est albedo, album est coloratum, albedo est color, ergò. Dixi non tamen ultimatè, quia ut dixi in priori parte ultimatè abstractum non dicit ordinem subjicibilitatis & prædicabilitatis ad aliud quidpiam, quia equinitas est tantùm equinitas. Verùmtamen contra particulam illam

illam qua dico quod accidentia etiam possint poni in concreto.

VIII. Opponitur Authoritas tâm Scoti q. 15. univers. ubi dicit *concreta accidentalia non esse in genere, nisi reductivè loquendo simpliciter*: tum Aristotelis 3. Top. cap. 1. ubi ait, *Justitiam, & non justum esse in prædicamento*, ergò accidentia non ponuntur in concreto in prædicamentis. Attamen ad utramque authoritatem R. quod Scotus & Aristoteles, vel loquantur de concreto pro aggregato ex subjecto & accidente, vel quòd non sit in prædicamento nisi ratione formæ significatæ, & quia coordinatio concretorum pendet à coordinatione formarum, sicut universaliter verum est denominativa pendere à formis denominantibus.

IX. Arguitur Etiam contra positionem in abstracto. Accidentia debent poni eodem modo in prædicamento, quo respiciunt substantiam, sed substantiam respiciunt in concreto & non in abstracto, ergò in prædicamento non ponuntur in abstracto. R. concessâ mi. negando ma. quia quomocunque exprimantur accidentia, propria passio ipsorum est aptitudo, seu naturalis exigentia ad respiciendam substantiam tanquam illud à quo dependeant in esse & conservari, naturaliter loquendo tamen absolutè possent accidentia conservari sinè subjecto, ut patet de accidentibus Eucharisticis.

Instatur: Accidentiæ in abstracto sunt incompleta, ergò nequeunt sic poni in prædicamento. R. negando ant. quia non prædicantur ut pars essentialis, vel integralis Physica, imò si essent talia in abstracto essent talia, ut patet de differentiis quomodocunque exprimantur.

DISPUTATIO II.

DE PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

Descendo post examinationem prædicamentorum in communi ad examinanda eadem in particulari, inter quæ tum ob perfectionem, tum quia cæterorum basis est & fundamentum primum locum occupat sibi substantia, unde post Aristotelem etiam de ea hic agam, & examinabo tàm essentiam ejus, quàm divisiones & proprietates, unde sit

QUÆSTIO I.

Quid sit Substantia, seu in quo consistat ratio ejus formalis constitutiva?

I. Substantiæ diversi modi capiendi. Substantia non modò apud sacros & profanos Scriptores, verùm etiam apud Philosophos variè accipitur, nam primò accipitur pro alicujus rei fundamento, sic D. Paulus in Epistola ad Hebræos cap. 11. dicit: quòd fides sit *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*. Et similiter Lucæ 16. accipitur pro possessione, divitiis & bonis fortunæ, nam loco citato habetur sic: *da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*, quod etiam in vulgari sermone est frequentissimum. Apud Aristotelem lib. de mundo invenitur etiam quòd substantiam accipiat pro rebus, quæ non in apparentia, sed in rei veritate sunt, sic dicit quòd eorum quæ cernuntur in aëre partim specietenus esse, partim substantiam habere. Apud Philosophos verò ordinariè accipitur pro natura & essentia alicujus rei, sic dicit D. Augustinus lib. 2. de Moribus Manich. cap. 2. Nulla *natura malum, si quod contra naturam est id erit malum: & cap. 8. Nulla substantia est mala*. Sed hæc acceptio non est ad propositum præsens, quia sic comprehendit etiam accidentia, quæ veram naturam verámq; habent essentiam, in proposito autem naturam substantiæ inquiro prout contradistinguitur ab accidente, ut opposita juxta se posita magis elucescant, nam etiam de accidente in subsequente agam disputatione. Qualiter autem explicari possit quomodo distinguatur multi variant, mihi videtur tamen optimus iste esse modus, quod quemadmodum rationes formales distinguendi DEUM à creatura sunt *esse à se & esse ab alio*, sic rationes formales distinguendi substantiam ab accidente sunt *esse per se & esse in alio*. *Esse autem in alio* intelligo ens aliquod aptum natum existere in altero, quod dupliciter contingere potest, vel tanquam in subjecto informationis, & sic sunt formæ substantiales informantes in materia veluti in subjecto & anima rationalis in corpore humano & in hoc sensu accidentia non sunt in alio, quia non sunt in alio tanquam formæ informantes materiam primam, per se & substantialiter unum per se constituentes. Secundò ergò sumitur pro subjecto inhæsionis, & sic sunt omnia accidentia in subjectis suis, sive illa sint materialia, sive spiritualia cum quibus non faciunt unum per se, & hoc vel actualiter, sic est albedo & dulcedo in lacte, vel aptitudinaliter sicuti sunt accidentia Eucharistica, quæ licet actu non sint in subjecto suæ ultimato actu, sunt tamen aptitudine, ex eo quòd connaturaliter putant illi in esse nisi per divinam impedirentur potentiam. Econtra verò non esse in alio potest iterum triplicitèr sumi & intelligi, primò negativè prout dicit illam duplicem negationem essendi in alio scilicet actualiter, vel aptitudinaliter, veluti in subjecto inhæsionis & si sic sumatur potest appellari propria passio negativa substantiæ: secundò pro ineptitudine positiva ad inhærendum alteri & sic est aliquis respectus aptitudinalis quo substantia est apta nata per se stare sine dependentia actuali, vel aptitudinali ad aliud, tanquam ad subjectum inhæsionis: tertiò denique pro perseitate quæ est ratio formalis constitutiva substantiæ & distinctiva ipsius ab omni alio, & de hac perseitate, seu per se statione quæritur in quæstione, an sit ratio formalis

malis constitutiva substantiæ? secundo an sit quid positivum, vel solùm aliquid negativum? ubi diversimodè sentiunt Authores; Communior tamen est sententia post Scotum 1. d. 3. q. 3. D. Thomam 1. contra Gentes cap. 25. cum qua

II. *Describitur Substantia.*

Dico 1. *Substantia est ens per se, seu perseitas est ratio formalis constitutiva substantiæ.* Hæc est communior Scotistarum & etiam D. Augustini cap. 9. *Cat. Substantia* dicit, *propriè dicta quæ neq; in subjecto est, neq; de subjecto significatur ut hic homo, hic equus.*

Probatur primò. Illud est ratio formalis constitutiva alicujus quod per se constituit ipsum in esse talis, & distinguit ipsum ab omni alio quod non est tale, sed ens per se, seu perseitas constituit substantiam in esse substantiæ, & distinguit ipsam ab omni alio, ergò perseitas erit ratio formalis constitutiva substantiæ; major est certa, probatur minor. Quia nihil est sic per se nisi sola substantia, & quælibet substantia est sic per se, ergò: probatur ant. quia si esset aliquid, maximè accidens, sed hoc non est: quia hujus ratio est esse in alia prout supra explicui, ergò.

Probatur secundò à paritate: Sicut se habet accidens absolutum ad respectivum, ita se habet substantia ad accidens, sed accidens absolutum est ens ad se, seu non dicit respectum ad aliud, sed simplicitèr manet in se sistens, ergò substantia erit ens per se existens, seu nullum dicens respectum & ordinem ad aliud, & consequentèr perseitas erit formalis ratio constitutiva substantiæ.

III. Arguitur: Forma substantialis vera est substantia, sed forma substantialis non est ens per se existens, ergò malè dicitur substantiam esse ens per se, seu perseitatem esse rationem formalem ejus: probatur minor, forma substantialis dependet ab alio veluti à subjecto, ergò forma substantialis non est ens per se; probatur ant. quia forma substantialis dependet à materia, tàm benè sicut accidens à subjecto, ergò, probatur ant. quia sicut accidens non potest existere naturalitèr sine subjecto, ita nec potest formalitèr naturalitèr existere sine materia, ergò. R. negando mi. cujus probationis ant. distinguo, forma substantialis dependet ab alio veluti à subjecto cum quo faciat unum per se, concedo ant. cum quo faciat unum per accidens nego ant. & consequentiam. Accidens itaque non facit cum subjecto unum per se, sed præsupponit semper illud jam factum.

Instatur: Facere unum per se non est ratio distinguendi & differendi *essendi modi in alio*, ergò impertinentèr adfertur, consequentèr nulla solutio. R. dist. ant. Facere unum per se non est ratio distinguendi & differentia essendi in alio sub expressa ratione essentiarum transeat, ant. Facere unum per se &c. in quantùm existo facere unum per se sequitur alius modus existendi, nego ant. & consequentiam. Modus autem iste resultans est eò quòd ex forma & materia resultat quoddam compositum substantiale, quod nullo modo est, vel esse potest in alio: unde forma sicut ex se non est completa substantia, ita etiam non habet statim completum essendi modum per se, sed habet tamen jam inchoatum, quia una cum materia in composito completur.

Urgetur. Compositum accidentale etiam sic se habet, ergò nulla solutio, probatur ant. quia sic lignum nullo modo esse in alio veluti in subjecto, ita etiam lignum album nullo modo potest esse in alio, ergò compositum accidentale etiam sic se habet. R. dist. ant. Compositum accidentale etiam sic se habet ratione formæ accidentalis, nego ant. ratione formæ substantialis concedo ant. & consequentiam, unde quando lignum album non potest esse in alio veluti in subjecto, hoc oritur ex forma substantiali, quod indè patet, nam etiã superficies alba est compositũ ex forma accidentali & subjecto, & tamen non est subsistens per se, sed necessariò exigit esse in alio, hinc negari potest absolutè antecedens Ursionis. Verùmtamen adhuc contrà conclusionem potest argui, quòd non conveniat soli substantiæ, sed etiam accidenti, quare.

Arguitur secundò. Nullæ quidditas & essentia alicujus rei potest convenire alteri rei, sed esse per se convenit alteri, ergò esse per se non est ratio constitutiva substantiæ: probatur mi. quia convenit accidentibus, ergò, probatur, accidentia possunt per se existere ut patet de accidentibus Eucharisticis, ubi qualitates sunt sinè ultimato subjecto, quantitas verò sinè omni prorsus, ergo. R. concedo ma. negando minorem cum ant. probat. cujus probationem distinguo, accidentia possunt per se existere & stare ex sua vi nego ant. vi & virtute alienâ concedo ant. Itaq; Accidentia Eucharistica non existunt & per se stant suâ virtutute & vi, sed vi alienâ nempe DEI virtute, quia ea efficienter manutenet & supplet defectum subjecti. IV.

Dico 2. *Perseitas non consistit in duplici negatione actualis & aptitudinalis inhærentiæ in alio, sed est simpliciter aliquid positivum.* Hæc est etiam communis Scotistarum contra Soncinam 5. Met. q. 14. V. *Perseitas consistit in negatione.*

Probatur Conclusio. Ex Doct. 2. d. 3. q. 2. §. contra ista. Nihil simpliciter repugnat alicui enti per solam negationem, sed esse in alio simpliciter repugnat substantiæ, ergò non per negationem, probatur ma. negatio hinnibilitatis in homine non fundatur in aliquo negativo, neque negatio rationalitatis in bruto, sed simpliciter in aliquo positivo.

Probatur secundò. Nihil potest esse simul alicujus rei essentia & proprietas, sed negatio essendi in alio est proprietas substantiæ, ergò non potest esse ejus essentia.

Dices. Non possumus explicare substantiam nisi per ordinem ad negationem essendi in alio, ergò ratio perseitatis substantiæ formaliter consistet in illa duplici negatione. R. negando consequentiam. Quia multa non possumus explicare nisi per alia, quæ tamen nullo modo sunt de ejus essentia: sic non possumus explicare relationem nisi per ordinem ad extre- VI.

ma,

ma, causam per ordinem ad effectum, potentiam per ordinem ad objectum, ubi tamen extrema non sunt essentia relationis, effectus quoq; non est essentia causæ, nec objectum est essentia potentiæ.

II. Dico 3. *Perfectas etiam non consistit in respectu aptitudinali ad quem sequitur negatio essendi in alio.* Probatur. Quia sicut nihil positivum verè constituitur per aliquid negativum, ita nihil absolutum per aliquod respectivum, sed ille respectus aptitudinalis est merum quid relativum, ergò non poterit in illo consistere ratio substantiæ & perfectatis. Hinc dicendum quod illa aptitudo ad existendum sinè dependentia ad aliud emanet à perfectate veluti à radice.

QUÆSTIO II.

Quod nam sit supremum genus in Prædicamento Substantiæ.

I. Quoniam Substantia prout contradistinguitur ab accidente trifariam sumi potest; Primò prout comprehendit omne illud, quod per se & à se existit & nulli alteri inhæret, nec actu, nec aptitudine & sic comprehendit tàm Deum, quàm substantias creatas, tàm simplices quàm compositas, tàm completas quàm incompletas; & hoc modo accepta substantia dicitur à subsistendo & non à substando, quia Deus super omnia benedictus substantiarum substantia est, & tamen nulli rei substat minus alicui accidenti. Secundò modo accipitur pro omni eo quod per se non tamen à se existit, & sic comprehendit substantias creatas tantùm, sive illæ completæ fuerint, sive partes integrales, vel essentiales &c. & dicitur talis non solùm à subsistendo, sed etiam à substando, quia omnis substantia creata substare potest accidentibus. Tertiò strictissimè accipitur prout comprehendit omne ens creatum in se & per se existens, intelligendo per se illud quòd non solùm excludit inhærentiam, sed etiam esse in alio ut pars in comparte, vel ut pars in toto & in hoc sensu comprehendit tàm substantias simplices quàm compositas. Ex his itaq; tribus accipiendi modis substantiæ quæritur quænam substantia, seu in quænam acceptione substantia constituat supremam genus substantiæ, seu primi prædicamenti? Circa quam materiam quintuplex est sententia. Prima sententia est Gregorii Major. Marsilii Bonetti Aversæ & Nominalium, qui constituunt supremum genus prædicamenti substantiæ in prima acceptione utpote qui omnes affirmant Deum in largiori acceptione posse esse in prædicamento substantiæ. Secunda sententia est Ammonii, Simplicii, Boethii & plurimorum Græcorum qui substantiam in secunda acceptione pro supremo genere statuunt, & consequenter asserunt non modo partes substantiales, vel integrales in prædicamento ponunt, sed etiam omnes differentias essentiales in eo collocant. Tertia sententia est Plotini, Alberti, Ægydii Honorati qui asserunt solam substantiam corpoream supremum genus. Quarta sententia est Nyphi, Averroes, Gandavensis qui substantiam corpoream corruptibilem pro supremo genere collocant, ut non modò angelos cum priori sententia, verùm etiam cœlos à prædicamento substantiæ excludant. Quinta denique est communissima sententia quæ substantiam completam finitam, realem, sive illa sit spiritualis, sive materialis, prout sumitur in tertia acceptione, pro supremo genere constituit, & hæc sententia est Scoti Scotistarum D. Thomæ & Thomistarum communitèr. Quia tamen hi authores non distinguunt de directa & indirecta positione, seu prout aliqua directè & aliqua reductivè in prædicamento aliquo constituuntur, ideò fortè mediâ incedam viâ. Interim.

II. *In prima acceptione non constituit hoc prædicamentum.*

Dico 1. *Substantia in primo accipiendi modo ex præ allegatis non constituit supremum genus prædicamenti substantiæ.* Hæc sententia non modò in Scholis realibus communis; verùm etiam est clara & expressa mens D. Augustini lib. 4. Confessio. cap. 16. ubi sic ait: *Et satis aperte mihi videbantur loquentes de substantiis sicuti est homo, & quæ in illis essent, sicuti est figura hominis, qualis sit, & statura quot pedum sit: & cognatio cujus frater sit; aut ubi sit constitutus; aut quando natus; aut stet, an sedeat; an calceatus, vel armatus sit, aut aliquid faciat, aut aliquid patiatur, & quæcunq; in his novem generibus quorum exempli gratiâ quædam posui, vel in ipso substantiæ genere innumerabilia reperiuntur; Quid mihi hoc proderat quando & oberat cum etiam te Deus meus mirabiliter simplicem, atq; incommunicabilem illis decem prædicamentis putans quidquid esset omnino comprehensum, sic intelligere conarer quasi & tu subjectus esses tuæ magnitudini aut pulchritudini, aut illa essent in te quasi subjecto sicut in corpore cùm tua magnitudo & tua pulchritudo sis tu ipse, corpus autem non eo sit magnum quo corpus est, quia etsi minus magnum & minus pulchrum esset, nihilominus corpus esset, falsitas enim erat quam de te cogitabam non veritas & figmenta miseriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ. Jusseras enim & ita fiebat in me, ut terra spinas & tribulos pareret mihi & cum labore perveniremus ad panem meum.* In quibus verbis expresè D. Augustinus asserit Deum super omnia benedictum non contineri in prædicamentis allegatis rationibus, quia quidquid in prædicamentis collocatur, vel est subjectum accidentium, vel ipsum accidens. Deus verò propter suam summam simplicitatem & immutabilitatem non potest substare accidentibus. Item lib. 7. de Trinit. cap. 5. ut eum refert Scotus 1. d. 8. q. 3. §. Tene opinionem meam mediam, ubi expresè dicit Augustinus: *Manifestum est Deum abusivè vocari substantiam*, supra quæ verba explicant qualitèr nam convincat, sic loquitur, *Hæc ratio sic tenet* (intellige eò quod Deus non possit substare accidentibus) *Non intelligit quod ratio substantiæ sit substare accidentibus, sed ut substantia est genus, est limitata, omnis autem substantia limitata est capax accidentis, ergò substantia quæcunq; est in genere potest substare alicui accidenti, Deus autem non*, ergò. Augustino concordat Mellifluus, Bernardus qui semper & ubiq; immutabilitatem DEI summè concelebrat, & omnem ab eo excludit imperfectionem qualis est substare accidentibus. Unum locum Ejus quo nobis specialius favet adduco Sermo 6. in Cant. Cant. Ubi postquam Sermone quinto egisset

de quatuor spirituum generibus videlicet Dei, Angeli, hominis & pecoris differuisset singulisque, ad munia sua exercenda corpora aliqua attribuisset (Ex mente intellige aliorum, & dubitantèr loquendo, vel intelligendo per corpora accidentium variationem) tandem, veluti perfectionem soli Deo competentem cõcludit: Deum omnino incorporeum, seu omnimodè illimitatum, ut nullo modo accidentibus substare possit dicens: *Demus, ergò securi veram soli Deo, sicut immortalitatem, ita & incorporeitatem, quod solus spirituum universam corpoream naturam eò usq; transcendat, ut quocunq; corpore* (Nota bene quocunq; corpore etiam angelico) *in quocunq; opere non indigeat, solo spirituali nutu cum vult, ad quæcunq; vult agenda contentus* &c. Ex qua authoritate sic deducitur conclusio, Illud quod est summè simplex & minùs compositum quàm Angelus, non potest constare genere & differentiâ, sed omne quod ponitur in prædicamento debet esse sub genere, ergò Deus cum sit simplicissimus nullo modo sub prædicamento contineri potest. Favet huic conclusioni D. Bernardus non modò in allegato loco, sed etiam in omnibus illis in quibus Deum necessarium infinitum & perfectissimum solidissimè propugnat. Accipe clarum ejus textum Serm. 51. de diversis ubi hæc habet. *Unus Deus est non habet sui generis cui valeat comparari.* Sed quæ ponuntur in prædicamentis debent ad alia comparari, ergò: Et ne longior sim addo mentem ejus in puris terminis lib. 3. de Amore Dei cap. 10. *Deus est summa & æterna substantia non subjecta prædicamentis vocum, aut cogitabilium.*

Probatur Conclusio etiam ratione per Doctorem insinuata. Omne genus ut genus dicit partem essentiæ, ergò genus ut genus est quid limitatum, probatur consequentia: solum finitum potest esse pars alicujus totius, ergò si genus est pars alicujus totius ex sua ratione formali est finitum & limitatum, probatur ant. quia nullum infinitum potest habere rationem partis, cum infinito nihil majus sit, parte autem est majus totum, subsumo substantia genus hujus prædicamenti ut genus est ens limitatum, ergò Deus summè infinitus non poterit contineri sub ea veluti sub genere & consequentèr, Deus in prædicamento poni nequit, & ulterius sequitur quòd nec substantia in prima acceptione sit supremum genus hujus prædicamenti, quia in illa acceptione etiam comprehendit Deum super omnia benedictum. Sed Contra Conclusionem.

III. Opponitur: Authoritas D. Augustini 5. Trinit. cap. 2. ubi ait: *Est tamen* (Deus) *sine dubitatione substantia, vel essentia, Exodi 3. Ego sum qui sum, quod enim mutatur non servat ipsum esse.* Damasceni 1. de Justific. cap. 7. dicit incorpoream esse differentiam substantiæ & sub se continere Deum & angelos: & 5. Trin. cap. 8. ait iterum D. August. quædam prædicamenta dici propriè de Deo, substantiam, scilicet relationem, & actionem, cætera impropriè & metaphoricè. R. ad primam Authorem D. Augustini eum ibi non asserere, quòd Deus possit poni in prædicamento substantiæ, sed dicere Deum substantiam esse, quod vocabulum est natum repræsentare tàm substantiam prædicamentalem, quàm ipsum Deum & hoc ex eo quia Philosophi & Patres nomina adhibita ad significandas substantias creatas etiam adhibent ad significandam increatam, ut dicit: *Essentiam dico* (capite octavo,) *quæ οὐσία Græcè dicitur quam usitatius* (nõ dicit propriè, sed ex communi quodammodo usu) *substantiam vocamus.* Ad secundam authoritatem ejusdem Doctoris Sancti dico eodem modo eum solummodo velle quòd termini significantes prædicamenta illa possunt etiam dici de Deo non in sensu prædicamentorum illorum, sed in propria significatione absq; imperfectionibus quæ prædicamenta involvunt, ut sunt potentialitas, limitatio, compositio &c. Unde dicit 7. Trinit. cap. 3. Deum non esse ens scilicet prædicamentale, sed super ens, neque substantiam, sed super substantiam, eodem modo Responderi potest ad Authoritatem inter mediam D. Damasceni, Quod si Aristoteles adduceretur etiam pro contraria sententia explicari possit, quòd per Deum intellexerit non verum Deum quem agnovit, sed Deos positos ab antiquis qui dicebantur substantiæ quædam superiores subtilissima corpora habentes similes homines iis tamen perfectiores quia immortales.

Instatur. Omnis substantia substans accidentibus potest poni in prædicamento substantiæ, sed Deus potest substare accidentibus, ergò poterit poni in prædicamento substantiæ, probatur mi. Illud est accidens quod potest adesse, vel abesse sinè subjecti corruptione, sed hæc potest esse in DEO, ergò: probatur, Deus sine sua corruptione dicitur Justificator, dicitur creator &c. sed hæc possunt adesse & abesse & Deus ipsis subsstat, ergò. R. dist. negando minorem cum minori probationis, cujus probationem dist. Dicitur Justificator & Creator per formam accidentalem intrinsecè in DEO inhærentem & in ipso subjectatam nego ant. ma. per extrinsecam denominationem concedo ma. & nego minorem pro secunda parte, cum consequentia.

Urgetur: Volitio quâ Deus voluit ab æterno esse creator est realis forma, sed illa potuit non esse in Deo, ergò etam aliquod accidens reale est in Deo: probatur mi. Illa volitio est libera, sed de ratione liberi est ut possit esse, vel non esse, ergo illa volitio potuit non esse consequentèr accidens est, & aliquod in Deo. Ad hoc argumentum fusè respondetur in primo sententiarum, ubi explicatur quomodo non obstante immutabilitate Deus liberè produxit hunc mundum & omnia ad extra pro nunc. R. dist. mi. Illa volitio potuit non esse quantùm ad substantiam, nego mi. quantùm ad respectum rationis concedo mi. Itaq; volitio illa in substantia necessaria est sicuti ipse Deus, & veluti sunt omnes actiones immanentes Dei, sunt enim ipsemet Deus realitèr, libera dicitur tamen per respectum rationis quo contrahitur ad Creaturam, unde per hoc quòd non fuisset volitio creandi mundum solùm tollitur respectus rationis & non aliquid reale. IV. *In secunda acceptione potest substantia esse genus.*

Dico 2. *Si res considerentur quomodocunq; in prædicamento collocabiles, sive directè, sive indirectè & redu-*

& reductivè, supremum genus prædicamenti substantiæ est substantia in acceptione secunda. Hanc apud Authores quidem sic propositam non reperi, existimo tamen in re eam futurum communem.

Probatur Conclusio primò. Authoritate Aristotelis qui in capite de substantia defendit partes integrantes veras esse substantias, quia non sunt in alio veluti in subjecto, sed veluti in toto Et 5. Met. 15. Inter substantias enumerat partes: & lib. 12. t. 12. substantiam dividit in materiam formam & compositum. Favet etiam Scotus quæst. 14. præd. ubi dicit: hanc *Rationale est substantia* esse veriorem istâ *quantum est substantia*; imò expressè ibi videtur concludere differentiam in genere substantiæ verè esse substantiam.

Probatur Conclusio secundò: ratione. Illa verè debent collocari in prædicamento substantiæ veluti suo supremo genere, quibus competit ratio substantiæ, sed omnibus contentis sub substantia in secunda acceptione competit ratio substantiæ, ergò erit genus ad illa, probatur mi. ratio substantiæ est esse per se, seu per se subsistere, ita ut non sit in alio veluti in subjecto cum quo faciat unum per accidens, sed hoc competit omnibus illis, ergò: probatur mi. substantia in secunda acceptione comprehendit tàm partes essentiales quàm integrales, tàm completas quàm incompletas, sed omnes illæ partes natæ sunt facere unum per se & non sunt natæ esse in alio veluti in subjecto, ergò. Imò satis probabilitèr etiam censeri hoc potest de differentiis, quia licet illæ modum in essendi habeant quasi accidentalem, reverâ tamen non sunt in alio veluti in subjecto inhæsionis, nec concurrunt ad faciendum unum per accidens, sed unum per se, ergò de illis idem ferrendum esset judicium, & quamvis non posit formalitèr de illis prædicari, hoc inprimis ad indirectam reductionem non requiritur, potest tamen substantia de illis identicè prædicari.

V. Quidnam sit supremum genus substantiæ in secunda acceptione.

Dico 3. *Eorum quæ directè in prædicamento collocantur supremum genus hujus prædicamenti est substantia in tertia acceptione, scilicet finita & completa, contrahibilia per differentias ad omnes substantias completas finitas, tàm corporeas quàm incorporeas, ita ut etiam comprehenduntur angeli & corpora cœlestia.* Est Communis Scotistarum & Thomistarum & est etiam expressè Philosophi 5. Met. 15. & 7. top. 5. ubi expressè inter species substantiæ enumerat dœmonia, cœlos & astra.

Probatur Conclusio etiam ratione; Quia tàm angeli quàm corpora cœlestia (de quibus tantùm est difficultas) habent omnes conditiones reponibilium in prædicamento, ergò: ant. patet, quia sunt entia realia finita, completa ac univoca convenientia in ratione substantiæ, ut sic cum aliis substantiis sublunaribus.

Confirmatur ratio: Quia illis conveniunt affectiones hujus prædicamenti, ergò conveniunt in ratione substantiæ, probatur ant. quia substant accidentibus; angeli enim substant volitionibus & intellectionibus, corpora cœlestia quantitati & lumini, admittunt etiam contraria, quia angelus est capax amoris & odii, cœlum modò illuminatur modò lumine privatur, sunt etiam entia per se existentia ex genere & substantia constantia: ergò.

Opponitur Authoritas Aristotelis 10. Met. 16. Corruptibile & incorruptibile differunt genere, sed corpora cœlestia non sunt corruptibilia, ergò non conveniunt in genere substantiæ cum sublunaribus. R. cum Doctore in 4. d. 6. q. 10. Philosophum loqui de genere Physico, id est de materia, non verò de Logico: & hæc est communis explicatio: nam sæpe Philosophus accipit genus pro materia, & patet etiam, quia nulla duo sunt ejusdem generis Physici, benè tamen Logici, quod potest continere nulla non pertinentia ad idem genus Physicum.

QUÆSTIO III.

De Divisione Substantiæ in Primam & Secundam.

Aristoteles capite 5. de Categ. quod est de substantia, eam divisit in primam & secundam, Substantiam primam vocat, (*quæ neq; de subjecto dicitur*) id est de nullo inferiori essentialitèr prædicatur (*neq; in aliquo subjecto est*) id est nulli subjecto inhæret: Et ulterius ait, substantiam primam esse maximè substantiam, non ideò præcisè ut volunt aliqui, quod substet omnibus accidentibus singularibus, sed etiam quia substat ipsis substantiis secundis, seu prædicatis essentialibus, & nullum aliud ens, sive sit substantia, sive accidens substat ulterius primæ substantiæ, quare ibidem docet Philosophus species infimas esse magis substantias quàm subalternæ, quia magis accedunt ad substantias primas. Substantiam secundam describit, quæ non inest quidem subjecto scilicet inhæsionis, tamen de subjecto aliquo dicitur, id est prædicatur de aliquo inferiori formalitèr verbi gratiâ: homo de Petro & Paulo &c. In terminis sic ait Aristoteles, *Secundæ substantiæ dicuntur species in quibus eæ quæ principaliter substantiæ dicuntur* (id est primæ) *insunt & harum specierum genera.* Utraq; substantia dupliciter accipi potest, primò & secundò intentionaliter. Substantia prima primò intentionaliter sumpta, est quæ non potest communicari pluribus cum sui multiplicatione & tales substantiæ primæ sunt omnia individua & singularia; secundò intentionaliter sumpta est, quæ de uno solo prædicari potest: Substantia secunda primo intentionaliter sumpta est, quæ est communicabilis pluribus ea communicabilitate scilicet quæ requiritur & sufficit ad universalitatem, seu ad rationem naturæ communis; Secundò intentionaliter sumpta, quæ est prædicabilis de pluribus, prout sunt omnia genera & species. His prænotatis in hac quæstione inter Authores controvertitur, an prædicta divisio sit aliqua propria divisio, vel potius sit enumeratio plurium accidentium? Plures sunt qui putant esse veram divisionem, scilicet subjecti in accidentia. Attamen contra tales

I. *Explicatur quid Aristoteles intelligat per substantiam primam & secundam.*

Dico 1. *Prædicta divisio substantiæ in primam & secundam non est vera aliqua divisio propriè dicta.*

II. *Divisio illa non est aliqua propriè dicta.*

dictâ. H. anc tenet Pontius disp. 12. Logicæ, quæstione secunda. Probatur Conclusio discurrendo per omnes divisionis species. Omnis bona & propriè dicta divisio aut est totius actualis in partes essentiales, ut si homo dividatur in corpus & animam; vel in partes Metaphysicas, ut si divideretur in animal & rationale; aut in partes integrales, ut si homo secerneretur in caput, manus, pedes, &c. Aut est totius potentialis in partes subjectivas, ut dum animal dividitur in hominem, & brutum; aut est divisio accidentis in sua subjecta, qualis est hæc alborum aliud est homo, aliud saccharum; aut accidentis in accidentia, ut alborum aliud est fluidum, aliud est molle; aut subjecti in accidentia, ut hominum alius est doctus, alius indoctus, pius alius, alius sceleratus &c. sed nulla ex his dividitur substantia in primam & secundam, ergo: ma. patet: minor probatur. Quia nihil dividitur in illas tanquam totum actuale, quia substantia prima completa, nec est pars essentialis, vel integralis alicujus rei; sed nec etiam tanquam totum potentiale; quia quidquid est totum potentiale in genere substantiæ, est substantia secunda, seu universalis, vel communicabilis de pluribus, & sic continetur sub altero membro divisionis, ergò non potest esse divisum in illa divisione, quia nunquam divisum debet contineri sub aliquo membro dividente; sed nec etiam tanquam accidens in varia subjecta, quia non significatur hic quod aliquod unum accidens conveniat substantiæ primæ & secundæ, nec tanquam accidens in accidentia, quia non proponitur aliquod accidens unum in specie, in diversis subjectis conjungi cum diversis accidentibus; nec deniq; tanquam subjecti in diversa accidentia, quia neque hic proponitur aliquod unum subjectum, quod afficeretur proprietatibus & accidentibus diversis, ergò non est aliqua vera & propria divisio, quia præter enumeratas species nullæ aliæ dantur veræ & propriæ divisiones.

III. *Non est divisio subjecti in accidentia diversa.*

Dices. Esse divisionem subjecti in accidentia diversa, sicut est hominis in doctum & in indoctum, ergò est bona divisio; probatur ant. sicut hæc est divisio subjecti in accidentia homo alius est doctus, alius indoctus; ita etiam hæc, substantia alia est universalis, alia singularis. R. negando ant. cum sua probatione & ratio disparitatis est, quia quotiescunque dividitur subjectum aliquod in accidentia diversa ipsum subjectum debet multiplicari, sicut multiplicatur homo doctus & indoctus, alioquin posset quis dicere benè idem omnino numero saccharum benè & propriâ ac verâ divisione dividi in saccharum album, & in saccharum dulce: quia suppono nunc quòd tale sit saccharum, quod habeat albedinem & dulcedinem simul, id tamen nequaquam dici potest, ergò neq; in casu nostro cùm etiam non multiplicentur subjecta, sed tantùm significatur quòd diversa accidentia competant substantiæ eidem, verbi gratiâ, universalitas & singularitas.

Instabis Idem numero saccharum in natura cum dulcedine sibi inhærente facit unum ens reale saltem per accidens, realiter distinctum ab illo quod facit cum albedine, & sic subjectum adhuc multiplicari dici potest, ergò etiam sic dicendum de substantia prima & secunda & consequentèr erit adhuc divisio subjecti in accidentia. R. distinguendo ant. facit unum ens reale &c. reduplicativè transeat ant. specificativè nego ant. & consequentiam. Ut autem sit divisio subjecti in accidentia, non sufficit quæcunque multiplicatio, sed requiritur ut etiam specificativè multiplicetur, ut patet de supra & communiter allegato exemplo, dum homo dividitur in doctum & indoctum, quia in hac divisione non est idem homo cui competit utrumque simul, similiter quando animal dividitur in hinnibile & risibile tanquam in proprietates, tunc utrumq; contrahitur per differentias, quæ constituunt plura entia realiter distincta, ut de se patet.

Urgebis. Doctor subtilis videtur omnino sentire esse divisionem subjecti in accidentia, ergò adhuc standū est in primo argumento. R. explicando Doctorem, eum scilicet aliud nihil velle, quàm quod sit ibi enumeratio plurium accidentium, non verò propria aliqua divisio. Hinc

Dico 2. *Quando Aristoteles dixit substantiam aliam esse primam, aliam secundam, nihil aliud voluit, quam enumerare accidentia & proprietates quæ uni eidémq; rei secundùm diversas formalitates competunt.* Hæc est in re communis. IV. *Aristoteles tantùm enumerat accidentia.*

Probatur Conclusio. Substantia secunda est realiter identificata substantiæ primæ, ergò quando dicitur, quòd alia sit prima, alia secunda, aliud non sit, quàm quod enumerentur plura accidentia ei convenientia, ant. patet ex dictis, ubi statui quod natura communis quæ appellatur substantia secunda, sit identificata singularibus quæ dicuntur substantia prima: probatur consequentia. Esse prædicabilem de pluribus ex una formalitate, & non esse prædicabilem de pluribus, sed de uno solo ex alia, sunt mera accidentia, sed natura & substantia secunda est prædicabilis de multis, & prima de uno solo, quæ substantiæ sibi realiter identificantur, ergò dum dicitur quòd substantia alia sit prima, alia secunda, aliud nihil fit, quàm quod recenseantur diversa accidentia.

QUÆSTIO IV.

De Divisione Substantiæ in corpoream & incorpoream.

Quamvis Aristoteles de hac divisione substantiæ nullam hic fecerit mentionem, videtur tamen non incongruè hic examinari ex eo quòd ordinariè post definitionem adferatur divisio, in re autem hæc divisio multo celebrior est quàm prior, unde etiam paulo diligentiùs pertractanda. Antequam autem ad aliquid resolvendum accedam, prænotandum tàm Spiritum, seu substantiam incorpoream, idem enim est, quàm corpus, seu substantiam corpoream multiplicitèr accipi posse. Et in primis Spiritus aliquod accipitur provento & aëre ut patet Gen. 8. ubi habetur: *adduxit spiritum super terram, & diminutæ sunt aquæ*, aliquando pro humore I. *Spiritus & corpus multiplicitèr accipiuntur.*

more melancholico sic dicitur proverb. 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Item aliquando pro spiritibus vitalibus, vel animalibus, imò pro ipsa anima sensitiva: sic dicitur Eccles. 3. *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum*; quo sensu dicuntur animalia bruta, dum moriuntur, spiritum exhalare. tandem accipitur propriè pro spiritu, pro ut opponitur corpori: in prioribus enim locis omnia quæ dicebantur spiritus, erant etiam corpora, seu corporalia; prout verò opponitur corpori scriptura, de spiritu clarè habet Lucæ 24. *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet.* Corpus similiter multiplicitèr accipitur: Primò pro corpore Physico, quod constat ex materia prima & forma corporeitatis, de quo latè in Physica: secundò accipitur pro Mathematico, estq; tertium membrum cum linea & superficie dividens quantitatem, & dicitur etiam quantitativum, quia habet trinam dimensionem secundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem: Mathematicum, quia Mathematici illud veluti à materia abstractum secundùm illas dimensiones præcisè considerant. Sumitur pro corpore Metaphysico tertiò, quod est illud, de quo in linea recta prædicamentali prædicatur substantia, estq; illud quod constat substantia veluti genere & differentia corporea. In præsenti autem non agam de corpore Mathematico, nec de Physico, vel Metaphysico præcisè, sed de eo prout ab utroq; abstrahitur; & de spiritu non in quacunq; acceptione, sed prout opponitur corpori in hac acceptione scilicet pro veris substantiis, hinc & illinc inquirendo, in quo nam ratio eorum formalis consistat? In qua materia plures reperiuntur sententiæ. Prima minimè fundata & veluti erronea à Theologis rejecta, est Renati des Cartes part. 2. Philos. n. 4. qui rationem formalem corporis ponit in actuâli extensione, seu in eo quòd res sit extensa secundùm longum, latum, & profundum. Secunda sententia est Patris Vasquetz, Granado, Hurtadi & aliorum, qui dicunt rationem formalem corporis consistere indivisibilitate in partes integrantes, seu in habentia partium integralium extensivarum; è contra verò rationem spiritus in carentia talium partium extensivarum. Tertia sententia est aliquorum innominatorum, qui spiritum explicant per independentiam à materia, corpus verò per dependentiam. Quarta deniq; sententia est Arriagæ, Oviedo, qui statuunt corporis rationem in impenetrabilitate substantiæ cum alio ejusdem rationis; rationem spiritus verò in penetrabile. Sed hæ sententiæ omnes videntur multùm difficiles, unde prius eas refutabo antequam meam aperiam mentem: quare.

Dico 1. *Falsa est sententia & erronea quæ dicit quod ratio corporis consistat in actuali extensione secundùm longitudinem, latitudinem, & profundum.* Hæc est omnium qui Theologicè Philosophantur, quamvis apud nullum sic proponatur.

Probatur Conclusio. De fide certum est in sacrosancta Eucharistia esse verum & reale corpus Christi, sed in Eucharistia corpus Christi non habet extensionem secundùm longum, latum, & profundum: ergò falsa est & erronea sententia quæ dicit rationem corporis consistere in actuali extensione illa: probatur mi. Quia in Eucharistia non solùm est totus Christus in hostia consecrata, sed etiam totus in qualibet illius parte, ut patet ex hymno D. Thomæ. Tantùm sub fragmento quantùm toto tegitur, ergò.

III. Dices. Corpus Christi licet ibi sit, non habere tamen modum naturalem corporis, sed miraculosum aliquem, adeoq; non est ibi secundùm præcisam rationem corporis. Sed contra; Ille modus miraculosus tollitné rationem corporis, vel non? si non, ergò erit ibi corpus secundùm rationem formalem corporis, sed illud non est actualitèr extensum, ergò non consistit ejus ratio in actuali extensione; si tollitur, ergò falsum est quòd sit ibi corpus, quod tamen hæreticum est asserere & expresè contra Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 3. Contra secundò Corpus Christi in Eucharistia habet modum quantitativum, & omnes perfectiones non dicentes ordinem ad locum, ergò multo magis ipsam rationem formalem corporis utpote cum illo plurimæ subjectentur perfectiones, ut patet de pulchritudine, figura. Contra tertiò: si non haberet ibi naturalem modum, sequeretur ibi Christum, nec habere auditum, nec visum, aut ullum alium sensum qui tamen requirunt rationem præ viam formalem corporis.

IV. Dico 2. *Non benè explicatur ratio formalis corporis per dependentiam à materia & spiritus per talem independentiam.* *Ratio corporis non benè explicatur per dependentiam à materia.*

Probatur Conclusio; quoad primam partem non implicat, quòd detur aliquod corpus omninò simplex, imò de facto plurimi tenent ita cœlum esse corpus simplex, sed tale corpus tunc non dependeret à materia, ergò malè explicatur ratio corporis per dependentiam à materia, quia hoc esset corpus & tamen à materia non dependeret, probatur ma. Quia sicut datur substantia spiritualis incompleta simplex, verbi gratiâ anima rationalis, & substantia completa simplex verbi gratiâ angelus, ita similitèr poterit dari incompleta simplex corporalis ut materia corruptibilium & completa simplex qualis esset corpus illud simplex verbi gratiâ cœlum, empy reum aut aliquod aliud.

Probatur etiam Conclusio ex parte spiritus quòd scilicet ejus ratio non consistat in independentia; Angeli sunt spirituales, sed in certum est an Angeli dicant dependentiam à materia, vel non, ut clarè demonstrat D. Bernardus in libris de Consideratione & Sermone 6. in Cant. Cant. ergò malè explicatur ratio formalis spiritus per independentiam à materia.

Confirmatur; quia non implicat quod DEUS creet angelos qui dependeant à materia, sed illi angeli essent adhuc spirituales, ergò non explicatur benè ratio formalis angeli per independentiam à materia, patet major ex mente plurimorum sanctorum Patrum, qui

defacto putarunt angelos constare materia, ergò.

Confirmatur secundò. Materia est vera substantia, sed non spiritualis, ergò corporalis, quo posito subsumo: sed materia non dicit dependentiam ad materiam, ergò substantia corporalis malè per eam explicatur.

V. Dices: Angelos illos non futuros spirituales, ergò: probatur ant. quia illud non est spirituale quod dependet, vel constat ex materia, sed illi angeli constarent, ergò. R. negando ant. cujus probationis majorem dist. Illud non est spirituale quod constat materiâ sublunari, concedo ma. quod constat materia aliqua alia diversæ rationis, nego ma. & distinctâ similitèr minori nego consequentiam. Itaq; Angeli illi licet constarent materiâ, non constarent tamen materiâ ejusdem rationis, sed alterius diversæ, quia illa materia esset adhuc indivisibilis sicut ipse angelus.

VI. *Nec consistit indivisibilitate.* Dico 3. *Ratio formalis etiam non consistit indivisibilitate, seu in habentia talium partium divisivarum.* Hæc est Doctoris, 2. d. 12. q. 2. Aureoli Gottfredi.

Probatur Conclusio primò contra Thomistas: secundùm ipsos animæ perfectorum animalium sunt indivisibiles, sed animæ illæ non sunt spirituales, ergò ratio spiritus non consistit in indivisibilitate, seu in carentia partium divisivarum, & consequentèr, nec ratio corporis indivisibilitate, seu habentia talium partium.

Probatur secundò. Habere partes extensivas non potest salvari sine pluribus, quia non potest salvari sine multis partibus, sed esse corpus salvatur sine multis partibus, ergò ratio formalis corporis non consistit in habentia tantùm partium extensivarum.

Confirmatur. Quia indivisibilitas potest competere etiam corpori, ergò corpus non consistet præcisè indivisibilitate, nec spiritus in indivisibilitate, quia nulla propria ratio formalis potest alteri competere.

Dices Non potest dari spiritus qui constet partibus integrantibus, ergò ratio spiritus erit non habentia partium divisivarum. R. negando consequentiam, quia non sequitur ex eo quòd illud etiam competat corpori, ut dixi, & quia spiritus & corpus constituuntur differentiis oppositis, ideoq; si illud competit corpori, non potest esse essentia & ratio formalis spiritus cùm nulla essentia alteri competat.

VII. *Nec per hoc quod exigat quantitatem.* Dico 4.. *Nec benè describitur corpus, seu substantia corporalis quatenùs à spirituali substantia distinguitur, per hoc: quòd connaturaliter exigat quantitatem, vel quòd sit impenetrabile cum alio ejusdem speciei.* Prima pars est Pontii contra Baronem: posterior Baronis Contra Oviedo & Arriagam.

Probatur prima pars. Quia non repugnat substantia corporalis divisibilis quæ exigeret esse in loco commensurativè, seu cum proportione partis ad partem, & tamen non exigeret connaturaliter ullam quantitatem, qualem opinabantur multi Sanctorum Patrum esse angelos, quos proinde corporeos dixerunt; & quales defacto in multorum opinione sunt cœli, qui secundùm illos nullam habent, vel exigunt quantitatem.

Confirmatur. Anima rationalis exigit connaturalitèr quantitatem, quia exigit corpus quantum, & tamen non est corporea, sed est substantia spiritualis, ergò malè explicatur substantia corporalis prout contradistinguitur à spirituali per hoc, quòd exigat quantitatem.

Probatur secunda pars. Nullæ duæ species possunt constitui per eandem differentiam ultimam specificam, sed impenetrabilitas est ratio constitutiva quantitatis, ut dicam infra, ergò non potest esse ratio formalis constitutiva substantiæ corporeæ: quòd si de minore quis dubitet, putans impenetrabilitatem esse tantùm proprium quantitatis, & non differentiam, tunc sic urgeo argumentũ, per nihil quod est proprium accidenti constituitur substantia quæcunque, sed impenetrabilitas est propria accidenti, ergò non potest esse ratio constitutiva substantiæ corporeæ.

Probatur eadem pars secundò: Quia potest dari aliquod corpus, quod sit penetrabile cum alio ejusdem speciei, ergò in impenetrabilitate ratio substantiæ corporeæ non subsistet, probatur ant. quia si duo lapides ponantur, sine suis dimensionibus, demptis quantitatibus erunt vera duo corpora: sed illa duo corpora sunt penetrabilia, cum alio ejusdem speciei, imò si ab uno solo lapide separetur quantitas erit penetrabilis cum alio, qui quantitatem suam adhuc habebit, ergò potest dari aliquod corpus quòd sit penetrabile cum alio, probatur major demptis dimensionibus ab illis lapidibus nihil substantiale ab eis aufferetur, ergò manebunt adhuc veræ duæ substantiæ corporeæ tàm completæ, sicuti prius erant: quia nulla pars essentialis, vel integralis esset eis ablata.

Probatur Conclusio quoad hanc partem tertiò. Quia duo corpora non solùm sunt sibi ad invicem impenetrabilia quæ sunt ejusdem speciei, sed etiam cum aliis diversarum specierum, ergò frustra ponitur ratio corporis in impenetrabilitate cum alio corpore ejusdem speciei, probatur ant. quia lapis non modo est impenetrabilis cum alio lapide, sed etiam cum ligno homine, bove &c.

VIII. Opponitur. Authoritas sacræ Scripturæ Lucæ 24. *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Sed palpatio sine quantitate & impenetrabilitate haberi non potest, ergò quod corpus est palpari debet posse, & simul habere quantitatem cum impenetrabilitate, & consequentèr in impenetrabilitate consistet ratio formalis corporis. R. argumentationem ex sacra illa prælegata authoritate bonam esse, sequitur enim optimè, est palpabile & impenetrabile, ergò est corpus; sed nihil urget me, quia non nego illud quod est palpabile corpus esse, sed solummodo quod corpus in tota sua latitudine debeat esse tale, quia affero non implicare corpus aliquod quod natura-

naturalitèr sit inpalpabile & impenetrabile. Hinc est quia Arriaga facilè ad præfata argumenta respondet, ut ipse putat & sat probabiliter, quod quantitas & substantia corporea sit unum & idem, & consequentèr illas dimensiones & quantitatem ab ea separari non posse.

Probatur Conclusio quartò cum Pontio. Quia si Deus crearet corpora quæ ex natura sua peterent esse penetrabilia, sicut defacto sunt corpora glorioſa per dotem penetrabilitatis, in quo nulla apparet implicantia, essent essentialitèr vera corpora; sed illis corporibus non competeret connaturalitèr & essentialitèr impenetrabilitas, sed potius penetrabilitas: ergò impenetrabilitas non est ratio formalis constitutiva substantiæ corporeæ, seu corporis in sua latitudine.

IX. Dico 5. *Benè explicatur ratio substantiæ corporeæ ut sic: Quòd sit substantia connaturalitèr impotens occupare locum divisibilem indivisibiliter, ita ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte. Econtra substantia spiritualis quòd sit illa substantia quæ de se apta nata est esse tota in toto, & tota in qualibet parte vel puncto spatii, vel subjecti sibi connaturaliter debiti.* Hanc conclusionem apud nullum Classicum Authorem reperi, est tamen quoad posteriorem partem P. Ludovici Connæi in suis Mſ. qui putat eam proximam esse ad illam quam Pontius proponit. In rei veritate autem eam omnes tenere deberent Scotistæ, si conformitèr ad sua principia procederent: nam dum agunt contra Thomistas asserentes animas brutorum perfectorum esse indivisibiles, sic argumentantur, si animæ brutorum essent indivisibiles, deberent esse spirituales, sed &c. probant sequelam: quia si per impossibile anima rationalis dependeret in esse & conservari à corpore, non definiret adhuc esse spiritualis, modò esset tota in toto, & tota in qualibet parte, ubi expresè & fortè in advertentes constituunt rationem substantiæ spiritualis in esse totius in toto, & totius in qualibet parte, ergò. Probatur Conclusio, tum ex refutatione aliarum sententiarum, tum quia melius explicari non potest, tum quia omnibus & solis conveniunt.

X. Arguitur. Secundùm sententiam etiam per me probabilem non implicat, quòd substantia corporea separetur à quantitate, sed factâ tali separatione non potest ostendi ratio quare substantia materialis non possit connaturalitèr esse tota in toto, & tota in qualibet parte, ergò malè definitur substantia corporea quòd sit illa cui repugnat occupare locum divisibilem indivisibiliter, &c. Probatur minor, quia tota ratio quare res corporea non possit connaturalitèr occupare locum divisibilem indivisibiliter est ipsius divisibilitas, ergò si potest res divisibilis sic occupare locum (quod teneo te qualibet re spirituali) potest etiam talis substantia, sublatâ quantitate, & sic consequentèr malè describitur ratio formalis corporis & spiritus, vel si bene, tunc ruit tertia conclusio quòd ratio corporis non consistat indivisibilitate. R. negando mi. Ratio autem est, quare non possit sic occupare locum, quia licèt illa substantia defacto non haberet quantitatem, tamen connaturaliter postulat habere illam per quam ejus partes sint impenetrabilitèr extensæ; adeoque esse commensurativè in loco, unde de se talis substantia separata à quantitate non est apta nata occupare locum divisibilem indivisibilitèr, & quamvis ab angelo posset redigi ad minimam partem sui loci, vix tamen ad punctum.

Instatur. Ex dictis propriis non implicat quòd Deus posset corpora producere quæ essent connaturalitèr penetrabilia, ergò nulla solutio. R. negando consequentiam, quia talia corpora adhuc non possent connaturalitèr poni in puncto loci. R. 2. dist. ant. Ita ut illa corpora de se peterent occupare locum commensura tum, quamvis penetrabilitèr non excludendo alia corpora, concedo ant. ita ut non peterent idem locum commensuratum nego ant. & consequentiam. Ex dictis patet etiam quid dicendum ad probationem minoris, supra videlicet non quamcunque divisibilitatem excludere à loco indivisibili locatum divisibile, sed divisibilitatem entis corporei tantùm, & quòd hoc non sit gratis dictum ostendo, quia sicut est discrimen inter ipsas res corporeas æq; divisibiles in ordine ad occupandum locum: verbi gratiâ inter substantiam palmarem & quantitatem palmarem, quarum utraque est in tot partes divisibilis, in quot est altera, tamen una, verbi gratiâ, quantitas essentialitèr occupare postulat locum palmarem, & quantitatem palmarem impenetrabilitèr, & altera non; & sic non sola divisibilitas est ratio præcisè in se, sed in quantùm est hujus entis.

QUÆSTIO V.

De Proprietatibus Substantiæ.

Aristoteles hic capite sexto sex enumerat substantiæ proprietates, quarum tres conveniunt substantiæ in communi, duæ verò substantiæ primæ, & una substantiæ secundæ, quas etiam hoc ordine producam & brevitèr explicabo, quamvis Philosophus indiscriminatim eas posuerit; unde tres sequentes competent substantiæ in communi, quarta & quinta substantiæ primæ, & ultima tandem substantiæ secundæ. Itaque

I. *Sex sunt proprietates substantiæ.*

Proprietas 1. Substantiæ communi est, *Non esse in alio*, scilicet veluti in subjecto inhæsionis, id est quòd nullo modo inhæreat alteri veluti accidens, neque natum sit inhærere sicut nata & apta sunt ad inhæsionem accidentia Eucharistica, quamvis actualitèr non inhæreant; hinc dicit q. 14. præd. Scotus, licèt forma sit in materia, non est tamen in ea veluti in subjecto, sed tanquam informans in informato, quod dat ei esse simplicitèr, seu cum qua constituit unum per se simplicitèr. Notandum ex dictis quòd non esse in alio hoc modo duplicitèr intelligi possit, vel negativè, vel positivè; si intelligatur negativè, tunc non esse in alio dicit formalitèr negationem actualis & aptitudinalis inhærentiæ, & hæc negatio dici potest proproprietas quarto modo, accipiendo scilicet proprietatem pro omni eo quod omni & soli necessariò convenit & non est essentiale ipsi. Si intelligatur positivè, non esse in alio, tunc illa ineptitudo essendi in alio potest accipi, vel pro

II. *Prima est Non esse in alio.*

perfeitate constitutiva substantiæ, & sic non erit proprietas ut patet ex dictis; vel potest accipi pro aliquo respectu aptitudinali qui sequitur ad illud positivum, & talis respect⁹ erit proprietas ipsius quartò modò realitèr identificata.

III. *Secunda non habere contrarium.*

Secunda Proprietas substantiæ in communi est. *Non habere contrarium.* Hæc proprietas ut omni substantię sit propria, quartò modò, debet intelligi de contrarietate proprie dicta quæ versatur inter formas positivas, quæ se mutuo natæ sunt expellere, & expelli ab eodem subjecto inhæsionis prout contingit in pluribus qualitatibus, non verò alicui substantiæ, sive directè, sive lateralitèr & reductivè ponatur in prædicamento; quia si sermo esset de contrarietate impropriè dicta, quæ versatur interea quæ habent naturas sibi repugnantes, vel qualitates repugnantes & provenientes à talibus naturis, sic rationale & irrationale vocantur contraria; sic ignis & aqua contrariantur ratione qualitatum provenientium ab illis naturis, ignis aquæ, propter calorem, aqua igni propter frigus. Quod si dicas, quandoquidem illæ qualitates ab elementis emanant, & consequentèr in igne & aqua priùs fuisse debuit illa contrarietas, quia illa emanatio non probat in illis aliquam contrarietatem formalem, sed tantùm virtualem & radicalem in elementis ignis & aquæ. Dixi autem notantèr ab eodem subjecto inhæsionis, quia certum est quòd formæ substantiales se invicem expellant ab eodem subjecto informationis, verbi gratiâ forma ignis & forma aquæ, ab eadem materia quam informant, sese expellunt.

IV. *Tertia Non suscipere magis & minùs.*

Tertia Proprietas est *Non suscipere magis & minùs.* Sensus hujus proprietatis non est de substantia prout dicitur à substando, sic enim dicitur una substantia magis substantia quàm alia, sed à subsistendo, seu per se existendo, & sic una substantia non magis per se existit quàm alia, nec una dicitur magis substantia quàm alia ut docet Scotus q. 15. prædicam. Non est sensus quòd una substantia non possit magis, vel minùs, id est, quòd una non possit esse perfectior quàm alia, cùm substantia hominis sit magis perfecta quàm substantia equi, & minùs perfecta quàm substantia angeli; nec etiam sensus est quòd una substantia non possit magis perfici & augeri extensivè, quandoquidem pueri crescunt substantialitèr, sensus ergò hujus proprietatis est, quòd substantia non suscipiat magis & minus quoad intensionem, ita ut jam sit magis intensa, jam minùs: sicuti calor jam magis intenditur, jam minùs, verùmtamen hæc proprietas non competit soli substantiæ, quia etiam quantitas in hoc sensu non suscipit magis & minus, ut dicam infra.

V. *Quarta significare hoc aliquid.*

Quarta Proprietas quæ competit substantiæ primæ est *Significare hoc aliquid*, id est, prout communitèr Doctores docent, substantia est nomen quod imponitur ad significandum singulare, quod est ita determinatum, ut non conveniat univocè pluribus, imò ita determinatum ut sit proprium nomen, verbi gratiâ, Petrus vel Buccephalus, quare hæc proprietas non meretur nomen proprietatis, quia non competit solis: quia possunt etiam accidentia propriis nominibus compellari, nec etiam omnibus substantiis primis, quia non omnes habent nomina propria, ut patet de arboribus, floribus & fructibus, &c. Plerumq; ergò in animalibus habet locum hæc proprietas, non tamen in omnibus ut proprium est idem ac peculiare.

VI. *Quinta suscipere contraria.*

Quinta Proprietas est, quæ etiam competit substantiæ primæ, *suscipere contraria*, seu esse susceptivum contrariorum, hæc proprietas competit omni substantiæ finitæ, unde etiam angeli licèt non possint suscipere contraria materialia, possunt tamen spiritualia. Ut autem cognoscatur num hæc proprietas solis substantiis competat adverte, quòd hæc susceptio duplicitèr contingere possit, primò per modum subjecti non ultimati, & sic etiam quantitati Eucharisticæ competit, secundò per modum subjecti ultimati, & in hoc sensu tantùm substantia est susceptiva contrariorum, & in hoc sensu de ea locutus est Philosophus, quare etiam dixit: Maximè proprium est substantiæ ut una eadem numero permanens sit susceptiva contrariorum.

VII. *Sexta prædicari univocè.*

Sexta denique proprietas quæ substantiæ secundæ, seu cuilibet naturæ communi competit est *Prædicari univocè de primis substantiis.* Hæc univoca prædicabilitas si intelligatur prout est prædicabilis de pluribus secundùm eandem rationem, sive illa ratio sit essentialis, sive non, non est proprietas quartò modò, quia etiam albedo prædicatur univocè de Petro & Paulo: si autem intelligatur illa ratio eadem prout est prædicatum essentiale, sic est proprietas substantiæ quartò modò.

VIII.

Ut autem Intelligatur qualitèr prædicamentum substantiæ constituatur, sequens adjicio schema in quo demonstrantur quæ directè, quæq; indirectè in eo collocentur, seu lateralitèr: ubi notandum quòd hæc arbor, & quæcunq; alia quæ in Scholis proponi solet, sit adhuc imperfecta, nam plurimi intercedunt gradus à supremo genere descendendo usq; ad ultimam speciem quæ non omnes recensentur, est tamen perfectior ex omnibus quæ in Scholis post Porphyrium circumferuntur.

Notandum secundò, quòd post insinuationem Mastrii & Belluti animal dividam in rationale & irrationale, seu brutum & hoc in varias brutorum species, quia valde probabile est animal non esse immediatum genus respectù brutorum sicut respectu hominis, prout ab ipso etiam insinuatur Aristotele 7. Met. 28. ubi inter equum & animal constituit aliud genus in nominatum, quod nunc appellari solet brutum.

Notandum tertiò. Quòd differentiæ quæ ponuntur in latere B. tantùm possint contrahere gradus superiores, & nihil constituere ex illis quæ ponuntur in linea recta; differentiæ verò quo ponuntur ex latere A non modò contrahere gradus superiores, sed etiam constituere gradus inferiores quæ sunt in linea recta: verbi gratiâ, corporeum, contrahit substantiam & constituit corpus, non corporeum verò licèt contrahat substantiam, non constituit aliquid quod poneretur directè statim in linea prædicamentali.

Arbor


Genus Supremum
A
differentiæ
B
Differentiæ
Substantia
Divisiva
Non corporea
Hæc differentia constituit Spiritum, qui dividitur in varias species
Corporea
Constitutiva
Species
Corpus
Divisiva
Noncorruptibile
Sunt omnes Cœli, Astra, Stellæ et Planetæ
Corruptibile
Corpus Corruptibile
Divisiva
Nonmixtum
Sunt Elementa, in communi sententia quatuor
Mixtum
Corpus Mixtum
Divisiva
Nonvivens
Perfecta sunt Saxa, Lapides, metalla
Imperfecta sunt metheora
Vivens
Vivens
Divisiva
Nonsensitivum
Sunt Plantæ, Arbores, frutices, flores etc.
Sensitivum
Animal
Divisiva
Nonrationale
Constituit primo gressibile, reptile, natatile et volatile quæ in varias abeunt species.
Rationale
Homo
species infima
Bernardus
Stephanus
Matthæus
Hieronymus
Thomas
Socrates

DISPUTA-



DISPUTATIO III.

DE ACCIDENTE IN COMMUNI.

Insinuavi jam nuper, Ens in prima sui divisione dividi in substantiam & accidens, & est certum apud omnes, si Sermo est de Ente finito, quare cum præcedente in Disputatione egerim de Substantia, ordo postulare videtur ut consequenter agam de accidente, & quia illud subdividitur in novem species, ideò priùs aliquid in genere de eo agendum est antequam descensus fiat ad particularia. Non agitur autem hic de accidente quod constituit quintum prædicabile, nam sic non contradistinguitur à substantia, quæ etiam accidentaliter prædicari potest: sed de accidente prædicamentali quod non spectatur præcisè secundùm intentionalem prædicationem, sed secundùm ipsam naturam in se, in qua materia præcipua est difficultas in quonam consistat, quod in hac resolvam Disputatione. Sit igitur

QUÆSTIO. I

In quo consistat ratio formalis constitutiva accidentis?

I. Circa naturam accidentis triplex sententia.

Circa præsentem difficultatem quæ oritur ex definitione accidentis, quæ communitur circumfertur scilicet quòd *sit ens in subjecto inhærens*, triplex est sententia: Prima est ipsiusmet Aristotelis & plurimorum Philosophorum gentilium, qui non agnoscentes separabilitatem accidentis à subjecto, statuerunt ipsam actualem inhærentiam esse essentiam accidentis, & consequentèr docebant accidens non esse ens essentialitèr & in se, sed in alio & per denominationem: quod tamen Aristoteles non sensit, qui verè ens divisit in substantiam & accidens, nec per hoc quod insit alteri desinit esse ens, sed est tantùm ejus particularis essendi modus, qui adhuc verè demonstrat quòd sit ens, quia nihil fictum, & quod habet esse per operationem intellectus realitèr alicui inest veluti in subjecto, unde quando aliquando vocatur ens secundùm quid, id intelligendum non est quasi distraheret entitatem accidentis, & quasi non verò participaret essentialitèr rationem entis sed diminuit tantùm perfectionem gradus entitatis quatenus deficit à perfectione entitatis substantiæ unde dicitur ens secundùm quid non præcisè in quantùm secundùm se consideratur, quia sic est ens simplicitèr, sed in comparatione ad substantiam. Secunda Sententia est Thomistarum post D. Thomam 7. Met. Lect. 1. & 4. d. 12. q. 1. a 1. Javellus, Cajetanus, Capreolus, Hervæus, Suaretz & Complutenses cum pluribus Recentioribus eandem ingrediuntur viam, qui omnes rationem formalem accidentis constitutivam dicunt esse inhærentiam aptitudinalem, seu aptitudinem ad inhærendum tanquam in subjecto inhæsionis, quid autem sit inhærere veluti in subjecto inhæsionis dixi supra. Tertia Sententia adscribitur Scoto 7. Met. q. 1. & in 4. d. 12. q. 1. art. 1. quem præter suos sequitur Soncinas & alii quæ asserit radicem, unde pullulat talis aptitudo esse rationem formalem constitutivam accidentis, quæ radix vocatur in aleitas, seu inhærentia fundamentalis absoluta. Ab hac sententia, quæ in Schola Scoti communis est, recedit Baro, qui sese plùs omnibus aliis retro Scotistis sapere autumat, & in sententiam Thomistarum per fas & nefas trahit.

II. Notandum cum Scoto difficultatem non moveri de accidente pro per se significato, seu pro ipsa accidentalitate & accidentia, quæ est formale & per se significatum accidentis ut sic quia hæc formalissimè est ipsa inhærentia, sed de accidente sumpto pro denominato ab inhærentia & accidentalitate, nempe pro illa forma quæ denominatur accidens, sive inhærens, sive illa forma sit absoluta, sive sit respectiva: quo notato

III. *Actualis inhærentia non ratio formalis accidentis.*

Dico 1. *Actualis inhærentia non est ratio formalis constitutiva accidentis.* Hæc est communis in omnibus Scholis Catholicis & probatur. Nihil est de essentia alicujus, vel ratio ejus formalis constitutiva, nisi quod spectat ad ejus quidditatem, sed inhærentia actualis non spectat ad ejus quidditatem, ergò non erit ejus essentia, seu ratio formalis constitutiva, probatur minor, nihil spectat ad rationem formalem, vel ad quidditatem quod ab eo potest separari & tolli, sed inhærentia actualis potest ab accidente separari & tolli, ergò: probatur minor, quia in Eucharistiæ mysterio manent accidentia absq; eo quod ultimate inhæreant subjecto, ergò possunt separari & consequentèr actualis inhærentia quæ consistit in unione ad subjectum non erit de essentia, vel ratio ejus formalis constitutiva. Confirmatur quia subjectum est realitèr distinctum ab accidente quod inhæret, ergò inhærentia non potest esse ratio formalis, quia alioquin etiam deberet subjectum esse de ejus essentia: quia actualis inhærentia sine subjecto concipi non potest, quod autem subjectum non sit de essentia patet ex eo, quod destructo accidente maneat ad huc subjectum incorruptum & indestructum.

IV. *Refutatio Baro.*

Baro quamvis idem sentiat, existimat tamen quòd ex mysterio Eucharistiæ non possit deduci ratio ad probandam distinctionem accidentis à subjecto, nam imprimis dicit teneri posse, quod Christus ibi subsit immediatè sensibus, & induat illa accidentia sub quibus putatur subesse panis cum non sit. Deinde dicit Concilium Tridentinum nullibi asserere quod accidentia panis, aut vini separentur à subjectis, aut manere post consecrationem, vel aliquid simile, sed solum asserit manere *species* panis & vini, id est apparentiæ panis & vini, prout sumitur etiam frequenter species, tàm apud sa-

cros quam profanos Scriptores, ut ibi adducit Baro. Verùmtamen hoc dictum Baronis mihi videtur quasi omninò temerarium, imò erroneum: temerarium quidem, quia sine ullo solido fundamento contra Torrentem omnium Theologorum dicit ibi non manere verè accidentia, sed tantùm apparentias accidentium, sive similitudines externas & repræsentationes panis; quod autem nullum solidum habeat fundamentum patet, ex eo, quòd non alleget, nam implicantia allegata non sufficit ad improbandum id, quod nunc est & esse universaliter tenetur. Erronea quidem, quia defacto censetur erronea sententia asserens parvulos non justificari per habitum gratiæ, quia deducitur ex una de fide & altera lumine naturali nota, sed accidentia manere panis & vini deducitur etiam ex una de fide & altera lumine naturali nota, ergò contrarium asserere etiam est erroneum: major patet, quia de fide certum est quod justificentur in baptismo & lumine naturali notum est, quòd non habeant actum, ergò justificantur per habitum: probatur minor, Quia deducitur ex hac *In Eucharistia non manet & non est substantia panis* quæ est de fide, & ex ista *sunt ibi accidentia panis & vini*, quæ est magis lumine naturali nota, quàm *quod parvuli non habeant actum*, ergò: quandoquidem contrarium asserere in justificatione parvulorum est erroneum, etiam erroneum erit dicere non manere in Eucharistia accidentia panis & vini, sed esse tantùm aliquas apparentias.

Contra secundò. Falsum est quod dicit Baro, scilicet Concilium Tridentinum nullibi dicere accidentia panis & vini manere, vel aliquid simile, quia Concilium Sess. 13. cap. 2. expressè anathematizat contrarium asserentes hoc modo: *Si quis negaverit admirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ in sanguinem manentibus duntaxat speciebus panis & vini anathema sit.* Sed si non essent illa priora accidentia quæ prius fuerunt non posset dici manentibus duntaxat, quia quod de novo advenit manere non dicitur, ergò, vel erit certissimum ita ut contrarium sit erroneum quod priora accidentia nomine specierum intellecta maneant, vel Baro fateri debebit, quod priora accidentia etiam non fuerint nisi species, seu apparentiæ & similitudinariæ repræsentationes, quod plane stolidum est, & inde tamen sequi sic probo, illæ species secundùm Baronem in Eucharistiæ mysterio sunt solummodo apparentiæ & similitudines ac repræsentationes panis & vini, sed illæ species fuerunt ante consecrationem, ergò ibi tantùm fuerunt apparentiæ & similitudines, probatur, quia Concilium sub anathemate determinat *manere species* quæ ante fuerunt, sed modo secundum te sunt tantùm apparentiæ, ergò etiam antea fuerunt.

Contra tertiò. Quia in Concilio Constantiensi Sess. 8. damnata fuit expressè hæc sententia Wiclefi *Accidentia panis non manent sine subjecto*, ergò ex determinatione Concilii habetur quod accidentia panis maneant sine subjecto & consequentèr sequitur damnatum esse contrarium, quod Baro tenet tamen veluti conforme Concilio Tridentino quamvis in Conclusione alitèr postmodum sentiat, sed

Respondet Baro: Quamvis in Concilio Constantiensi & in Bulla Martini Papæ damnatæ fuerint quadraginta propositiones Wiclefi, eas tamen omnes non damnatas veluti hæreticas, sed partim ut tales, partim ut scandalosas, partim ut temerarias &c. sed hæc Baronis responsio futilis ad priora dicta, nam per hoc ipsum ex ore proprio ipsum judico, ergò quod supra teneri posse putabas si non hæreticum, temerarium est, scandalosum & bonis omnibus offensivum, & consequentèr, nec quodlibeticè debuisse ipsum hoc disputasse & tàm protervè sensum Concilii Tridentini ejusq; verba torsisse, ut insuper gloriari audeat, dicendo numero tertiò Apolog. 4. præd. act. prima Hujusmodi dicendo, explicatio mirum est quam conveniat doctrinæ Concilii Tridentini quod solum ei obstare videbatur. Sed in Contra

Arguitur. Substantia & accidens constituuntur per differentias essentialitèr oppositas, ita ut una non possit convenire & competere alteri, sed differentia & per eam constituta formalis ratio substantiæ est esse per se, ergò differentia & ratio formalis accidentis per differentiam constituta erit esse in alio, & consequentèr inhærentia actualis est ratio formalis accidentis ut sic. R. distinguendo mi. Ratio formalis substantiæ est esse per se, quod significet quoddam per se stare & vi sua consistere concedo mi. quod significet aliquod per se, seu ut sit idem ac absolutum & non dicens respectum nego mi. & consequentiam. Itaq; licet substantia & accidens habeant differentias essentialitèr oppositas, per hoc quod negatur accidens esse in alio essentialitèr, non statim inferri potest quòd sit per se in prima acceptione, benè tamen in secunda, unde accidentia non dicuntur per se stare, sed sustentari quemadmodum cadaver sustentatur ab aliquo erectum, homo verè non sic sustentatur, sed verè & propriis suis subsistit pedibus.

Instatur: Accidens etiam potest per se stare sicuti substantia, ergò malè dicitur accidenti id non competere, probatur ant. quia accidentia Eucharistia ita per se stant sicut stetit antecedentèr ipsa substantia panis. R. negando ant. & probationem ejus dist. Accidentia Eucharistica per se stant virtute propria, nego ant. virtute alienâ scilicet divinâ conservante accidentia sine subjecto, concedo ant. & nego consequentiam.

Urgetur. Accidentia ex concessis possunt virtute divinâ per se stare, ergò etiam substantia virtute divina potest esse in alio veluti in subjecto, R. negando consequentiam, disparitas est: quia differentia accidentis explicatur per esse in alio secundum affirmationem, quæ non necessariò infert actum secundum ut patet in rationalitate, quæ non necessariò dicit & infert actualem ratiocinationem: imò frequentèr est rationalitas sine actuali discursu; differentia verò substantiæ explicatur per negationem scilicet per non esse in alio, adeoq;

nunquam

nunquam potest habere actum secundum ut sit in alio, quemadmodum irrationale nunquam potest habere ratiocinationem.

VI. Dico 2. *Inhærentia aptitudinalis non est de essentia accidentis ut sic, quod est commune univocum accidenti absoluto & respectivo.* Hæc est communior Scotistarum excepto Barone qui cum Thomistis in hoc passu tenet, fulcitus aliqua authoritate Scoti 4. d. 12. n. 24. ubi Scotus respondet sic: *Ad primum quod aptitudo nihil aliud absolutum est à natura illius, cujus aptitudo, quam authoritatem magnifacit ipse, sed & ego, verùmtamen secundum meum videre nihil favet Baroni.* Si benè intelligatur, qualitèr colligo quod Baro noluerit intelligere ut benè ageret cum Scotistis, nam non dicit Doctor quòd *aptitudo*, seu inhærentia aptitudinalis *sit ipsa natura*, sed *quòd aptitudo nihil aliud absolutum sit à natura*; benè tamen quod sit aliquid *respectivum* quod est pro nobis syncerioribus Scotistis quibus Scotus clarissimè patrocinatur 7. Met. q. 1. ubi dicit: *quòd neutra inhærentia, scilicet nec actualis, nec aptitudinalis sit de essentia accidentis.*

Probatur Conclusio brevitèr.

Quia, quidquid est de essentia superioris, est de essentia cujuslibet inferioris: ad illud; quia quidquid est de essentia animalis, est de essentia hominis & bruti, sed inhærentia aptitudinalis non est de essentia cujuslibet inferioris ad accidens, ut sic quia non de essentia accidentis absoluti, ergò: major est certa, probatur minor: quia nullum absolutum est de essentia respectivi, nec ullum respectivum est de essentia absoluti, sed illa inhærentia aptitudinalis est ens respectivum, ergò non potest esse de essentia accidentis, ut sic probatur ma. quia alias idem essentialitèr diceret respectum ad aliud & essentialitèr non diceret, quod implicat: probatur minor, quia inhærentia aptitudinalis est ordo seu habitudo inter illud quod est aptum natum inhærere; & illud, cui est aptum natum inhærere, ergò respectivum: probatur consequentia prioris syllogismi etiam, quia alias esset de essentia quantitatis & qualitatis, quæ sunt accidentia absoluta & consequentèr de essentia absoluti.

Probatur Conclusio secundò:

Tum quia omnis aptitudo præsupponit aliquid in re cujus est aptitudo, ergò ipsa aptitudo non est essentia accidentis, sed debebit aliquid antecedens esse: tum quia quod non consideratur primo in re non est essentia ejus, sed aptitudo non consideratur primo in re, ergò: probatur mi. quia in re consideratur primò quod est ad se, quam illud quod est ad aliud, sed inhærentia aptitudinalis est ad aliud, ergò illa non consideratur primò in se, & consequentèr non erit de essentia accidentis.

VII. Arguitur. Incontra Inhærentia aptitudinalis non dicit formalem respectum, seu relationem secundùm esse, sed tantùm secundùm dici, sed relativum secundùm dici potest esse de essentia alicujus absoluti, vel saltem illius quod abstrahit ab absoluto & respectivo, cujusmodi est accidens in communi, ergò inhærentia aptitudinalis potest esse de essentia ejus: probatur ma. Cognitio actualis, vel habitualis alicujus objecti non dicit formalitèr relationem secundùm esse, sed tantùm secundùm dici: cùm accidens sit absolutum de prædicamento qualitatis dicitur tamen relativa secundùm dici, quia secundario & ex connotato dicit ordinem, seu respectum ad objectum cujus est cognitio, seu in quod tendit: sicut imago, vel statua esto in sua entitate, sit ens absolutum, quia substantia materialis, ergò à paritate inhærentia aptitudinalis potest esse in sua entitate aliquid absolutum, seu secundùm esse, & relativum secundùm dici, seu ex connotato; ex hoc exemplo cognitionis, probatur etiam minor, tum Cognitio intellectualis est relativa secundum dici ex dictis modo, sed hæc cognitio est de essentia scientiæ actualis & habitualis quæ est quid absolutum, ergò aliquod relativum potest esse de essentia alicujus absoluti, tum quia ipsa differentia essentialis accidentis quæ est radix talis inhærentiæ juxta dicenda non potest intelligi nisi per modum alicujus, quod sit natum aptum principiare illam inhærentiam aptitudinalem, seu aptitudinem formalem ad inhærendum. R. Negando ma. ad probationem, nego consequentiam & paritatem loquendo de inhærentia aptitudinali formalitèr de qua hic ago, quia formalissime & secundum totum suum esse est verissimus & formalissimus respectus, (parum curo pro nunc, an prædicamentalis, an transcendentalis) cognitio verò & imago formalitèr secundùm totum suum esse formale sunt entia absoluta, unde non est paritas, sicut nec de differentia constitutiva accidentis, quæ licet ex connotato dicat ordinem ad talem inhærentiam tanquam principium emanativum, tamen secundùm totum suum esse absolutum præcedit illum ordinem, licet à nobis pro hoc statu & à posteriori per talem ordinem exprimatur: minorem argumenti concedo cum sua prima probatione & nego consequentiam & paritatem ob jam dicta per quod patet etiam ad secundam probationem.

Instatur: Accidentis esse, est inesse secundùm communem sententiam & Philosophum, sed inesse accidentis est inhærentia, ergò inhærentia si non actualis saltem aptitudinalis erit de essentia ejus. R. dist. ma. Accidentis esse est in esse radicale, concedo ma. aptitudinale nego. Unde licet in communi describatur accidens per inesse, non intelligitur tamen ibi aliud quàm inesse radicale, seu radix ex qua pullulat inhærentia aptitudinalis, & sic ad plura similia argumenta respondere poteris. Verùmtamen adhuc

Urgetur. Inhærentia aptitudinalis magis intrinseca est accidenti quàm dependentia Creaturæ ad Creatorem, sed hæc posterior est aliquis respectus realitèr identificatus creaturæ, ergò inhærentia aptitudinalis, cùm sit magis intrinseca accidenti quàm aliquid realitèr identificatum, erit ipsa essentia ejus, & consequentèr in esse, seu inhærentia aptitudinalis & non radicalis erit essentia accidentis: probatur ma. quia accidens ut dixit instantia, definitur per inhærentiam ad subjectum & creatura non definitur per DEUM, ergò inhærentia est magis intrin-

intrinseca. R. negando ma. & ad probationem dico, majorem, vel minorem identitatem non esse rationem, quare accidens definiatur per ordinem ad subjectum: sed quia accidens est forma informans saltem extrinsecè aliud, & dans subjecto aliquam perfectionem accidentalem & secundùm quid, & sic quia perfectio non posset perfectè & distinctè concipi conceptu quietativo intellectus, nisi cointelligatur illud, cujus est forma, ideò inhærentia aptitudinalis ingreditur definitionem accidentis, quia accidens est fundamentum inhærentiæ aptitudinalis quæ est relatio quod fundamentum est forma extrinsecè informans subjectum, nam quæcunque essentialia accidentis indefinitione ponuntur, non ita quietarent intellectum, sicut quietatur quando definitur per ordinem ad subjectum quod informat, ut patet.

VIII. *Accidentis in communi ratio est radix ad quam sequitur inhærentia.*

Dico 2. *Accidentis in communi essentia est radix quædam absoluta ad quam inhærentia aptitudinalis sequitur veluti propria passio.* Hæc sequitur ex priori: si enim ipsa inhærentia non est essentia, erit saltem aliqua propria passio.

Probatur Conclusio: Quia illud est de essentia accidentis quâ talis, per quod distinguitur essentialitèr à substantia, & quod est radix suæ propriæ passionis, seu dictæ aptitudinalis inhærentiæ, sed tale est radix absoluta ad quam sequitur necessariò inhærentia aptitudinalis, ergò est de essentia accidentis quâ talis, & consequentèr ejus formalis ratio constitutiva ma. patet: probatur mi. sicut perfeitas quæ est radix unde profluit negatio actualis, vel aptitudinalis inhærentiæ, est ratio formalis constitutiva substantiæ ut sic, ita aleitas est radix unde profluit inhærentia aptitudinalis ab omnimoda paritate, ergò sicut perfeitas est ratio formalis constitutiva substantiæ, ita in aleitas est ratio formalis constitutiva accidentis.

IX. Dices Secundùm dicta superius Inhærentia aptitudinalis non potest esse essentia accidentis, quia nihil respectivum potest esse de essentia alicujus absoluti, sed etiam nihil respectivum potest esse proprietas absoluti alicujus, ergò malè dicitur quòd sit proprietas accidentis dicta inhærentia aptitudinalis. Hoc est argumentum quod adhibet Baro ad probandum suum assertum, scilicet quòd inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidentis, & putat se hac retorsali probatione anteriores Scotistas ad magnas adigere angustias. Verùmtamen nihil proficit, nam R. 1. Negando mi. nam universaliter certùm est dependentiam creaturæ ad Creatorem esse quid respectivum, sed illa dependentia est maximè propria creaturæ, ita ut nec divinitus ab ea separari possit, ergò potest aliquid respectivum esse proprietas alicujus absoluti: sic se habent omnes aliæ relationes & aptitudines transcendentales; unde R. 2. Nihil respectivum potest esse proprietas alicujus absoluti, nihil respectivum prædicamentale, concedo; nihil respectivum transcendentale, nego mi. & consequentiam.

X. *Ratio accidentis relativi est Inhærentia.*

Dico 3. *Inhærentia actualis est de essentia accidentis relativi, vel planè ejus tota essentia.* Ita communis Scotistarum cum Scoto supra

Probatur Conclusio primò. Authoritate Scoti 4. d. 12. q. 1. n. 5. ubi sic habet: *Respectus est essentialitèr habitudo inter duo extrema, & ideò sicut tollere terminum ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum: ita tollere id cujus est respectus est tollere respectum* & destruere rationem respectus: ubi Doctor æqualitèr loquitur de termino ac de fundamento in ordine ad relationem, sed certùm est quòd ordo ad terminum sit relationi essentialis, ergò erit etiam essentialis ad fundamentum, ergò necessariò ejus essentia consistit in actuali inhærentia in fundamento, per quod falluntur plures Scotistæ qui existimant, quod tantùm *esse ad*, sit essentiale, & non *esse in*, quod Scotus satis indicavit dum dixit: *destruere rationem respectus* & non dixit: destruere existentiam, vel entitatem respectus.

Probatur Conclusio etiam ratione. Relatio tàm benè constituetur *per esse in* quam *per esse ad*, sed *esse ad* est essentiale, ergò etiam *esse in*: probatur ma. quia nihil potest *esse ad*, nisi habeat etiam *esse in*, ergò tàm benè &c. de qua infra redibit Sermo. Confirmatur. Quia non potest concipi accidens relativum nisi concipiatur esse in aliquo, ergò.

Dices. Ipsa inhærentia est accidens relativum, sed inhærentia actualis non est de ejus essentia, quia nihil est de essentia sui ipsius, alioquin iretur in infinitum, ergò. R. Quod proinde in conclusione etiam dixerim. vel tota ejus essentia, quia inhærentia se ipsa inhæret, sicut unio se ipsa unitur: quia est ratio formalis uniendi, & inhærentia est ratio formalis inhærendi, unde in inhærentiis non dabitur processus in infimtum, sicut etiam non datur in unionibus.

QUÆSTIO II.

De Subjecto Accidentium.

I. *Non est de modo loquendi relativo ut de subjecto denominationis.*

Ante resolutionem adverte, me in præsenti quæstione non loqui, nec quærere de subjecto accidentium relativorum, ut sunt respectus unionis &c. quia tales, vel subjectantur in materia, vel informa, sed est sermo de accidentibus perfectioribus qualia sunt absoluta, ut quantitas & qualitas, & de his posterioribus quidem non universaliter, sed de materialibus tantùm: nam certùm est quod spirituales maximè & ut plurimum subjectentur in suis potentiis, quæ in anima etiam separata ab homine adhuc perdurant; nec etiam controvertitur de subjecto denominationis, quia tàm hæc quàm illa suum denominant subjectum: nam homo dicitur albus niger calidus, frigidus, intellectivus, voliticus &c. sed de subjecto inhæsionis. Circa hanc materiam prima sententia est Averoistarum & Nominalium quos plures sequuntur Recentiones qui omnium accidentium subjectum primum & adæquatum statuunt materiam primam. Secunda sententia est Scoti & D. Thomæ cum suis sequacibus; qui pro subjecto adæquato constituunt corpus, hi tamen inter se non conveniunt omnimodè: nam Thomistæ dicunt nullam substantiam immediatè esse

esse susceptivam accidentium, sed mediante potentiâ accidentalis realitèr distinctâ superadditâ. Ita Javellus, Soncinas, Cajetanus, Suessanus, Masius &c. Econtra Gregorius Marsilius Major, Rubion, asserunt substantiam solam esse immediatum omnium accidentium, ita quòd licet unum accidens possit inter aliud & substantiam mediare per modum alicujus dispositionis, omnia tamen substantiæ inhæreant æqualitèr. Scotistæ tandem post Magistrum non modò substantiam primariam & ultimatum subjectum adstruunt, ajunt tamen eam accidentia recipere mediante potentiâ formalitèr superadditâ; non quidem quòd omnia æqualitèr & æq; immediatè recipiat, sed primò quantitatem, ut hanc proinde concedant posse esse subjectum aliorum accidentium. Ita Scotistæ omnes Aretinus, Rada, Iribarnes. Quare

II. Materia non est subjectum immediatum accidentium materialium.

DICO I. *Materia prima non est immediatum subjectum accidentium materialium.* Ita Doctor 2. d. 3. q. 4. n. 17. & in 4. d. 11. q. 2. n. 6.

Probatur Conclusio primò.

Si materia prima esset adæquatum & immediatum subjectum accidentium, nullus esset motus violentus, sed hoc est contra omnem Physicam & experientiam, ergò: probatur seq. Materia prima ex se est indifferens ad hanc, vel illam formam, ergò nullam reciperet violentèr, sed omnes neutralitèr, vel naturalitèr, & consequentèr cùm motus dicatur naturalis, vel violentus juxta inclinationem, vel repugnantiam subjecti ad formam recipiendam, si materia nullam recipit violentèr, & omnes etiam accidentales immediatè in ea subjectantur ad nullam movebitur violentèr, & sic aqua dum movebitur ad calorem, non movebitur violentèr, sed vel neutralitèr, vel naturalitèr, quia materia quæ recipit calorem non movebitur violentèr, quod tamen falsum est.

III. I. Motum illum esse violentum etiam in ordine ad materiam, non quidem nudè consideratam, sed sub forma aquæ & qualitatibus ejus; quia calor reperit formam contrariam & incompossibilem in materia, scilicet ipsum frigus, ratione cujus calor est violentus materiæ, quia defacto sustinet frigus; sed contra Naturalitas, vel violentia motûs non potest attendi ex forma, sed ex ipsa materiæ inclinatione, ergò si materia secundùm se est inclinata naturalitèr, vel neutralitèr, motus erit naturalis, vel neutralis: probatur ant. si naturalitas, vel violentia motûs non deberet attendi ex sola materia, sed etiam ex forma & ejus qualitatibus, quando ex ligno generatur ignis, materia ligni moveretur violentèr ad formam ignis, sed hoc est falsum, ergò: patet mi. quia tàm benè perficitur materia per formam ignis, quàm per formam ligni, nec unam, vel alteram magis appetit, sed utramq; æqualitèr: probatur ma. quia forma ligni cum suis qualitatibus etiam in quantum defacto sustentatur à materia est contraria & incompatibilis cum forma ignis & suis qualitatibus.

IV. Probatur Conclusio secundò.

Si aliquod accidens immediatè subjectaretur in materia, maximè quantitas, sed hæc non subjectatur immediatè in eo, ergò nullum, ma. est adversf. probatur mi. si quantitas immediatè subjectaretur in materia prima, quantitas naturalitèr esset incorruptibilis, sed hoc est falsum, ergò: probatur ma. Omnis forma corruptibilis, vel corrumpitur per aliam formam oppositam & contrariam, ut frigus per calorem; vel propter desitionem subjecti; vel ob defectum actionis conservativæ, sed quantitas non habet formam contrariam, nec subjectum ejus potest naturalitèr desinere, cùm sit incorruptibile, nec etiam actio conservativa potest naturalitèr desinere, quia quamdiu materia manet, emanant ab ipsa accidentia connaturalia.

Dices: Actio qua Deus conservat quantitatem in materia, potest naturaliter desinere. R. Deum nunquam desinere conservare ullam formam naturalem, quamdiu subjectum non desinit ipsam conservare, & quamdiu ipsa non habet ullam formam contrariam: ut patet de fòrma cœlorum, sed quantitas eodem modo se habet, ergò.

Probatur Conclusio tertiò.

V. Ea quæ sunt essentialia alicui, præcedunt ea quæ sunt accidentalia, sed materia & forma sunt essentialia in composito, & omnia accidentia accidentalia, ergò materia & forma præcedunt accidentalia in toto composito substantiali: ma. probatur, tum quia quæ insunt necessariò, prius insunt quàm ea, quæ insunt tantùm contingentèr, sed omnia essentialia insunt necessariò composito, ergò: tum quia accidentalia ideò dicuntur talia, quia accidunt rei in suo esse essentiali constitutæ. Confirmatur: in quolibet composito necesse est esse per se actum & per se potentiam quæ constituant aliquod unum per se independenter ab omni alio, quod maximè concedi debet de substantia, quæ est basis & fundamentum omnium aliorum prædicamentorum; sed si accidentia essent immediatè in materia, non possent constituere unum per se, ergò: probatur mi. Quia quæcunq; sunt entia diversorum prædicamentorum non faciunt unum per se, sed unum per accidens, sed materia & accidentia sunt entia diversorum prædicamentorum, ergò illa non possent constituere unum per se. Confirmatur, quia nulla ratio afferri potest quare ullum accidens deberet immediatè subjectari in materia, ergò: probatur ant. quia si esset aliqua ratio, maximè ut disponeret materiam ad recipiendam formam substantialem, sed hæc ratio nulla est, quia ad hoc nullo modo requiritur, ergò: major est adversf. probatur mi. tum quia materia est de se & ab intrinseco ad formam substantialem sufficientèr disposita; tum etiam quia, quâ ratione requireretur accidens ad dispositionem præviam pro forma substantiali, eâdem vel potiori adhuc prærequiretur alia dispositio ad ipsum accidens: probatur hoc, quia minor est proportio inter materiam & accidens in esse actûs & potentiæ, quàm inter materiam & formam substantialem.

Dices: Si hæc omnia aliquid probarent, VI. probarent etiam quod nullum accidens præsupponeretur animæ ad informandum corpus, sed hoc est falsum, quia forma corporeitatis

cum omnibus accidentibus est prior animâ, ergò. R. negando ma. disparitas est primò, quia forma corporeitatis habet rationem veri actûs per se, in ordine ad materiam, cum qua constituit unum totale per se, licèt non ultimatè completum, & sic est aptum natum subjectare accidentia, quæ sunt ejus actus secundarii; Secundò, quia materia habens formam corporeitatis habet in se principium postulans certa ac determinata accidentia, quod non habet quando est privata formâ corporeitatis & omni aliâ formâ substantiali. Tertiò denique, quia anima non potest informare subjectum nisi sit dispositum per debitam organizationem, quæ esse nequit sine quantitate & qualitatibus, & ideò necessariò præsupponit anima hæc accidentia: aliæ verò formæ substantiales quæ informant materiam immediatè non prærequirunt organizationem in sua materia, & consequentèr, nec accidentia ulla; cujus ulterior ratio est, quia anima ex natura sua est ordinata ad eliciendas operationes vitales in sua materia, seu in suo corpore, ut sunt nutritio, respiratio, &c. quæ actiones exerceri nequeunt nisi mediantibus organis; aliæ verò formæ ex se non sunt ordinatæ ad tales operationes, & proinde ad illam necesse est præsupponi talia accidentia; ad has non autem. Per quod ulterius probari potest Conclusio sic: Quælibet operatio sensitiva est primo compositi ex materia & forma sicut proprii receptivi, quia ipsa anima non est immediatè receptiva visionis, sed ipsum organum, quod est compositum ex anima & determinata parte corporis, est proximum receptivum visionis, neque valet dicere esse totius conjuncti, veluti operativi, non verò ut receptivi: nam sic est solius materiæ, non valet inquam. Quia sensationes sunt actiones immanentes, ergò si sunt totius compositi ut agentis, ergò erunt etiam ut subjecti recipientis: nam per hoc actio immanens distinguitur à transeunte, quòd transiens recipiatur in passo ab agente diverso, immanens verò in eodem agente à quo producitur.

Probatur Conclusio quartò.

Contra Averoistas secundùm ipsos Cœli non constant materiâ, sed in cœlis reperiuntur accidentia, ergò materia non est immediatum subjectum: probatur minor, quia in cœlis est quantitas, lux, densitas, motus, &c. ergò. Sed contra Conclusionem

VII. *Explicatur Aristoteles.*

Opponitur Authoritas Aristotelis 7.

Met. t. 8. ubi ait: Quantitatem esse proprietatem materiæ: & primò de generatione cap. 4. dicit, eadem accidentia manere in genito & in corrupto, sed ista vera non essent nisi materia esset immediatum subjectum accidentium, ergò R. Philosophum in primo loco intelligisse, quòd quantitas sit proprietas materiæ, id est quantitas solis rebus ex materia constantibus competit, non verò dixit quòd ejus sit subjectum immediatum materia. Ad secundùm locum dico, id verum esse de formis vitalibus & animalibus, in quibus eadem accidentia manent in genito, quæ fuerant in corrupto: nam verum est quod eadem quantitas quæ fuit in homine vivo, sit etiam in homine mortuo, & plura alia accidentia, ut colores, cicatrices, nævi &c. Quod si quis tamen urgeret Aristotelem loqui de omnibus universalitèr compositis, sive formæ illorum sint animæ, seu non: tunc dico quòd Aristoteles velit in genito esse eadem accidentia quæ fuerant in corrupto quoad speciem, non verò numero.

Arguitur, etiam Incontra ex ratione.

VIII. *Accidentia non emanant à materiâ tantum.*

Illud est subjectum immediatum accidentium de cujus potentia educuntur, sed accidentia educuntur de potentia solius materiæ, ergò in ipsa etiam immediatè subjectantur, ma. patet: probatur mi. Quia dum calor producitur in aqua, vel educitur de potentiâ aquæ, ut aqua est, vel de potentia materiæ; non primum quia aqua, ut aqua est non habet potentiam ad calorem, sed repugnantiam, ergò secundùm, seu de potentia materiæ. R. negando mi. ad probationem nego mi. cum sua probatione; licèt enim aqua habeat repugnantiam ad calorem quatenus calor est contra inclinationem aquæ, habet tamen potentiam ad ipsum sumendo potentiam pro capacitate, quæ capacitas ad eductionem sufficit, non verò requiritur inclinatio.

Instatur: Quòd calor educatur de potentia aquæ,

est idem ac quòd aqua concurrat materialitèr ad productionem ipsius, sed aqua non potest materialitèr concurrere, ergò: probatur minor, quia omnis causa continet virtualitèr suum effectum, sed aqua non continet calorem, sed frigus, ergò non est causa materialis ipsius, consequentèr non concurrit. R. concedendo ma. negando minorem, cujus probationis minorem distinguo: non continet calorem efficientèr, concedo mi. materialitèr, nego mi. & consequentiam, nec in hoc ulla est absurditas: nec sequitur quòd aqua sic non magis contineret frigus quàm calorem, quia calorem tantummodo continet materialitèr in quantum habet ad eundem capacitatem, frigus verò continet non modò materialitèr secundùm capacitatem, sed etiam secundùm inclinationem, & insuper continet etiam frigus efficientèr, materialitèr quidem quia est ipsius subjectum, efficientèr verò quia potest ipsum producere in se. Sed

Urgetur: Nihil potest in se, seu formalitèr,

seu virtualitèr, aut quocunque alio modo continere illud, quod tendit ad sui destructionem, sed calor simplicitèr tendit ad destructionem aquæ, ergò aqua nequit illum continere, nec materialitèr quidem: probatur ma. quia alioquin procuraret sui ipsiusmet destructionem & etiam destructionem subjectati, ergò: probatur ant. quia sicut ille, qui destruit parietem cui innititur, procurat etiam sui ipsius destructionem, sic calor dum destruit subjectum in quo est, procurat sui ipsiusmet destructionem, ergò. R. negando ma. quia experientia & bona Philosophia hactenus semper docuit, quòd multæ formæ sint suis subjectis violentæ, itaque si nullo modo posset subjectum continere potentialitèr formas quæ tendunt ad sui corruptionem, fatendum esset & dicendum quod omnes formæ suis subjectis, vel essent naturales, vel neutrales, & sic nullo modo darentur aliquæ violentæ: ad probationem majoris nego ant. quia si calor consideretur, vel ut instrumentum

mentum ignis ad corrumpandam aquam, tunc ipse, nec suam, nec subjecti destructionem quærit; non suam quidem, quia sese ideò nimium per omnes aquæ partes diffundit, quas solummodo intendit alterare; nec subjecti, quia sicut accidens non potest producere substantiam, ita nec eam potest corrumpere, unde in corruptione non calor inhærens, sed ignis calorem producens corrumpit aquam.

IX. Arguitur secundò. Agens non potest naturaliter agere nisi in materiam dispositam per certas qualitates, quæ ipsam determinant ad formam introducendam, sed sic disponi non potest nisi qualitates in ipsa recipiantur, ergò prius sunt in materia qualitates disponentes, quàm sit ipsa forma substantialis. R. dist. ma. nisi dispositâ per qualitates quæ insunt materiæ primæ secundùm se, nego ma. quæ insunt toti composito destruendo, nego ma. & distinctâ similiter minori nego consequentiam. Adhoc ergò ut dicatur materia disposita sufficit quod mediatè recipiantur in ipsa dispositiones, scilicet mediante composito.

Instatur. Dispositiones requisitæ ad introducendam formam, verbi gratiâ, ignis, debent subjectari in eodem, in quo subjectatur forma ignis genita, seu producta, sed forma ignis subjectatur in materia, verbi gratiâ, ligni corrupti, & non in forma ligni, vel in toto composito, ergò etiam dispositiones in ea subjectantur. R. dist. ma. debeat subjectari mediatè, vel immediatè in eo in quo subjectatur forma genita, concedo ma. immediatè nego, illæ ergò dispositiones, ut etiam jam ante dixi subjectantur in toto & hoc mediatè in materia ligni.

Urgetur. Irrationabile est ponere subjectum dispositionis illud, cui repugnat forma ad quam disponit, sed composito, verbi gratiâ, ligno, repugnat forma ignis ad quam disponit calor, ergò illæ dispositiones, vel etiam ipse calor non potest subjectari in toto, sed subjectabitur in materia. R. dist. ma. Si dispositio habeat rationem receptivi & concurrat in genere causæ materialis concedo ma. si dispositio tantùm concurrat in genere causæ efficientis expellendo impedimenta ad introducendam formam, nego ma. & distinctâ similiter mi. pro secunda parte, nego consequentiam.

X. Dico 2. *Quantitas viventium non subjectatur in toto composito ex corpore & anima, sive spirituali, sive corporea.* Hæc est communior, Scotistarum contra Thomistas & quosdam Scotistas arbitrantes, quantitatem subjectari in toto resultante ex anima corporea & corpore, non tamen in toto resultante ex corpore & anima rationali. Hæc tamen assertio verior est & conformior Scoto, quamvis enim dicat quantitatem semper subjectari in toto, hoc tamen non asserit de toto vivente, sed de toto non vivente, sive tale totum sit ultimatè completum, ut contingit in iis quæ simpliciter sunt expertia vitæ, sive non sint ultimatè completa, ut accidit in corporibus quæ de se ordinata ad vitam.

Probatur Conclusio primò & generaliter: Non potest naturaliter accidens manere sine suo subjecto immediato inhæsionis, sed eadem quantitas rei viventis manet destructo toto composito ex corpore & anima, sive rationali & spirituali, sive corporea, ut docet experientia, quia videmus mortuo homine, vel quocunque alio bruto & planta, corpora eorum eandem habere extensionem & quantitatem, quem antea habuerant; ergò illorum quantitas non subjectatur in toto composito resultante ex corpore & anima.

Dices. Quantitatem subjectari in toto XI. composito ex corpore & anima secundùm se, totum & etiam secundùm suas partes omnes, & sic quando destructo homine, vel quocunque bruto & plantâ & una ejus parte desinente, adhuc remanet quantitas in altera parte adhuc subsistente, licet desinat esse in anima & in toto. Sed Contra primò. Quia hinc sequeretur, si quantitas subjectaretur in toto & in partibus simul, in toto composito per se, & hoc mediante in partibus, quod quantitas esset simul in duobus subjectis realiter distinctis naturaliter quod repugnat; ergò destructo toto non potest manere eadem quantitas: probatur consequentia, quia nullum accidens potest manere naturaliter destructo suo subjecto immediato, vel dicam quòd albedo posit naturaliter manere in pariete, destructâ quantitate parietis, quod nemo admittet. Contra secundò. Quod non ineat alicui nisi mediante alio, si illud aliud desinit, amplius tunc non ineat illi, ergò cum quantitas non inhæreat partibus nisi mediante toto, si pereat totum non inhærebit amplius partibus. Contra tertiò. Accidentia materialia educuntur de potentia sui subjecti immediati, ergò naturaliter ab eo dependent in esse & conservari, & consequenter nequeunt naturaliter sine ipso esse, vel conservari; vel accidens poterit naturaliter transire de uno subjecto immediato naturaliter in aliud, quod est absurdum. Contra quartò & confirmatur efficacitèr conclusio. Quantitas ligni non potest naturaliter manere in materia prima destructo ligno, quia subjectatur immediatè in composito ex materia & forma ligni, ergò similiter, nec quantitas rei animatæ potest naturaliter manere in materia prima, destructâ totâ: probatur consequentia. Quia tàm immediatè quantitas ligni subjectatur in materia prima ligni, quàm quantitas viventis in partibus ejus.

Probatur Conclusio secundò XII. specialiter contra Thomistas; quia secundùm ipsos totum non distinguitur realiter à partibus, sed sunt ipsæ partes unitæ, sed non potest quantitas subjectari in partibus unitis, alioquin subjectaretur in duobus realiter distinctis; tum quidquid subjectatur immediatè in toto debet necessariò subjectari in partibus unitis in via Thomistarum, quia sunt planè idem: ex quo sic infero duo dilemmaticè, ergò vel idem accidens erit simul in duobus subjectis realiter distinctis, naturaliter videlicet in materia & forma, quæ etiam dum uniuntur realiter distinguuntur; vel totum distinguetur realiter à partibus, quod Thomista hactenus non admiserunt. Sed Contra Conclusionem

Arguitur: Anima corporea est exten- XIII.

sa quantitativè quamdiu est in corpore, ergò vel habet in se quantitatem subjectam, vel receptam, vel recipitur in quantitatem, quia aliter ex cogitari non potest quomodo participare posset effectum formalem quantitatis, nimirum habere partem extra partem, cum impenetrabilitate naturali; sed nequit recipi in quantitatem, ut patet: quia nulla substantia recipitur in accidente: ergò debet recipere quantitatem, & consequenter quantitas subjectabitur immediatè in toto composito ex corpore & anima. R. concessa ante: negando consequentiam cum sua probatione: quia sufficit, ut recipiatur in corpore habente quantitatem: nam eò ipso quò una pars talis animæ est in una parte corporis habentis quantitatem, & alia pars in alia parte ejusdem corporis, illæ duæ partes erunt impenetrabiles naturalitèr, quia non potest una ex illis esse in eodem loco cum altera: alias duæ partes illius corporis essent in eodem loco: nam ubicunque est pars formæ informantis corpus, ibi erit pars corporis informata per ipsam, nisi sit forma illimitata ad plures partes secundùm se totam, sicuti est sola anima rationalis, ergò non requiritur, ut anima corporea sit quantitativè extensa quòd recipiat quantitatem, vel quòd recipiatur in quantitate, seu in re quanta divisibilitèr.

Instatur: Anima rationalis in corpus quantum, & tamen non est extensa quantitativè, ergò, ut aliqua anima sit extensa quantitativè non sufficit quòd recipiatur in corpore extenso. R. distinguendo consequentias: hoc solùm non sufficit, si non habeat partes integrales quantitativè extensas, concedo consequentiam; si habeat nego consequentiam. Animæ autem materiales habent tales partes, anima rationalis non sic, & consequenter illæ animæ recipiuntur divisibilitèr, non verò anima rationalis, unde mirum etiam non est quod illæ possent extendi quando recipiuntur in corpore quanto.

Urgetur. Non aliunde colligitur quòd qualitates recipiantur in quantitate, quàm quia recipiuntur in corpore quanto, & quia habent extensionem quantitativam, ergò si anima corporea habet extensionem quantitativam & recipiatur in corpore quanto, debet dici quòd recipiantur in ipsa quantitate; sed hoc est absurdum, ergò ad illud vitandum debet potius dici, quòd non recipiantur in corpore quanto, sed in composito ex corpore & anima. R. 1. negando ant. quia colligimus defacto ex mysterio Eucharistiæ, in qua videmus, quòd qualitates recipiantur in quantitate. R. 2. negando consequentiam: quia sequitur in conveniens aliud, quia esset admittendum formam substantialem recipi in accidente, nimirum in quantitate, & sic dici posset, quòd accidens esset subjectum substantiæ, non autem sequitur hoc inconveniens ex eo, quòd qualitates recipiantur in quantitate.

XIV. *Subjectum quantitatis est compositum ex materia & formâ quæ non sit anima.*

Dico 3. *Subjectum immediatum inhæsionis quantitatis est totum compositum, ex materia prima & forma substantiali quacunq; quæ non sit anima.* Ita Scotus 4. d. 1. q. 1. & 2. d. 3. q. 4. & alibi sæpius, & quamvis in secundo dicat eandem quantitatem manere ingenito & in corrupto, non loquitur ex propria mente, sed argumentatur ad hominem. Conclusio est contra Conimb. lib. 1. de generatione cap. 4. q. 4. Patet autem Conclusio, tum ex refutatione aliarum sententiarum, quia nimirum non est materia prima, nec compositum ex corpore & anima ut paulo supra: tum quia aliud non est assignabile, tum quia Scotus dicit totum esse immediatum subjectum quantitatis, sed nullum potius quàm allatum, ergò.

Probatur Conclusio etiam positivè: quia illud est ponendum subjectum immediatum quantitatis, quod est capax quantitatis, & quod denominatur quantum, neculum sequitur in conveniens ex eo quòd recipiat quantitatem in se, nec ullum sit judicium oppositi, sed sic se habet compositum allatum, ergò: ergò dicendum est, quòd immediatè recipiat quantitatem. Probatur mi. quia hujusmodi totum est divisibile in partes entitativas secundùm se, & secundùm omnes suas partes essentiales Physicas, sed quidquid est sic divisibile est capax, vel ut recipiatur in quantitate, vel ut quantitatem recipiat, sed compositum substantiale non potest recipi in quantitate, ergò ipsum erit capax ad recipiendam quantitatem in se.

Dices. Si quantitas immediatè subjectaretur in corpore, prius quàm informetur ab anima, sequeretur quòd anima non esset actus per se corporis, & consequenter non faceret per se unum completum cum corpore, quod est falsum, ergò: probatur. Actus qui non perficit subjectum nisi mediante accidente non facit eus per se unum cum subjecto, & consequenter non est actus per se illius. R. negando sequelam ad probationem, dist. ant. actus qui non perficit subjectum nisi mediante accidente, tanquam subjecto mediato, concedo ant. qui non perficit subjectum nisi mediante accidente, nec tanquam subjecto, sed solùm veluti mediante conditione, nego ant. & consequentiam; sic autem se non es habet in proposito; quia nullus actus substantialis qualis est quælibet anima, subjectatur immediatè in accidente, qualis est quantitas, quia alioquin substantia dependeret ab accidente quod sæpius dixi falsum esse. XV.

Dico 4. *Quantitas ipsa est primum accidens immediatè inhærens substantiæ, reliqua verò accidentia omnia inhærent quantitati tanquam subjecto non ultimato.* Hæc conclusio est Scoti & omnium veterum Theologorum, quos refert Ruvius & prima pars patet ex dictis: XVI. *Reliqua accidentia immediatè inhærent in quantitate.*

Probatur adhuc, quia si esset aliquod accidens, quod immediatius inhæreret substantiæ quàm quantitas, esset dispositiva qualitas, quam adversarii statuunt; sed hæc non est, ergò: probatur mi. quia quemadmodum substantia potest immediatè recipere illam qualitatem; ita potest etiam ipsam recipere quantitatem, ergò.

Probatur secunda pars. Secundùm Adversarios debet dari aliquod unum accidens absolutum, quòd sit cæterorum susceptivum, sed nullum aliud potest congruentius assignari quàm

quàm ipsa quantitas, ergò: probatur mi. tum authoritate Scoti 4. d. 12. q. 2. ubi dicit, quod quantitas sit propinquior substantiæ in ratione substandi quàm qualitas, quod etiam denotat ordo prædicamentorum, in quo post substantiam statim ponitur quantitas, licet secundùm verisimam qualitas in entitate sua sit quantitate perfectior, non ob aliam rationem, nisi quia immediatè inhæret substantiæ, tum etiam ratione, quia si esset aliquod aliud, maximè esset illa qualitas, sed ipsa non est ex dictis, ergò.

Probatur Conclusio secundò:

Quia quando albedo in superficie & calor extenduntur, extenduntur in quantitate, ergò hujusmodi qualitates immediatè in quantitate recipiuntur. Nec dicas quantitatem esse solùm dispositionem necessariam in subjecto, non verò ipsum subjectum immediatum, quia statim in contrarium est authoritas Aristotelis cap. de quantitate hæc dicentis: *Quanta fuerit superficies, tantum fore album dices.*

Probatur Conclusio tertiò

ex Mysterio Eucharistiæ sic: Quantitates in speciebus Eucharisticis, verbi gratiâ, albedo, dulcedo, frigus &c. vel sunt in aliquo subjecto immediato, vel multiplicantur miracula sine necessitate, si primum, ergò immediatum illud subjectum erit quantitas, quia nullum aliud congruentius assignari, potest; secundum etiam gratis dicit, ergò.

Dices: In Mysterio Eucharistiæ tàm qualitates quàm ipsa quantitas sunt extra omne subjectum, & consequentèr nullum habent subjectum immediatum. Sed Contra: quia quando hostia jam frigida, vel vinum congelatum incipit calefieri, & liquefieri introducendo calorem, vel teporem, primus ille gradus tunc productus in hostia, vel est sine omni subjecto, vel in subjecto, si primum, sequitur primò, quòd agens creatum possit creare, quia producit calorem extra omne subjectum; secundò sequitur, quod ille gradus caloris non appellat ullum gradum frigoris, quod est aperte falsum: probatur sequela; quia qualitates contrariæ non repugnant nisi in ordine ad idem subjectum, ergò una non expellit aliam nisi succedat expulsæ in eodem subjecto: si secundum, ergò illud subjectum erit quantitas, quia non est frigus: nam frigus non potest esse subjectum caloris, quia forma in suo esse dependet & conservatur à subjecto, non verò contrarium à contrario; nec est etiam aliqua alia qualitas, tum quia pono, quòd qualitati isti contraria introducatur, tunc non potest esse subjectum hujus, ob rationem jam datam. Item secundò ostenditur: Qualitates materiales uniuntur quantitati in Eucharistia, sed non alia unione quàm formæ ad subjectum, ergò: major patet, quia nisi unitæ essent non dividerentur ad divisionem quantitatis, nec moverentur ad motum ejus: probatur etiam minor, quia non uniuntur unione continuationis, alias qualitates essent in alio loco à loco quantitatis, sicut partes continui, sed non datur alia unio naturalis præter istam nisi unio formæ ad subjectum, ergò. Sed in contra

Opponitur: Authoritas Aristotelis 4. Met. l. 14. dicentis: *Accidens non accidit accidenti, nisi quia ambo accidunt eidem subjecto: nihil hoc illi magis quam illud accidit huic;* Ergò nullum accidens inest alteri proximè. Sed R. 1. Philosophum ibi tantùm velle, quod accidens non insit alteri accidenti, quia putabat quòd accidens sine proprii subjecti concursu non posset sustentare accidens, unde ly, *quia* est idem quod ly *quando*. R. 2. Philosophum loqui de accidentibus disparatis, quia ibi exemplificat de albo & musico, quare neganda est consequentia, nec etiam Philosophi authoritas æstimanda est quidquam, ubi bonis moribus & rebus fidei contrariatur, prout contingit in propositio. XVIII. *Solvitur Aristotelis.*

Instatur: Nullum aliud, vel saltem præcipuum fundamentum positæ conclusionis est Mysterium Eucharistiæ, ut patet: tum ex probatione, tum ex modò data responsione; sed hæc ratio nulla est, ergò etiam responsio nulla: probatur mi. quia qualitas ibi non subjectatur in quantitate, ergò: probatur ant. quia eâdem inhærentiâ qualitas inhæret substantiæ & quantitati, sed inhærentia ad substantiam in Eucharistia est destructa, ergò etiam inhærentia ad quantitatem: probatur mi. quia positâ unione formæ ad proximum subjectum, verbi gratiâ, quantitatem & positâ hujus iterum ad remotum subjectum sublato quocunq; alio, dicitur illa forma in esse subjecto remoto. R. negando mi. cum ant. probationis, & ejus prob. quia qualitas non inhæret propriè subjecto remoto, vel substantiæ, sed eatenus illi inhærerere dicitur quatenus subjectum proximum, seu quantitas subjecto remoto inhæret.

Urgetur. Nulla est ratio cur dicatur, quòd qualitates subjectentur immediatè in quantitate & mediatè in substantia, ergò hoc gratis afferitur & consequentèr solutio nulla: probatur ant. si esset aliqua ratio maximè ea, quia videmus superficiem fieri & denominari albam, quod fieri nequit nisi albedo subjectetur in superficie & consequentèr, quia superficies est quantitas, dicendum videtur qualitatem immediatè subjectari in quantitate, sed hæc ratio non est: ergò, probatur minor, quia eodem modo sicut superficies dicitur alba propter inhærentem albedinem, ita etiam albedo dicitur quanta, ergò pari ratione poterit quis dicere quantitatem subjectari in albedine: probatur consequentia, quia ideò dicitur albedo inhærere quantitati, quia denominat superficiem albam, quod est effectus formalis albedinis; sed etiam quantitas denominat albedinem quantam, quod est effectus formalis quantitatis, scilicet facere rem extensam & quantam, & sic vel mutuò sibi invicem inhærebunt, vel neutrum alteri, & consequentèr omnia ipsi substantiæ immediatè. Hæc ursio non levis est difficultatis, quæ multos ad angustias redegit: unde etiam variæ emersere desuper responsiones. Ego tamē informa. R. negando ant. cum probationis minori, cujus probationis ant. dist. eodem modo dicitur albedo quanta, id est eodem genere denominationis nego; eodem modo: id est similitudinario modo concedo ant. & nego consequentiam;

quentiam; ad probationem consequentis nego minorem, quoad alteram partem scilicet effectum formalem quantitatis esse, denominare albedinem quantam, quia est tantum effectus materialis; Itaq; ut insinuat Scotus quoad lib. 18. infra C. duo sunt genera denominationum: quædam dicuntur formales quæ à formis in sua subjecta derivantur; quædam sunt materialis, quæ à subjectis in suas formas refunduntur, quod manifestum est omnibus: nam experientiâ constat dum forma est in materia quòd sibi invicem varias communicent denominationes, nam albedo quæ est in corpore denominat ipsum quale, coloratum, album; corpus è contra denominatur albedinem subjectatam corpoream, materialem, extensam, & hujusmodi, unde quando in aliquibus subjectis reperiuntur tam diversæ reciprocæ denominationes, tunc non statim asserendum eas esse à formis præcisè, sed etiam ab ipsis subjectis. Ut autem colligatur quæ sint à formis, quæ verò à subjectis, optima regula esse potest hæc, ut consideretur utrumq; quod alterutrum denominat, quòd nam sit illud, quod ex genere suo est aptius, ut gerat viam subjecti, & quod iterum sit aptius ad gerendum munus formæ, hinc quia qualitas in toto suo genere est aptior, ut exerceat munus formæ, ideò dicendum est quod albedo denominet superficiem albam, sit denominatio formalis; denominatio verò quæ denominat albedinem extensam, quia quantitas non habet in toto suo genere majorem aptitudinem ad obeundum munus formæ quàm qualitas, dicitur denominatio materialis, & sic patet non eodem modò se invicem denominare, sed unum alterum formalitèr, & alterum primum materialitèr.

XIX. **Arguitur.** Nihil potest esse subjectum alterius nisi sit in se subsistens, sed quantitas hoc non habet, ergò nec quantitas poterit esse immediatum subjectum. R. dist. ma. non potest esse subjectum ultimatum, concedo ma. non potest esse subjectum non ultimatum, nego ma. & concessâ mi. distinguo similitèr consequens.

Instatur. Quod dependet dependentiâ unius generis, non potest alterius dependentiam in eodem genere terminare, sed quantitas dependet à substantia in genere susceptivi, ergò non potest terminare dependentiam alterius in eodem genere, & consequentèr non potest aliud accidens subjectare. R. negando ma. Pater enim dependet à suo Patre in genere causæ efficientis, & in eodem genere terminat dependentiam filii.

Urgetur. Materia non potest informare, ergò nec forma subjectare. R. negando consequentiam, quia non solius materiæ est subjectare, sicut solius formæ est informare.

QUÆSTIO III.

An idem numero accidens possit esse in pluribus subjectis, vel duo solo numero distincta in eodem?

R. **Primam partem** fusè tractat Doctor sub eodem titulo q. 17. de rerum principio per totum, & secundam etiam incidenter, sed ex professo 5. Met. q. 7. per totam in qua tandem videtur problematicus, sed ad partem affirmativam magis inclinatur, ut ipsum interpretatur Covellus. Notandum tandem quòd prima pars tituli non procedat de potentia ordinaria, vel de eo quod naturalitèr contingere potest, sed de potentiâ absoluta: nam certum est in omni Philosophia nullum accidens, sicut nec etiam ullam formam substantialem posse esse naturalitèr in duobus materiis, vel in duobus subjectis. Unde ad partem primam

Dico 1. *Idem numero accidens de potentia Dei absoluta potest simul & successivè esse in pluribus subjectis.* II. Unum accidens potest denominare plura subjecta.

Probatur Conclusio primò: quoad utramq; partem simul; quia potest DEUS facere omne illud quod nec implicat contradictionem, nec in ipso aliquam arguit imperfectionem: sed hoc est tale, ergò.

Probatur secundò: Potest eadem forma substantialis, verbi gratiâ, anima rationalis poni simul in pluribus subjectis, imò de facto ita est, saltem unitis in capite scilicet manibus & pedibus, ergò etiam forma accidentalis à paritate in pluribus subjectis etiam non unitis, probatur conseq. Quia unio comparata ad divinam potentiam nihil facit, ergò: probatur ant. quia potest idem corpus ponere in pluribus locis, quantumcunq; distantibus.

Dices. Disparitatem esse, quia accidens dicit dependentiam ad subjectum, sed R. id omnino falsum esse, quod patet tum ex dictis, quia alias DEUS non posset illud conservare extra subjectum, cujus contrarium manifestum in Mysterio Eucharistiæ, ubi accidentia sunt sine subjecto. Et hinc III.

Probatur 2. pars speciatim: Quia DEUS ex modo dictis & infra probandis potest accidens conservare extra omne subjectum realitèr ab eo separatum, ergò potest illud etiam ponere in diversis subjectis successive, probatur consequentia: separare accidens à subjecto & illud extra omne conservare plus arguit quàm ponere illud successivè in pluribus subjectis, sed primum potest DEUS facere, ergò & secundum: probatur ma. Quia esse extra subjectum non est accidentis essendi modus connaturalis, esse verò in subjecto est ejus modus connaturalis, sed plus arguit esse extra modum suum connaturalem, quàm esse cum eo, ergò plus est conservare accidens extra subjectum, quàm ponere illud in pluribus subjectis. Hoc ipsum docet etiam Scotus 4. d. 12. q. 2. n. 12. & 15. de accidentibus Eucharisticis, casu quo pane annihilato crearetur, vel aliter produceretur alia substantia, quæ esset capax subjectare illa. V. VI.

Opponitur. Authoritas Scoti 3. d. 1. q. 2. n. 4. ubi dicit sic: Ita impossibile videtur unum accidens esse in duobus subjectis, sicut unam formam substantialem in duabus materiis, igitur sicut necessariò sequitur infinitas in forma substantiali, si esset in pluribus materiis, necessariò sequitur infinitas, ex eo quòd unum accidens esset in multis: Ergò Scotus tenet IV.

nullam

nullam formam posse esse in plnribus subjectis. R. negando consequentiam. Ad authoritatem Doctoris dico, eum absolutè non negare alterutrum, scilicet, quasi nec forma substantialis, nec accidentalis possit esse in pluribus, sed tantùm refellit responsionem Varronis ad quoddam argumentum Theologicum, & tantùm docet, si sequeretur infinitas formæ substantialis, ex eo quòd esset in pluribus materiis, quod etiam sequeretur infinitas formæ accidentalis, quod est verisimum, sed nihil contra me; nam revera non sequitur accidens potest esse in pluribus subjectis, ergò in infinitis; quia potentia intellectiva potest plura intelligere simul, non tamen infinita; anima rationalis plura informare non tamen infinita, quia ex natura sua est finita & limitata sed

Instatur. Si accidens posset esse simul in pluribus subjectis, sequeretur quòd simul dependeret à subjecto A, & non dependeret, quia destructo subjecto A, maneret adhuc in subjecto B, sed hoc est falsum, ergò: probatur mi. quia idem non potest totalitèr & adæquatè dependere à duabus causis totalibus ejusdem generis & ordinis. R. 1. negando sequelam, quia accidens posset ita esse simul in pluribus ut ab uno tantùm dependeret per informationem, & alteri tantùm unietur; vel ita ut ab utroque subjecto tantùm dependeret partialitèr.

V. *Accidentia solo numero distincta possunt esse simul in eodem subjecto.*

Dico 2. *Duo accidentia solo numero distincta possunt esse simul in eodem subjecto.* Conclusio quantùm ad accidentia intentionalia, scilicet quantùm ad species sensibiles & intelligibiles est Scoti, & de se certa; quia patet: in eodem oculo est species intentionalis tàm nigredinis quàm albedinis, carnis & hominis &c. item in eodem intellectu similes species intelligibiles; probatur ergò Conclusio de Accidentibus absolutis: Quia duo ignes, vel duæ candelæ applicatæ eidem loco, vel spatio capaci plurium graduum luminis & caloris, simul producunt duos gradus luminis & caloris, non tantùm intensivè, sed etiam extensivè, ergò. Probatur etiam de accidentibus relativis: Quia albedo, verbi gratiâ, dicit plures similitudines numero distinctas ad omnes alias albedines ejusdem speciei, & plures dissimilitudines ad omnes alias nigredines, ergò.

VI.

Opponitur Authoritas Scoti 5. Met. t. 7. qui non modò argumenta allata, sed plura alia exquisita adfert, quæ conclusionem propositam probare possent, eaque absolutè solvit veluti in sufficientia, ergò Conclusio est contra Scotum. sed R. Doctorem facere in favorem sententiæ contrariæ, quæ est divi Thomæ, asserentis implicare duo accidentia ejusdem rationis, esse in eodem subjecto, quia in eodem quæstione infra n. 11. sententiam suam statuit, scilicet posse ejusdem rationis accidentia solo numero distincta in eodem subjecto esse, licet postea iterum de hac re problematicè disputat.

IV.

QUÆSTIO IV.

An accidens possit esse sine omni subjecto, & qualem tunc existentiam & modum existendi haberet?

Congruum est, ut postquam egi & examinavi utrum accidens possit esse in pluribus subjectis, vel plura in eodem, ut explicam quoque, an possit esse sine omni quod hactenus quodammodò semper præsupponebatur, & de quo in Theologia accidit sermo, quare etiam primam partem expediam brevitèr. Circa secundam plures & variæ sunt sententiæ, quarum Prima est D. Thomæ 3. p. q. 77. a. 1. ad primum apud Scotum 4. d. 12. q. 1. a n. 13. quinque rationibus rejecta, quæ dicit, quòd quantitas & quandoque aliud accidens separatum accipiat novum esse. Secunda quæ est prioris quodammodò explicativa, est Suaretz, Vasquetz, asserentium accidens separatum non accipere novam existentiam, cum ejus existentia non distinguatur ab essentia, acquirere tamen novum modum existendi positivum à sua entitate, vel formalitèr, vel modalitèr distinctum, quo redditur accidens per se subsistens, non alitèr ac si esset substantia. Tertia sententia est Scoti 4. d. 12. q. 1. per totam cum sua Schola, quæ docet, quòd accidens separatum, nec novam existentiam, nec novum modum existendi positivum, nec aliud quidpiam præter negationem actualis inhærentiæ ad subjectum de novo acquirere, & per hoc præcisè, quòd conservetur à DEO sine inhærentia ad subjectum, posse dici existere per se, id est: non in alio actu, esto semper ex natura sua petat dependere ab alio tanquam à subjecto, cùm inhærentia aptitudinalis sit ejus propria passio, interim ad primam partem.

I. *Variæ referuntur sententiæ.*

Dico 1. *Accidens absolutum potest divinitus separari à suo subjecto & sine eo conservari, non verò respectivum.* Ita Scotus supra & quantùm ad primam partem Conclusio est de fide, quæ proinde

II. *Accidens absolutum potest esse sine omni subjecto, non respectivum.*

Probatur primò. Quia videmus & de fide tenemus in transsubstantione substantiam panis destrui manentibus duntaxat speciebus, ergò accidentia absoluta possunt separari à suo subjecto, & sine eo conservari: probatur consequentia, quia illa accidentia remanentia nullum habent subjectum in quo existant, ergò: probatur ant. quia si esset aliquod maximè corpus Christi; sed hoc non est tale subjectum, ergò: probatur mi. quia corpus Christi in eo statu est incapax talium accidentium.

III.

Dices: Ex mysterio Eucharistiæ benè colligi potest, quòd quantitas separari possit à subjecto; sed non quòd universalitèr alia accidentia absoluta & omnes qualitates. Sed Contra eadem ratio, quæ suadet separationem quantitatis à subjecto, militat etiam pro omnibus qualitatibus. Contra 2. Quia quantitas ideò à subjecto separari potest, quia est aliquod absolutum non dicens essentialem ordinem de se ad aliud; sed qualitas æq; est absoluta ac quantitas. Contra 3. Qualitas est perfectior quàm

quàm sit quantitas, ergò si quantitas separari potest, poterit & qualitas.

Probatur Conclusio secundò: Quidquid DEUS potest cum causa secunda facere, potest se solo; sed cum causa secunda potest conservare accidentia in subjecto, ergò potest illa conservare se solo sine omni: ma patet. Quia DEUS potest supplere omnem defectum cujuscunque causæ extrinsecæ; sed subjectum est extrinsecum respectu accidentis, quod probatur: si enim esset de ratione intrinseca accidentis, accidens esset compositum per accidens, ergò:

Probatur Conclusio tertiò quoad secundam partem: Quia accidens respectivum est essentialitèr habitudo inter duo extrema, ergò sicut tollere terminum ad quem dicit respectum, est tollere, vel destruere respectum; ita tollere illud cujus est respectus, nempe subjectum, vel fundamentum, est tollere respectum & rationem ejus, seu accidentis respectivi, adeoque semper requirit fundamentum, seu subjectum, & hoc non quia accidens; sed quia tale est.

IV. **Opponitur** Authoritas Philosophi 7. Met. l. 3. dicentis: Nihil ipsorum (id est accidentium) secundum se est aptum natum, nec possibile separari à substantia. Item in primo Phys. ait: Intellectus quærens separationem accidentis est quærens impossibile &c. alibi similia. Sed R. Philosophum in præsenti materia magno perè errasse, adeoq; à Christiano Dialectico eum in hoc passu derelinquendum, sicut & in multis aliis punctis, quæ mores, vel fidem concernunt, quia in similibus ex naturalibus processit falso innixus principio, scilicet quòd DEUS, nullum effectum possit producere sine concursu causæ secundæ; sed contra primam partem Conclusionis

V. *Deus supplet causalitatem materiæ in qua.* **Arguitur** etiam ex ratione; Deus non potest supplere causalitatem causæ materialis; sed subjectum est causa materialis respectu accidentis, ergò Deus non potest supplere causalitatem ejus, & consequentèr nequibit separare accidens à subjecto. R. dist. ma. in genere causæ materialis ex qua, transeat ma. in genere causæ materialis in qua, nego ma. Itaq; accidens dependet à subjecto non in genere causæ materialis ex qua, quia alioquin esset compositum per accidens, & hunc concursum DEUS supplere nequit, quia nullius entis pars esse potest, benè tamen potest supplere causalitatem in qua, id est subjecti sustentantis vices, & posteriori dependentiâ solùm dependet accidens à subjecto.

III. **Instatur:** Causa materialis in qua, ex dictis modo est illa, quæ sustentat formam sibi inhærentem; sed Deus non potest sic sustentare, ergò nec supplere subjecti vices in hoc genere causæ materialis. R. dist. conseq. non potest supplere vices in genere causę materialis *in qua*, id est in se recipiendo, concedo: in genere causæ efficientis, id est conservando accidens effectivè sine omni subjecto, veluti esset sub subjecto, nego consequentiam.

Urgetur: Accidens non potest aliter dependere à DEO sublato subjecto, quàm dependeret præsente subjecto, ergò destructo subjecto non aliter supplet, vel terminat dependentiam subjecti quàm antè: probatur ant. quia dependentia accidentis ad Deum est relatio transcendentalis, realitèr accidenti identificata, ergò est eadem sine prorsus ulla mutatione ante & post subjecti destructionem. R. dist. ant. aliter, id est alia dependentia, concedo ant. aliter, id est alio modo, nego ant. & consequentiam; quia antea dependebat à Deo & à causa secunda simul, nunc verò à solo Deo.

Replicatur: Si Accidens potest esse & conservari à solo Deo sine illa dependentia ad secundam causam, sequeretur quòd superflueret illa dependentia ad causam secundam, seu ad subjectum; sed hoc est inconveniens, ergò: R. negando sequelam ma. Quia licet Deus se solo possit facere quidquid potest facere cum causæ secunda, de potentia sua absoluta, tamen ut connaturalitèr hoc faciat, admittit concursum causæ secundæ, quia ita decrevit & expedit etiam, alioquin causæ secundæ, quæ habet virtutem productivam, effectûs totalitèr impedirentur.

Arguitur 2. Probando quòd etam accidens respectivum possit separari à suo subjecto sic: Quæcunq; essentialitèr & realitèr distinguuntur sunt mutuò separabilia; sed accidens respectivum & subjectum realitèr & essentialitèr distinguuntur, ergò sunt mutuò separabilia: patet minor, quia subjectum est ipsum fundamentum: probatur, quia sicut ex identitate essentiæ colligitur inseparabilitas, ita ex diversitate essentiæ deducitur separabilitas. R. dist. ma. Quæcunque essentialitèr distinguuntur &c. si etiam essentialitèr ab invicem non dependeant, concedo ma. si dependeant, nego ma. Itaq; accidens respectivum essentialitèr dependet à fundamento & termino, quia est essentialitèr respectus inter duo extrema.

VI. *Quæ distinguuntur realiter sunt separabilia secundum essentialem ordinem.*

Instatur: Nec fundamentum, nec terminus est de essentia relationis, seu accidentis respectivi, ergò relatio non potest ab illis essentialitèr dependere: probatur ant. quia fundamentum & terminus sunt entia absoluta, nullum absolutum autem est de essentia respectivi, ergò: probatur etiam consequentia, quia Deus potest supplere illam dependentiam; sed R. verum quidem esse quòd extrema non sint de essentia relationis, attamen respectus inter illa extrema est de essentia, seu potiùs ipsa essentia; unde negatur consequentia, cum sua probatione, quia Deus non omnem omnino dependentiam terminare potest, sed illam tantùm quæ est in genere causæ efficientis.

Urgetur: Fundamentum in ordine ad relationem necessariò se habere debet, vel ut causa formalis, vel finalis, vel materialis aut efficientis, quidquid dicatur poterit Deus supplere, ergò: minorem intelligo in iis in quibus statuetur, quia suppono quòd non habeat se per modum causæ formalis, nec materialis ex qua: probatur mi. quia Deus potest supplere causalitatem

tatem causæ efficientis & materialis in qua, & alia supplenda non est, ergò omnem supplere potest: probatur mi. quia potest id in accidente absoluto, ergò etiam in respectivo. R. concessâ ma. negando mi. cujus probationis ant. concedo & nego probationis consequentiam; quia disparitas est de accidente respectivo & de absoluto; absoluti dependentiam quidem Deus terminare potest, non tamen respectivi, quia hoc non modò dependet à subjecto, ut subjecto; sed etiam ab eodem veluti à fundamento, ad quod ex sua differentia specifica majorem dicit connexionem, quàm dicat accidens absolutum ad suum subjectum.

Replicatur Dependentia relationis à fundamento etiam, ut fundamento est in genere causæ extrinsecæ, ergò Deus supplere potest: probatur consequentia: Quia omnem dependentiam extrinsecam Deus supplere potest; sed hæc est talis, ergò. R. concesso ante negando consequentiam, cum probationis ma. vel si magis distinguo: Omnem dependentiam extrinsecam Deus supplere potest, in genere absolutorum concedo; in genere relativorum, nego ma. & distinctâ similiter minori, nego consequentiam. Quia hæc est accidentis differentia, in quo ab absoluto distinguitur; quòd licet hoc esse possit sine omni eo quod non est de essentia ejus, respectivum tamen non potest, quia hoc pendet etiam essentialiter ab eo, quod non est de ejus essentia, & ideò dicitur respectivum quasi aliud à se necessariò respiciens. Sed ad secundam partem

VI. Quia dissentiunt ponentes accidens non esse ens.

VII. Accidens separatum non acquirit novum modum.

Dico 2. *Accidens separatum à subjecto suo, non acquirit novam existentiam, neq; novum modum existendi à sua existentia distinctum; sed per eandem existentiam, quâ existebat in subjecto conservatur à solo Deo extra subjectum.* Hæc quoad omnes partes est Scoti & Scholæ suæ. Et quoad primam partem videtur ex Tridentino Sess. 13. can. 2. de fide, ubi dicit: eadem accidentia manere destructâ substantiâ panis.

Et probatur primò ad oculum: Quia existere non est aliud quàm esse in rerum natura extra suas causas; sed accidentia Eucharistica ad oculum sic sunt, ergò:

Probatur secundò. Illa nova existentia, quæ adveniret, deberet inhærere priori essentiæ actuali, tanquam actus potentiæ; sed actus verus & realis, qualis esset ista existentia, non potest sic inhærere nisi potentiæ, vel essentiæ actualiter existenti, ergò daretur essentia actualiter existens ante istum actum: ergò etiam existentia, quia per eam nihil aliud intelligo.

Probatur: Si acquireret aliam existentiam, deberet priorem perdere; sed priorem perdere non potest, ergò nec acquirit novam: probatur mi. Quia si perderet priorem existentiam, perderet etiam priorem essentiam, & prius suum esse; sed si perderet priorem essentiam, & prius esse non esset idem accidens; sed aliud, ergò: probatur ant. quia essentia & existentia non distinguuntur.

Probatur secunda pars: Quia vel ille novus modus positivus advenit accidenti ante separationem, vel post separationem; si primum, ergò accidens habet duos modos planè oppositos simul, scilicet illum novum modum existendi per se, & priorem existendi in alio; sed hoc repugnat, ergò: probatur: quia sic esset ens per se, & ens in alio, ergò: si secundum, ad nihilum planè deseruit; quia ideò ponitur iste novus modus præcisè secundùm eos, qui sic ponunt, ut accidens existat per se sine subjecto; sed ante talem modum per hoc præcisè, quòd ponatur & conservetur à Deo extra subjectum habet totum hoc, ergò frustraneus est ille modus novus positivus.

Dices. Illum modum inservire, ut loco subjecti sustentet accidens, ergò non esset frustraneus. Sed contra: Ille modus non sustentaret accidens; sed sustentaretur ab ipso accidente; sed hoc est inconveniens, quia absurdum est, quòd aliqua forma sustentet suum subjectum, ergò: probatur ma. Quia illud, quod est prius alio, sustentat illud, quod est posterius ipso; sed accidens est prius illo modo, ergò sustentabit illum, & consequentèr modus ille non poterit sustentare accidens, adeoq; verè & absolutè erit frustraneus. VIII.

Probatur eadem pars secundò: Ille modus, vel est ens, seu modus substantialis, vel accidentalis; si ens substantiale, ergò erit subjectum accidentis, & sic accidentia contra fidem in Eucharistia extra subjectum non erunt; si verò est modus substantialis, tunc sequetur, quòd aliquid substantiale subjectetur in accidente, quod fieri nequit; si deniq; modus est accidentalis, ergò non potest accidenti tribuere modum essendi per se, quod implicat simpliciter, ergò. Deinde ad idem est, quod non sit modus accidentalis: Quia esse substantiale non potest alicui conferre, ut sit in alio, ergò nec esse accidentale, ut sit aliquid per se, ergò. Sed contra Conclusionem hanc IX.

Arguitur. Alius est influxus causæ primæ, quo cum causâ secundâ concurrit ad aliquem effectum, & alius quo se solo illum producit, ergò accidens acquirit novum modum existendi quando separatur, quàm antea habuit: probatur ant. quia alius est influxus quo Deus cum sole producit lumen, & quando se solo illud producit, ergò: quia tunc concurrit modo aliquo determinato & antea non; sed indeterminato, ita quòd sicut concurrebat ad productionem luminis, poterat concurrere ad productionem frigoris; sed modus determinatus est alius à modo indeterminato, ergò: R. dist. ant. primùm est alius influxus quoad rem, nego ant. quoad modum, concedo ant. & nego consequentiam: similiter distinguo probationem antecedentis prioris, quia quoad rem est idem influxus, quo cum causa secunda & se solo producit lumen & illud conservat: nam & modo plures effectus producuntur à Deo concurrente causâ secundâ, qui tamen postea à solo DEO conservantur, & tamen concursus ille conservativus non est distinctus à productivo; deinde ad probationem, nego ma. quoad illud quod, scilicet concursus Causæ primæ cum causa secunda sit indeterminatus, quin ut dicam in Physica est X.

determinatissimus, ita ut non modò in specie concurrat ad actus; sed etiam individuatio actus, seu quod in hoc individuo fiat, determinatur à Deo, & licet sit virtualitèr multiplex, nunquam tamen dici potest indeterminatus & confusus, quia hoc perfectioni divinæ repugnat.

Instatur. Quod accidens existat extra omne subjectum est omnino quid supernaturale; sed si esset idem concursus in re quo concurrit ad conservationem accidentis in subjecto, cum eo quo concurrit sine subjecto non esset, quid supernaturale, ergò non est idem concursus & influxus, ma. patet: probatur mi. Quia nihil est supernaturale, quod à causa naturali cum concursu ei debito fieri potest; sed causa naturalis posset, verbi gratiâ, solo cum solo concursu generali, naturalitèr sibi debito, lumen in aëre productum annihilato aëre, qui est subjectum ejus, conservare extra subjectum, ergò talis existentia & conservatio luminis non esset supernaturalis. R. negando mi. cum minori probationis; quia in ea assumitur casus impossibilis, nempe quod Deus annihilato aëre adhuc posset existere soli, ad conservandum lumen impossibile sine subjecto, quia talis conservatio esset actio creativa, quæ creaturæ competere nequit: Deus potest tamen conservare lumen in aëre jam à sole productum, aëre annihilato, eo concursu quoad rem quo prius, & licet idem foret concursus quoad rem, non iamen propterea esset lumini connaturalis, quia ejus connaturalis concursus & debitus non est, nisi in subjecto.

Urgetur. Si sufficit tantùm alius concursus quoad modum, & non requiritur quoad rem, ut aliquid dicatur existere supernaturalitèr, sequetur quòd lapis in sublimi loco detentus supernaturalitèr ibi detineretur; sed hoc est inconvenientissimum, ergò etiam quòd idem accidens conservetur eodem concursu sine subjecto & insubjecto: probatur, quia ille status lapidis est ei debitus & connaturalis, ergò inconvenientissimum erit dicere quòd sit supernaturalis. R. negando sequelam ma. Quia adhoc, ut aliquid dicatur supernaturalitèr existere, non sufficit, ut alio tantùm modo existat ab eo, ad quem ex natura sua ordinatur, alioquin monstra producerentur supernaturalitèr, & aqua supernaturalitèr ascenderet sursum; sed requiritur ut alio modo existat, quem tàm natura specifica, quàm natura universi requirit: quare si existat alio modò quàm natura, particularis requirit, & tali tamen modo quem exigit natura universi, non est supernaturalis modus.

QUÆSTIO V.

An accidentia educantur de potentia subjecti?

I. **Hæc quæstio** dependet ab illa, quam in Physica etiam tractabo cum aliis, an scilicet formæ substantiales educantur de potentia materiæ? Et sicut ibi res non absolutè deciditur; sed solum educi formas materiales naturales, non verò spirituales, qualis est anima: ita hic quoq; distinguendum erit. Per eductionem autem aliud non intelligo, quàm productionem formæ in materia, vel subjecto cum dependentia ab influxu materiali ipsius materiæ, vel subjecti: ita ut quæcunq; forma dependet inferi ab influxu positivo materiæ, dicatur de potentia ejus educi. Itaq; notandum Accidentium esse diversa genera: nam aliqua sunt connaturalia suojecto, & sunt illa quæ subjectum necessariò postulat inesse sibi, ut calor respectu ignis, frigus respectu aquæ: Alia verò sunt accidentia violenta, & sunt illa à quibus subjectum naturalitèr, id est secundùm naturæ inclinationem abhorret, ut calor respectu aquæ, frigus respectu ignis: Alia iterum sunt neutra, & sunt illa ad quæ subjectum est indifferens, ita ut connaturalitèr illa non exigat, nec tamen etiam abhorreat ipsa, ut albedo & nigredo in superficie: Alia sunt accidentia artificialia, & sunt illa quæ ars inducit in materiam, vel subjectum, ut statua leonis, tygridis, aut canis, in ligno, marmore, vel bronzo &c. Alia denique sunt accidentia supernaturalia, & sunt formæ illæ accidentales, quæ præter, vel supra exigentiam naturarum ipsis adveniunt, & sunt omnes habitus & actus supernaturalitèr & divinitus infusi, quæ proinde sunt in duplici differentia; alia enim sunt, quæ à solo Deo in genere causæ efficientis produci possunt, ut lumen gloriæ, habitus fidei, spei, &c. & alia quæ mediantibus illis habitibus, vel saltem speciali concursu Dei produci possunt à creatura in genere causæ efficientis, ut sunt omnes actus istorum præfatorum habituum. Quo prænotato

Varia sunt genera accidentium.

Dico 1. *Omnia accidentia, supernaturalibus exceptis educuntur de potentia subjecti.* Est communis in Schola Scoti & II.

Omnia accidentia connaturalia educuntur de subjecto pro statu naturali.

Probatur primò. Quia omnia illa naturalia accidentia qualiacunque demùm sint, si supernaturalia excipias, vel creantur, vel educuntur, de potentia subjecti; sed non creantur, ergò: educuntur de potentia subjecti, probatur ma. quia omnia, vel producuntur in aliquo subjecto & de subjecto, vel de nihilo subjecti: seu, vel producuntur dependentèr à subjecto, vel independentèr; si primum, ergò producuntur de potentia; si secundum, ergò creantur: probatur mi. quia omnes aliæ formæ producuntur effectivè à creatura, verbi gratiâ, calor ab igne, frigus ab aqua; sed quod effectivè producitur à creatura, non creatur, ergò: probatur mi. quia creare nequit nisi solus Creator unus omnipotens Dominus.

Probatur secundò: Omnia accidentia dependent in fieri & conservari à suis subjectis, ergò nisi evidens ratio, vel urgens authoritas cogat, tenendum est, quòd educantur de potentia subjectorum, ant. patet: probatur consequentia. Quia ex hâc sola ratione cognoscimus formam quamcunque educi de potentia materiæ, ergò: probatur ant. Quia seclusâ revelatione, quâ cognoscimus animam rationalem manere separatam à corpore, & operari, impossibile esset colligere, quòd non educeretur de potentia materiæ sicut cæteræ animæ brutorum; & è contra ex eo colligimus animam equi educi de potentia materiæ, quia quando desinit III.

desinit conservari à materia, inque materia desinit omnino operari & esse; ergò hæc est præcisa ratio, ita ut si quis contrarium adstrueret, omnem præcluderet viam cognoscendi, quænam formæ educantur de potentia, & quæ non.

IV. Dico 2. *Nulla accidentia quæ à solo DEO in genere causæ efficientis producuntur, ut sunt gratia & lumen gloriæ &c. educuntur de potentia subjecti.* Hæc est Scoti in 2. d. 23. q. 1. & 3. d. 11. q. 1. n. 4. & in 4. d. 1. q. 1. § Intelligendum est pro opinione Magistri. Est etiam D. Thomæ, D. Bonav. Nominal. contra Suaretz, Vasquetz, Lovanienses.

Probatur primò. Illa accidentia, quæ infunduntur subjecto, non educuntur de potentia ejus; sed omnia accidentia memorata infunduntur subjecto, ergò non educuntur de potentia ejus: ma. patet, quia omnis forma, quæ infunditur, prius est naturâ, quam infundatur subjecto, aut ab eo dependeat, ergò nulla talis educitur de potentia ejus, consequentia patet, quia forma deducta ex potentia subjecti non est prius quàm ab ea dependeat à natura: probatur mi. ex Trident. Sess. 6. can. 7. de accidentibus his sic loquente. *Hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, qui ei inserit fidem spem & charitatem.*

V. Dices. Illa etiam, quæ de potentia subjecti educuntur, etiam possunt dici infusa, ergò ex infusione non colligitur independentia: probatur ant. quia actus vitales educuntur de potentia subjecti, & tamen dicuntur infundi: nam idem Concilium cap. 16. ait: *per infusionem Spiritûs Sancti* fieri in nobis, ut velimus sanari; & Ecclesia in Orat. Dom. 5. post Pente. sic orat: *Deus &c. infunde cordibus nostris tui amoris affectum,* & in hymno de Spiritu Sancto: *infunde amorem cordibus*; & ratio etiam est, quia infusio non opponitur eductioni; sed acquisitioni per propias vires, nam etiam scientia Adamo & Salomoni dicitur infusa, licet fuerit educta de potentia subjecti, quia eam propriis viribus non acquisierunt. R. 1. Quòd ista omnia fusè relata possint congruè intelligi & exponi de habitibus infusis, qui ideò dicuntur infusi, quia fiunt in nobis sine nobis, id est sine nostra cooperatione, & proinde nihil implicat, quòd creentur in nobis sine nostra cooperatione; actus verò fiunt in nobis cooperantibus nobis & nostris potentiis, quia tàm clarum est, actus educi de potentia subjecti, quàm clarum est potentias nostras non creare; ideò actus eorum dicuntur infusi, quatenùs requirunt aliquod auxilium supernaturale ad sui productionem, quòd potentiæ cooperetur: habitus autem totaliter dicuntur infusi sine ulla nostra cooperatione, & proinde licet actus aliquando dicantur infusi, non inde licet inferre, quòd habitus educantur de potentia subjecti.

VI. Probatur Conclusio secundò. Cui ex natura sua repugnat causari à perfectissima causa creata propter sui perfectionem, non potest causari ab imperfectissima causa creata; sed inter causas creatas imperfectissima est materia, & perfectissima efficiens, ergò cui repugnat causari ob sui perfectionem ab efficiente creato, nec poterit causari à materiali: subsumo; sed gratiæ & gloriæ ob suas perfectiones repugnat ab efficiente creato produci, ergò etiam à materiali in quo genere concurrit omne subjectum.

Probatur tertiò. Nulla causa creata causat illud, quod immediatè & sine alio prævio reddit hominem justum & Deo gratum; quia alias gratia non esset gratis data, si vel partialitèr à nobis causaretur; sed gratia reddit hominem immediatè Deo gratum & acceptum, ergò nulla causa creata in aliquo genere eam causat. Confirmatur: Quod aducitur de potentia materiæ, vel subjecti, debet virtualitèr præfuisse in materia; sed gratia non præfuit materialitèr in materia, ergò: probatur mi. Quia effectus ordinis supernaturalis non potest contineri in causa naturali; sed gratia est talis effectus, ergò. Secundò isti habitus dicuntur in Scriptura sacra creari, ut patet Psalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus*: nam per gratiam habitualem cor novum & justum creatur, ergò isti habitus creantur. Sed in contra

VII. *Non potest dici gratiam metaphoricè creari.* Arguitur. 1. Gratia dicitur tantùm metaphoricè creari; quia quemadmodum vera creatio est productio rei ex nihilo subjecti & sui, ita gratia in nobis creari dicitur, quia fit in nobis ex nihilo nostrorum meritorum præcedentium, ergò: Contra ex hoc sequeretur, orationem istam Prophetæ esse impiam, vel inanem: probatur sequela; quia vel loquitur de meritis de condigno, vel de meritis de congruo; si secundum, oratio est impia, quia sensus erit iste, justifica me Deus sine ullis meis meritis de congruo, quod impium est petere, tum quia hoc est saltem indirectè petere, ut ille nulla habeat merita saltem de congruo, tum etiam, quia in adultis qualis fuit Propheta, qui sic oravit, necessè est merita saltem de congruo præcedere justificationem: si verò loquitur de meritis de condigno, oratio est inanis, quia fide certum est, quòd non justificemur ex præcedentibus nostris meritis de condigno, orare autem, quòd fide certum est fieri, inane est, sicut certo inane esse, ut anima D. Bernardi, vel Franciſci fruatur æterna beatitudine in cœlo &c.

Instatur. Terminus creationis subsistit per se; sed gratia non sic subsistit, ergò gratia non creatur & consequenter educetur de potentia subjecti: probatur mi. quia gratia necessariò petit esse in alio, ergò. Sed R. facilitèr: Terminus creationis substantialis subsistit per se, concedo ma. accidentalis, nego ma. Itaq; quòd non subsistat per se, non provenit ex eo quòd aliquid sit terminus creationis; sed ex eo quia est tale ens &c.

Urgetur. Quod est terminus creationis, non potest à nobis corrumpi: sed gratia corrumpitur à nobis, ergò non est terminus creationis: patet ma. quia quod est terminus creationis annihilatur, quod nulli competit creaturæ, æq; ac non competit ulli creare: probatur minor, quia nos introducimus formam contrariam gratiæ, scilicet peccatum: quod immediatè, dum advenit gratiam expellit, ergò à nobis corrumpitur. R. concessâ ma. negando mi. ad

cujus prob. distinguo ant. Nos introducimus formam contrariam, scilicet peccatum, quod gratiam expellit Physicè, nego ant. moralitèr, concedo ant. & nego consequentiam. Quia posteriori modo expellere gratiam non est propriè & ex nostra virtute, sed tantum de meritoriè, quia Deus æterno sancivit decreto, quòd posito peccato ex parte nostra non velit gratiam amplius conservare, sed annihilare.

VIII. **Arguitur 2.** Gratia, aliaq; accidentia supernaturalia dependent in fieri & conservari à subjecto, ergò educuntur de potentia illius. R. dist. ant. dependent Physicè à subjecto, id est tanquam in genere causæ materialis concurrente, nego, materialitèr sicut Deus statuerit nunquam illam producere, vel conservare, nisi in anima tanquam in subjecto, cui illa uniantur, concedo ant. & nego consequentiam; quia ad eductionem requiritur dependentia in esse & conservari primo modo.

Instatur. Illa accidentia sic dependent in esse & conservari, sicut albedo à pariete: sed albedo Physicè dependet, ergò & illa: probatur ma. tantum esset miraculum si Deus conservaret gratiam sine anima, quantum si conservaret albedinem sine pariete; ergò signum est, quòd tantum gratia ab anima, quantum albedo à pariete dependet. R. negando ma. ad probationem nego ant. quia albedo dependet à pariete in genere causæ materialis, in qua à pariete & ipsi etiam unitur, sicq; Deus suppleret quasi duplicem defectum, scilicet causalitatem in genere causæ materialis in qua, & unionis ejusdem ad parietem, quæ duo albedini per omnia æqualitèr connaturalia sunt; in gratia autem defectum simplicis suppleret unionis, & sic non esset ibi tantum miraculum.

Urgetur. Quæcunq; necessariò insunt alicui, dependent Physicè ab eodem: sed omne accidens necessariò inest subjecto naturalitèr loquendo; ergò omne etiam necessariò dependet & consequentèr etiam accidentia supernaturalia. Ut in forma respondeam: Nota, duplicem esse in existentiam, unam quæ dicit in existentiam propriè dictam cum causalitate, quâ forma in fieri & conservari dependet à causa materiali concausante; aliam quæ tantum dicit specialem unionem formæ ad subjectum, & hæc aliter sustentatio dici potest, quia non includit necessariò talem causalitatem: quòd verò hæ duæ inexistentiæ distinguantur patet in anima rationali, quæ in existit secundâ, non tamen primâ existentiâ: hoc prætacto. R. in forma dist. ma. Quæcunq; necessariò insunt alteri in existentiâ primo modo sumptâ dependent Physicè ab eodem: concedo ma. quæcunq; in existunt alteri in existentiâ secundo modo sumptâ, nego ma. sic autem est in proposito, quia hæc accidentia supernaturalia prius naturâ independenter ab anima in genere causæ materialis concurrente à solo Deo accipiunt esse, & posteà recipiuntur in anima.

IX. **Arguitur 3.** Quod fit ex præexistente subjecto non creatur, sed educitur: sed gratia fit ex præexistente subjecto, videlicet anima, ergò non creatur, sed educitur. R. dist. ma. quod fit ex præexistente subjecto à quo dependeat in genere causæ materialis non creatur, sed educitur, concedo ma. cui tantum uniatur, nego ma. quod autem illud non fit universalitèr verum, & quòd illud non creetur, quod fit ex præexistente subjecto, ut ipsi tantum uniatur, patet in anima rationali, quæ præsupponit corpus debitè dispositum & organizatum, & hoc tamen non obstante dicitur adhuc simplicitèr creari, ex eo quòd tantum in genere causæ materialis non accipiat esse à corpore.

Instatur: Illud quod dicit ex natura sua relationem ad subjectum, educitur de potentia ejus: sed accidens ex natura sua dicit relationem ad subjectum; quia petit ipsi inhærere connaturalitèr, ergò educitur de potentia ejus. R. dist. ma. Illud quod dicit ex natura sua relationem effectûs ad subjectum, educitur de potentia ejus, concedo ma. quod ex natura sua dicit aliquam aliam relationem ad subjectum, nego ma. Itaq; accidentia supernaturalia non primam dicunt relationem ad subjectum; sed secundam, quæ vocatur relatio inhærentiæ, quod habet ex præcisa ratione accidentis, non in quantum tale accidens est. In quolibet enim accidente duo isti respectus reperiuntur & in naturalibus quidem est prior semper primus, scilicet effectus, quia hic immediatè resultat pro illo in stanti, quod dicitur productum ad efficiens, & hunc respectum non habet accidens supernaturale à materia, vel à subjecto, sed tantum illum quo dicitur posteà unitum, vel inhærens.

Urgetur. Quod naturalitèr dependet à subjecto in conservari & operari, educitur de potentia: sed accidentia naturalitèr dependent in conservari & operari à subjecto, ergò educuntur de potentia subjecti: probatur mi. quia esset tantum miraculum, si accidentia manerent supernaturalia extra subjectum, quàm dum manent naturalia. R. dist. ma. Quod naturalitèr dependet à subjecto in conservari & operari, si est quid substantiale, educitur de potentia subjecti; concedo ma. si sit aliqua forma accidentalis, nego ma. & concessâ mi. nego consequentiam. Disparitas itaq;, ut quia forma substantialis ex ratione substantiæ habet esse independens ab alio veluti à subjecto, quia ex conceptu substantiæ est ens per se stans; unde quando in conservari & operari dependet ab alio, aliunde non provenit, nisi quia ab eo causatur, ita ut ex dependentia in fieri conservari, & operari, benè colligatur, quòd causetur ab alio & ab eo dependeat in genere causæ materialis: Forma verò accidentalis ob sui imperfectionem & debilitatem postulat ex natura sua ab alio sustentari, eiq; inhærere: cùm accidentis sit inesse; unde quod accidens, nec operari, nec conservari possit naturalitèr independentèr à subjecto, non sequitur educi de ejus potentia: quare autem forma substantialis non petat sic sustentari, & petat accidentalis, non est alia ratio à priori assignabilis, nisi quia hoc est hoc & illud est illud.

X. **Dico 3.** *Accidentia supernaturalia, quæ à solo Deo non producuntur, educuntur de potentia subjecti.* Probatur: Quia ad talia accidentia se extendit agens creatum in genere causæ efficientis

Accidentia supernaturalia quæ à solo Deo non producuntur educuntur.

entis Physicæ, ergò talia educuntur de potentia subjecti: probatur consequentia: quia agens creatum non extendit se ad terminum creationis, ergò ad terminum eductionis.

Dices: Actus charitatis elicitus à voluntate & gratia non educitur de potentia materiæ: sed actus charitatis est accidens supernaturale, quod à solo Deo non producitur, ergò: quia ille actus est supernaturalis sicut gratia, ergò si gratia non educitur de potentia materiæ, quia est supernaturalis, ita nec ille actus. R. negando ma. ad probationem dico illum actum esse supernaturalem, non tamen ita sicut gratia: quia gratia ita est supernaturalis ordinis, ut non possit produci à creatura in genere causæ efficientis, ille autem actus efficienter a voluntate producitur, & consequenter educitur de potentia ejus ut non creatur.

QUÆSTIO VI.

An accidens Spirituale possit subjectari in subjecto corporeo, & corporeum in subjecto spirituali.

Proresolutione quæstionis Notandum quòd *ly subjectari* dupliciter intelligi, ut in priori quæstione in solutione ad ursionem argutionis secundæ ad notavi: nam primo potest intelligi subjectari ita, ut idem sit quasi accidens ita in existere possit subjecto, ut etiam de potentia ejus, seu eo in genere causæ materialis concurrente produci possit, & taliter accidens spirituale nequit subjectari in subjecto corporeo: quia ut dixi supra, subjectum nullo modo in genere causæ materialis verè concurrit ad ejus productionem & conservationem; alio modo potest ly subjectari accipi, prout non significat talem concursum, sed accidentis simplicem unionem & subjectationem, seu in existentiam & sustentationem ad subjectum, & in hoc sensu controvertitur, utrum accidens spirituale possit subjectari in subjecto corporeo, quod iterum dupliciter fieri & examinari potest: scilicet connaturaliter & de potentia absoluta. Circa quam materiam plures sunt sententiæ. Prima est communior Antiquorum, quam etiam sequuntur Mastrius & Bellutus, qui simpliciter negant, accidens spirituale posse recipi in subjecto corporeo, & contra: Secunda est plurium Recentiorum, quam sequitur Pontius priori è diametro, contra quæ dicit non repugnare quòminus de potentia absoluta accidens corporeum possit subjectari in subjecto spirituali, & spirituale in subjecto corporeo. Tertia sententia est media, quam tuetur & amplectitur etiam Baro, qui dicit quòd aliqua accidentia spiritualia possint quidem uniri subjecto corporeo, non tamen omnia, & illa quæ excipit dicit esse intellectionem & volitionem, qui dicit quòd simpliciter, nec de potentia absoluta possint in subjecto corporeo, verbi gratiâ, ligno, vel lapide poni: de quo statim; sed interim

Dico 1. *Nullum accidens spirituale absolutum potest naturaliter esse in subjecto corporeo, nec corporeum in subjecto spirituali.* Hæc est communis &

Probatur Conclusio quoad utramq; partem primo ex Scoti doctrina, 4. d. 12. q. 2. n. 8. ubi dicit albedinem non posse subjectari in Angelo. Quia connaturale est omni accidenti spirituali esse inextensum, sicut omni enti corporeo esse extensum, ergò accidens spirituale non potest subjectari in subjecto corporeo, nec corporeum in subjecto spirituali: probatur consequentia, quoad 1. p. Quia nulla est proportio entis extensi ad inextensum, ergò: & hinc patet eadem consequentia à paritate rationis.

Probatur Conclusio secundò, de accidente corporeo. Quia connaturaliter petit habere suas partes extensas, sed hoc non potest habere in subjecto spirituali, ergò: probatur minor, quia subjectum spirituale non est sic divisibile: probatur etiam de accidente spirituali. Quia non potest assignari aliqua causa, quæ illud naturaliter produceret & poneret in subjecto corporeo, ergò non est dicendum quòd connaturaliter spirituale posset subjectari incorporeo: probatur ant. quia si esset aliqua illa deberet esse vel causa creata secunda, vel causa in creata prima: neutra est, ergò: probatur mi. quoad secundam partem, quia Deus connaturaliter nihil producit, vel creat, nisi juxta exigentiam causarum secundarum, sed causæ secundæ corporeæ non exigunt productionem accidentis spiritualis, ergò: probatur mi. quoad primam partem. Illa causa creata, vel deberet illud accidens creare, vel in subjecto producere, sed creare non potest, nec etiam in subjecto producere, ergò: patet minor, quòd creare non possit: probatur etiam, quòd illud in subjecto nequeat producere, quia nulla causa etiam spiritualis potest accidens spirituale extra se producere, etgò.

Dices. Anima rationalis est spiritualis: III.
sed anima rationalis potest connaturaliter absque aliquo miraculo recipi in subjecto corporeo, ergò etiam accidens. R. 1. Si in rationibus naturalibus sistatur difficilè posse demonstrari aut probari quòd anima rationalis sit spiritualis, adeoq; nisi lumine supernaturali edocti essemus, teneri posset quòd esset corporea; quamvis non regem quòd efficaciter ejus immortalitas demonstrari possit, quamvis non spiritualitas. R. 2. Negando consequentiam; quia nulla est, & paritatem, quia anima rationalis est insubjecto corporeo veluti actuo informans, accidens autem insubjecto corporeo non sic esset, quia non constitueret unum per se cum illo, sed esset tantum per inhæsionem, & tali modo implicat quòd subjecto corporeo inhæreat, quia alioquin esset totum in toto, & totum in qualibet parte subjecti sicut anima, & non pars in parte, quia eas non haberet: sed hos implicat, ergò: probatur mi. Quia implicat quòd aliquid dependeat totaliter à pluribus causis, sed hoc contingeret, ergò: probatur mi. Quia dependeret totaliter à toto subjecto, & dependeret etiam totaliter ab omnibus partibus subjecti, ergò.

Dico 2. *Non implicat quo minus accidens absolutum spirituale de potentia absoluta Dei possit* IV. *Potest tamen divinitus.*

subjectari in subjecto corporeo, & accidens corporeum in subjecto spirituali, loquendo de subjectatione in secunda acceptione ad initium prænotata. Hæc est contra plures Scotistas, in re est Pontii & plurium Recentiorum, quamvis non sic ab eis proponatur; Baro sicut supra retuli, partim amplectitur, partim avertitur, gratis tamen: Unde

Probatur Conclusio primò:

Universaliter primo & communi principio. Deus potest omne facere quod non involvit implicantiam, vel imperfectionem, sed neutrum involvit quid simile, ergò: major est arte, & universalissimè recepta: minor patebit ex solutione Instantiarum; consequentia est optima.

Probatur Conclusio secundò.

De accidente spirituali, ex quo sequitur etiam altera pars de accidente materiali: Quia accidenti spirituali hoc non repugnat ut sit in subjecto corporeo, ex eo, quòd spiritualis sit forma, nec ex eo quòd accidentalis, ergò dicendum id non implicare: probatur ant. quoad primam partem: si accidenti spirituali repugnaret ex eo, quod sit forma spiritualis præcisè, repugnaret etiam anima rationali: sed rationali non modo non repugnat, sed etiam ipsi connaturale est, ergò accidenti ad minus non repugnabit de potentia absoluta: probatur ant. etiam quoad alteram partem, quia multæ formæ accidentales ponuntur in subjecto corporeo, ergò.

V. ## Probatur Conclusio tertiò

specialiter contra Baronem. Potest Deus producere intellectionem & volitionem se solo absq; concursu potentiæ, sed talem intellectionem potest Deus conservare absq; omni subjecto, ergò multò magis & facilius ad aliquod subjectum, sive etiam sit materiale, ponere: probatur consequentia, quia magis connaturale est accidenti esse in aliquo subjecto, quàm in nulla: sed in nullo esse potest in hæ sivè, ergò etiam in aliquo: major principalis probæ probatur. Quia quidquid Deus potest facere cum causa secunda, potest se solo, sed cum causa secunda potest producere intellectionem, ergò etiam se solô. Sed contra primam partem

VI. Dices. Si accidens spirituale posset subjectari in subjecto corporeo, posset visio beata poni in lapide: sed hoc est absurdum, ergò: ma. patet; quia non est major proportio inter illam & inter quodcunq; aliud accidens spirituale & subjectum corporeum: probatur minor ex Scoto in 4. d. 22. q. 2. n. 8. qui negat sapientiam posse poni in lapide & albedinem in angelo, quia alias lapidem de nominaret videntem Deum, & consequentèr faceret eum beatum. R. 1. Si argumentum concluderet, probaret etiam, quòd nec anima rationalis posset poni in corpore. R. 2. Negando mi. ad cujus probationem ex Scoto dico illum tantum velle quòd non posset uniri angelo albedo & lapidi sapientia, ita ut lapis denominaretur sapiens sapientiâ patente ab ipsa produci; nec albedo in angelo, ita ut albedo dependeret, vel educeretur de potentia angeli. Nec etiam sequitur quod lapis statim debeat dici sapiens ex eo quòd habeat in se sapientiam subjectatam; quia tantum illud subjectum denominatur taliter, quod est capax non modo recipiendi per unionem ex potentia obedientiali passiva, sed quòd habeat etiam potentiam in actu primo percipiendi sapientiam, quam potentiam, cùm lapis non habeat, non redditur intelligens.

VII. **Arguitur** Contra secundam partem: si ens spirituale posset subjectare accidens corporeum, posset quantitas subjectari in angelo, sed hoc esse & fieri nequit, ergo: probatur minor; quia quantitas necessario postulat partes extra partes, sed in angelo hoc non potest habere ergò. R. Concessâ ma. negando mi. cujus probat. dist. postulat habere partes entitativè extensas, concedo ma. impenetrabilitèr, ita quod una debeat habere subjectum vel locum distinctum à subjecto, vel loco alterius, de potentia absoluta, nego ma. imò defacto duæ quantitates sunt in eodem loco corporis Christi & specierum, unde effectus formalis divinitus à quantitatè separabilis non est extendere partes sui subjecti; quia substantia materialis etiam quanta reduci potest ad punctum loci, & extensio entitativa competit ipsi de se, sinè quantitate: unde effectus formalis quantitatis potius est communicare se subjecto per modum formæ aptæ natæ, quantum est de se reddere illi talem extensionem, casu quo non impediatur & subjectum habeat partes, quod in casu non contingit, & tunc angelus potest denominari quantus id est affectus quantitate.

Instatur. Calor extensus nequit subjectari in puncto quantitatis, ergò nec in angelo. R. dist. ant. connaturalitèr concedo ant. alitèr nego ant. & dist. similiter consequens.

Urgetur. Si in angelo posset etiam divinitus subjectari calor, angelus posset calefieri: sed hoc est ridiculum, ergò. R. Similiter dist. sequelam ab agente creato, nego sequelam: quia agens creatum saltem materiale, non agit naturalitèr nisi in subjectum extensum, ab in creato, nego sequelam. Et per hanc responsionem plura alia argumenta solvi possunt.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

DE QUANTITATE.

Descendo nunc ad examinanda prædicamenta, accidentalia in specie, quæ numero supra dixi ex communi & recipienda sententia esse novem: primum eorum statuo quantitatem; tum quia id Philosophum, quem ordinarie reliquæ sequuntur Scholæ, fecisse deprehendo; tum quia statui supra, quantitatem esse primum & immediatum, licet non ultimatum subjectum reliquorum accidentium in suo genere: unde jure prætendit etiam ante cætera examinari quamvis secundum entitativam perfectionem qualitas antecedere deberet: sed quem admodum priora perfectione, sunt posteriora generatione; ita etiam in eodem genere stando quæ sunt priora perfectione erunt posteriora tractatione unde sit

QUÆSTIO I.

Quid sit quantitas seu in quo consistat ratio ejus formalis?

1. Sensus sermonis de quantitate.

Notandum quòd in hac quæstione sermo non sit futurus de ea quantitate quæ dicitur virtutis, secundùm quam mensuratur cujus libet rei perfectio, ita ut quo minus, vel quo magis una res aliâ re dicitur perfectior, eòmajorem, minoremve dicitur habere perfectionem: hinc quia Deus optimus maximus summè perfectus est, inter omnia entia ens est maximum, seu maximè perfectum ut ait D. Bernardus lib. 3. de amore Dei cap. 10. *Cogitandus est Deus, sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine situ præsidens, sine habitu continens, omnia disponens*: hinc etiam divus August. 6. Trinit. 8. dixit: *In his quæ non mole magna sunt, hoc majus est quod perfectius est.* Quantitas molis est rebus solis corporeis competens, ratione cujus unum corpus, vel una res corporea excedit aliud magnitudine, seu extensione secundùm unam, vel dices, vel tertiam deniq; dimensionem, nempe tàm secundùm latum, longum, quàm etiam secundùm profundum: sic Gigas excedit quantitate pigmæum. Et in hac acceptione Philosophus definit quantitatem in concreto 5. Met. cap. 7. sic: *Est divisibile in ea quæ insunt quorum utrumq;, vel unumquodq; eorum unum est quid & hoc aliquid aptum est esse.* Ubi per ly *Quid* intelligit Philosophus accidens, per quod distinguitur quantitas ab alio mixto, in quo secundùm aliquam sententiam omnia quatuor elementa formaliter continerentur, cui mixto alioquin tota posset applicari definitio, seu potiùs descriptio: Dicitur *divisibile*, ut distinguatur quantitas ab accidentibus indivisibilibus & spiritualibus. Per divisibilitatem autem intelligenda est divisibilitas, quæ per agens naturale fieri & contingere possit, & quidem ratione sui in partes quæ insunt, ita ut omnibus aliis, quæ sunt divisibilia sic ratione hujus, seu quantitatis competat, per quod excluditur calor intensus ut &, quia si poneretur extra omne subjectum, quantum non posset dividi saltem ab agente corporeo, sed penetraretur à quocunq; corpore interposito: unde quòd possit nunc ita dividi, habet hoc à quantitate, quæ hoc habet à se, & ratione cujus hoc aliis competit, ut patet de Eucharistia, quæ est naturaliter divisibilis ab agente corporeo, quantum est de se, quod notanter dico, quia fortè per accidens contingere posset quantitatem non esse sic divisibilem, casu quo esset in subjecto cujus partes non possent dividi, ut est de partibus cœli naturaliter loquendo, quæ non sunt divisibiles, nec consequenter quantitas quæ in ipsis subjectatur: dicitur *in ea quæ insunt*, id est in partes ex quibus actualiter componitur, ut denotetur, quòd hic agatur de quantitate in quantum est aliquod totum integrale, & non ut est totum potentiale: dicitur *quorum utrumq;*, id est ex partibus dividentibus, *vel unumquodq;*, id est quælibet etiam singillatim: *est unum quid*, id est, ens aliquod completum: *& hoc aliquid*, id est singulare & per se existens extra aliud, seu aliam partem integrantem ejusdem totius, per quod hujus totius partes distinguuntur à partibus totius actualis Metaphysici, vel Physici; quia in illis alterutra pars inest alteri, vel per identitatem, ut in toto Metaphysico, vel per informationem ut in toto Physico; item etiam per hanc ultimam partem distinguitur à corpore mixto casu, quo in ipso essent quatuor elementa formaliter, prout dixi, quod quædam teneat sententia; quia in qualibet parte illius mixti manerent adhuc quatuor elementa formaliter. Et quamvis hæc explicatio sat congrua sit, controvertitur tamen in Scholis acerrimè, in quonam formalis ratio constitutiva quantitatis consistat? Circa quam materiam plures & diversæ sunt sententiæ. Prima est quam insinuavit D. Thomas p. 1. q. 29. art. 1. & opusculo 12. Alberti Magni, quæ rationem formalem quantitatis constituit in mensura: Mensura autem de qua hic est sermo, non est in illa, in impropria acceptione pro eo, per quod cognoscimus gravitatem, seu potiùs perfectionem alicujus rei, sicut gravitas plumbi decem librarum mensurat mihi corpus, vel carnem ad decem libras. Et Deus utpote in perfectione sua infinitus, & in omni genere perfectissimus, quo magis aliquod ens creatum ad eum accidit, dicitur magis perfectum cæteris, ita ut sit mensura omnium. Et homo dicitur mensura omnium animantium, ex eo quòd colligatur, quòd illud animal, quò magis accidit ad hominem, sit eò perfectius, & eò imperfectius, quò magis ab eo recedit: quod etiam in omnibus aliis generibus observari potest, ita quòd hinc dicatur communiter in omni genere aliquod esse, quòd sit mensura cæterorum, quæ sub eodem continentur, sed ut dixi, de hac mensura hic non facescit sermo, sed de mensura in propria acceptione, quæ est ratio per quam quantitas rei cognoscitur: sic se habet ulna apud panifices, quia applicando hanc deveniunt in cognitionem

gnitionem quantæ magnitudinis sit pannus, & sic de aliis. Et hæc est iterum duplex: alia enim est activa, alia passiva, saltem secundùm diversos respectus. Activa est illa res, quâ aliquid mensuratur, seu per quam inquiritur & investigatur quantitas alicujus rei: sic ulna est mensura quâ inquiritur quantitas navis, domus &c. Mensura passiva, seu potiùs res mensurata dicenda, est ipsa res, cujus quantitas & magnitudo investigata & mensurata fuit, ut est ipsa domus navis lignum; dixi notantèr, saltem secundùm diversos respectus, quia ulna mensura est actu alio, qua inquiritur quantitas ligni 12. ulnarum, & est iterum mensura passiva, quia ejus quantitas mensuratur & inquiritur iterum per palmum: unde illud quod est notius dicitur semper esse mensura actualis, & rei; minùs nota dicitur mensura passiva, quia ut ipsum mensuratum. Mensura activa est triplex, alia est enim actualis, & est illa qua actualitèr aliquid mensuramur; alia est aptitudinalis, quâ aliquid potest mensurare; & tertia est radicalis, quæ est formalitas ad quam sequitur aptitudo ad mensurandum. Similitèr triplex est passiva, actualis, quæ mensuratur; aptitudinalis quæ mensurari potest; & radicalis, quæ est aptitudinis radix, seu formalitas ad quam sequitur aptitudo, ut aliquid possit mensurari. Sententiam Alberti sequuntur Soncinas, Javellus & alii. Secunda Sententia docet rationem formalem consistere in divisibilitate in partes constitutivas, & integrantes, ad differentiam rerum spiritualium, quæ penitùs sunt indivisibiles. Hæc tribuitur tàm D. Thomæ quàm Scoto eamq; mordacitèr defendit Capreolus de Flandria: & Tertia Sententia est Arriagæ, quam sequitur etiam Oviedo, qui dicit rationem formalem quantitatis consistere in eo, quod est reddere corpus impenetrabile naturalitèr, cum alio quocunq; ejusdem speciei tantum. Quarta Sententia asserit, rationem formalem quantitatis esse extendere partes substantiæ materialis; ita sentit Capreolus, teste Oviedo, Soncinas & Vasquetz. Quinta Sententia docet, quòd ratio formalis quantitatis consistat in extensione partiũ, seu in illo quod est principium habendi partes extra partes, ad quam extensionem sequitur connaturalis exigentia expellendi se mutuò, & quodlibet aliud, sive ejusdem, sive diversæ speciei à loco, quæ extensio dici potest radix impenetrabilitatis, vel impenetrationis naturalis. Hæc est Scoti 4. d. 10. q. 1. D. Thomæ 1. p. q. 14. ant. 11. quos præter Scotistas & Thomistas sequuntur Recentiores sat communitèr, ut Complutenses, Suaretz, Hurtadus, Comptonius disp. 9. Met. Sect. 2. Et licet conveniant prædicti authores, quòd non debeat esse actualis extensio, sed quòd sit exigentia extensionis; controvertunt tamen, an debeat esse extensio in ordine ad locum, vel in ordine ad se? Quòd, ut intelligatur notandum. Quòd habere partes extensas in ordine ad se, est habere partes cum aliquo speciali ordine inter se unitas, sive sint omnes penetrativè in eodem loco, sive non sint, ita ut una ex illis servato ordine immediatè uniatur alteri alicui determinatæ, & ista tertiæ, & sic deinceps, ut verbi gratiâ, ut caput immediatè uniatur collo, collum humeris, humeri pectori, & pectus ventri, &c. prout est corpus Christi sub speciebus. Partes verò habere extensas in ordine ad locum est, quando partes totius occupant aliquem determinatum locum, ita ut una pars correspondeat uni parti loci, & locus etiam isti parti, & sic de aliis. Et quando sermo est de aptitudinali extensione, tunc sunt partes dicentes aptitudinem ad talem & talem locum. His præmissis & prænotatis

II. Quantitas non constituit in mensura.

Dico 1. *Ratio formalis constitutiva quantitas non constitit in aliqua ex enumeratis mensuris*, hæc est contra Albertum magnum.

Probatur Conclusio primò

Universalitèr. Quidquid præsupponit aliquid ante se in esse, non potest de ejus esse essentia, sed mensurari, vel mensurare seu activè, seu passivè, præsupponit quantitatem esse jam constitutam, ergò posse mensurari, vel mensurare, non erit ejus formalis ratio: patet major; quia nullum prius constituitur in esse per aliquod posteris: probatur etiam minor: quia præsupponitur jam quòd quantitas sit extensa, ergò præsupponitur quantitas constituta: probatur ant. quia nihil sivè activè, sivè passivè, mensurare, vel mensurari potest, nisi quod est extensum, ergò præsupponitur quantitas jam extensa esse.

Probatur Conclusio secundò

Specialitèr de singulis, & primò de mensura actuali. Quod quâ aliquid mensuretur est merè contingens, ergò quantitas non constituetur per mensuram actualem: probatur ant. quia abesse & adesse potest, sicut quodcunq; aliud accidens, & sicut ab esse potest quicunque actus, ergò: probatur consequentia; quia nihil constituitur per illud quod contingentèr advenit, sed actualitèr mensurare, vel mensurari contingentèr advenit, ergò per illam non constituetur in sua esse formali & quidditativo. Probatur etiam de aptitudinali; quia nullum absolutum potest constitui per aliquod relativum, ut dixi satis disp. præced. sed aptitudinalis mensura est quid relativum, ergò quantitas non poterit constitui per illam aptitudinem; quia hæc est absolutum accidens, & substantiam in subsistendo maximè imitans, & proximè sequens. Quòd autem aptitudinalis mensura sit quid respectivum, patet etiam à paritate rationis: quia non videtur quare aptitudinalis inhærentia dicatur esse respectus qualiscunq; demum, & non dicatur etiam respectus aptitudinalis mensura. Probatur deniq; de radicali, quia res quæconvenit essentialitèr uni, & est de essentia ejus, non potest alteri convenire, nec esse ejus essentia, sed radix mensurabilitatis potest alteri convenire quàm quantitati, ergò non potest esse ratio constitutiva substantiæ: probatur ma. Quia nihil magis proprium & intimum alicui, quàm sua essentia, quia per eam ab omni alio distinguitur in esse, ergò quod est de essentia unius, non potest convenire alteri, quia alioquin nullam haberent entitatẽ per quam specificè distinguerentur: probatur etiam minor: quia convenit substantiæ, ergò potest alteri convenire: probatur ant. quia una substantia independentèr ab omni quantitate potest

test aliam mensurare, & ab eadem mensurari: nam habet tam benè radicem ad mensurandum quàm quantitas, ergò: probatur ant. quia potest unus angelus per applicationem substantiæ decem cubitorum devenire in cognitionem alterius substantiæ plurium, vel pauciorum cubitorum, dixi angelum hoc posse, quia certum videtur quòd à nobis pro hoc statu fieri nequeat. Sed

Opponitur Authoritas tum D. Augustini cap. 10. Categ. dicentis: *Quantum verò sit in ventri non potest, nisi fuerit adhibitâ mensurâ collectum &c.* tum Aristotelis, qui frequenter asserit, rationem formalem quantitatis esse mensuram, ergo in mensura radicali ad minus, si non actuali, constituenda est ratio formalis quantitatis. Sed R. D. Augustinum tantùm per præfatum textum & plura similia velle, quòd ad extra applicanda sit mensura, ut nos deveniamus in cognitionem alicujus quanti; non verò quòd quantitas intrinsecè constituatur per mensuram etiam quamcunq; ; eodem modo dico, locutum fuisse Aristotelem, dum dixit, illud quantum aut quantitativum esse quod est mensurabile aut mensurativum, eo quòd nos defactò non possimus determinatè venire in cognitionem; nisi per extrinsecam applicationem mensuræ, & quòd substantiam nullam entitativè extensam mensurare possimus separatâ quantitate, quia eam nequimus applicare localiter.

Dico 2. *Nec ratio formalis constitutiva quantitatis consistit in divisibilitate.* Hæc est contra secundam sententiam.

Probatur Conclusio sicuti prior. Quia quod convenit alteri, non potest esse ratio constitutiva alicujus: sed esse divisibile convenit substantiæ tam benè, acquantitati, ergò non potest esse ratio constitutiva quantitatis: probatur mi. Quia substantia capitis in homine potest conservari sine substantia manus, licèt separetur ab eis quantitas, ergò divisibilitas tam benè convenit substantiæ quàm quantitati: Confirmatur; quia quantitatem esse, est priùs quàm esse divisibilem in partes. Sed

Opponitur etiam authoritas Aristotelis 5. Met. cap. 13. ut ipsum citat Mastrius qui definit quantitatem per divisibilitatem, nam supra dixit *quantum esse divisibile in ea quæ insunt*, sed per quod definitur aliquid per id etiam constituitur, ergò divisibilitas est ratio constitutiva quantitatis. R. dist. ma. definit quantitatem per divisibilitatem definitione propriè & rigorosè dictâ, nego ma. definitione descriptivâ concedo ma. similiter dist. mi. definitio est explicativa essentiæ, si sit propriè dicta concedo mi. definitio descriptiva, nego mi. & consequentiam. Itaq; ex Aristotele tantum ut ipsum etiam exponit Doctor 5. Met. 9. habetur, quòd divisibilitas sit proprietas quantitatis, & tamen non quæcunq; , sed illa secundùm quam aliquid est divisibile naturalitèr in partes integrantes, per inter positionem aut applicationem corporis. Sed

Instatur: Ipse Scotus 4. d. 12. q. 2. ait: qualitatem corpoream à quantitate separatam, non esse actu divisibilem, sed tantum potentiâ remotâ, ergò per quantitatem fit talis proximè: probatur consequentia: quandocunque aliquid competit alteri, & aliquid in esse particulari & determinato constituit, illud sibi primò competit, & debet esse magis tale, sed qualitati competit dividi in plures partes per quantitatem, ergò quantitati per se primò competit, sed R. dist. antecedens: qualitas non est actu divisibilis à quantitate, separata à causa naturali corporeo, naturaliterq; agente, concedo ant. qualitas dividi nequit in partes integrantes ab agente super naturali, vel angelo, nego ant. Itaq; verum quidem est quòd aliquid dividi non possit ab agente naturali, nisi mediante quantitate: quia nullum agens naturali agere & dividere potest, nisi mediante instrumento corporeo.

Dico 3. *Ratio formalis quantitatis non consistit in eo quod est reddere corpus impenetrabile cum alio ejusdem speciei:* Hæc est contra Arriagam, &c. Est tamen Scholasticorum communiter, & valde difficilè defenditur contrarium propter mysterium Nativitatis & Resurrectionis Domini. VI. *Nec consistit in eo quod est reddere corpus impenetrabile cum alio ejusdem speciei.*

Probatur Conclusio primò. Authoritate D. Augustini epist. 3. ubi sic ait: *Ipsa virtus Dei per inviolatæ Matris Virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra invenis induxit*, ergò ratio quantitatis non consistit in impenetrabilitate: quia manente quantitate adhuc corpora fuerant penetrabilia: tum D. Bernardus serm. 4. *Cui poterit*, inquit, *asper aut durus videri* (scilicet Christus) *qui neque ipsi matri quid quam asperitatis, quidquam intulit læsionis.*

Probatur Conclusio ratione: Quia major est in compatibilitas inter res diversæ speciei, quàm inter res ejusdem speciei, ergò si quantitas expellit quodlibet aliud ejusdē speciei, multò magis debebit expellere alia quæ sunt diversæ speciei; probatur ant. Major est diversitas, & incompatibilitas inter albedinem & nigredinem quàm inter duas albedines, vel duas nigredines; item inter hominem & leonem, quàm inter duos homines, vel inter duos leones, ergò est major incompatibilitas inter res diversæ speciei, quàm inter res ejusdem speciei, & consequentèr multò magis, vel ad minus æq; citò debebit expellere unum ac alterum, & sic malè assignatur pro ratione formali constitutiva quantitatis impenetrabilitas naturalis cum alio ejusdem speciei. Confirmatur; quia unus homo æq; petit expellere alium hominem ab eodem loco, quàm lignum vel lapidem, ergo.

Dico 4. *Ratio formalis quantitatis non consistit quoque in extensione partium, sive in ordine ad se, sive in ordine ad locum.* Est etiam communior Scotistarum. VII. *Nec in extensione.*

Et Probatur primò. Quia substantia habet extensionem partium tam inor-

dine ad se, quàm in ordine ad locum, ergò in tali extensione non consistit ratio formalis quantitatis; quia ex dictis per nihil constitui potest in suo esse formali, quod convenit alteri: probatur ant. Et pono casum: si Deus separaret quantitatem à statua marmorea A, illa substantia statuæ connaturalitèr exigeret manum non esse immediatè unitum pedi, nec oculum auri &c. & ex eo ipso, quod sic exigeret manum non esse sic unitam pedi, etiam connaturalitèr exigit, quòd manus in priori loco licet separetur quantitas, una pars correspondeat uni parti loci, & altera alteri parti, ergò connaturalitèr exigit non modò extensionem in ordine ad se, sed etiam in ordine ad locum: probatur ant. quoad secundam partem, scilicet eò ipso, quo illa substantia statuæ extensionem entitativam etiam habeat extensionem localem. Illæ partes substantiæ non deberent se ipsas penetrare, nec etiam ad punctum loci statim confluere, ergò haberet extensionem quoad locum: probatur ant. tum quia non est assignabile punctum ad quod confluerent; tum quia Deus non tenetur illud determinare, vel causare talem confluxum, tum deniq; quia agens naturale non potest se, vel aliud quodcunq; movere ad locum distinctum, non transito medio, quia hoc naturalitèr repugnat, ergò illa substantia à quantitate separata habet extensionem partium adhuc in ordine ad locum.

VIII. Dices 1. Hanc extensionem substantiæ provenire in substantia ab exigentia quantitatis, à qua formalitèr constituitur una pars ejus extra aliam partem tàm in ordine ad se, quàm in ordine ad locum. Sed contra: Ideò exigit habere quantitatem, quia habet tales partes, unam extra aliam, ergò hoc non habet à quantitate: probatur ant. quia certùm est quòd substantia quinque ulnaris statuæ exigat majorem quantitatem, quàm substantia statuæ palmaris, sed hujus alia ratio assignari non potest, nisi quia substantia quinque ulnaris habet plures partes extra se, quàm substantia palmaris, ergò substantia exigit ideò talem vel talem quantitatem, quia habet tales & tales partes.

Dices 2. Illas partes substantiæ non esse extra se, nec unam partem correspondere uni loci parti, & alteram alteri, quia illa substantia tunc scilicet separatâ quantitate, nec esset in loco, sed esset in numero tanquam aliquid ejus. Sed contra certùm est, quòd illa substantia statuæ marmoreæ A, quæ in hoc instanti existit in hoc loco, si in altero instanti separetur ejus quantitas, ita erit localitèr ibi, ut angelus possit eam intuitivè videre, ut distinctam ab aliis substantiis, & ab aliquibus multùm distantem, ab aliis verò nullo modo distantem, similitèr unam partem distare ab altera, & aliam è contra ipsi immediatè uniri, sed hæc sufficiunt, ut illa substantia dicatur esse in loco, ergò:

IX. Probatur Conclusio secundò. Ex eo quòd substantia spiritualis caret partibus ejus connaturalis modus essendi in loco est simplex & indivisibilis, ita ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, sed substantia materialis etiam, ut à quantitate distincta & separata est opposita substantiæ spirituali, ergò etiam ut separata debet habere alium existendi modum; sed subsumo alium habere non potest nisi extensum & divisibilem, ergò substantia materialis etiam separatâ quantitate habet extensionem tum in ordine ad se, tum in ordine ad locum. Confirmatur: Quia partes extensionis in qualitate per hoc distinguuntur à partibus intensionis seclusâ omni quantitate, quòd illæ petunt extensionem in subjecto, non istæ, ergò.

Dices: Non repugnaret illis partibus se invicem penetrari, ergò illæ partes non haberent modum existendi divisibilem. R. quòd quamvis non implicet illis partibus, quò minus una connaturalitèr possit cum aliâ compenetrari, repugnat tamen naturalitèr illis partibus, ut quælibet sit tota in toto & tota in qualibet parte spatii divisibilis. Sed contra Conclusionem

Opponitur Authoritas Doctoris 2. X. d. 12. q. 2. D. ubi docet quòd materia separata à quantitate non maneret in loco, nisi definitivè & præsentialitèr sicut Angelus, ergò substantia materialis separata à quantitate non habet extensionem partium, nec in ordine ad se, nec in ordine ad locum: aliàs non esset tantùm definitivè in loco, prout esse docet Scotus. Quod confirmatur ex eodem: num 4. d. 10. q. 3. & quodl. 10. H. dicit solam quantitatem esse solam rationem fundamentalem essendi in loco circumscriptivè & dimensivè. Sed R. & dico quod Scotus per modum essendi in loco circumscriptivè intelligat impenetrabilitèr, qualis est circumscriptio, quam affert quantitas substantiæ: unde dum dicit materiam separatam à quantitate futuram in loco definitivè, per esse in loco definitivè aliud non vult, quàm esse tale, quod excludit circumscriptionem impenetrabilem, non verò prout excludit divisibilitatem & extensionem præsentiæ, & hoc erat necessarium, quia substantiæ materiali ratione suæ materialitatis repugnat ita in loco constitui, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte. Et per hoc respondeo etiam ad Confirmationem ab authoritate ejusdem Doctoris, scilicet solam quantitatem esse fundamentum & rationem fundamentalem essendi in loco circumscriptivè, circumscriptione impenetrabili nempe, non verò circumscriptione divisibilitatis: quia hujus fundamentum est corporeitas, quæ in substantiâ materiali quantitatem præcedit. Sed

Instatur: Ex eodem Doctore 4. d. 10. q. 1. M. ubi dicit: quòd præsentia divisibilis & situalis sit modus ipsius quantitatis, ergò substantia non poterit esse sic divisibilis de se, quia ut ipse dixi, nihil constituitur per id, quod alteri competit. R. dist. authoritatis antecedens. Præsentia divisibilis & situalis est modus quantitatis cum repugnantia penetrationis partium rei situatæ ad invicem, concedo ant. & id Doctorem asserere: est modus quantitatis, si præsentiâ divisibilis fiat sine repugnantia penetrationis, nego ant. & consequentiam. Quia hanc posteriorem præsentiam dicit Doctor, quòd etiam conveniat substantiæ materiali, prout contradistinguitur; sed ex ratione

Urgetur: In substantia materiali partes

tes integrales non possunt esse ex propria ratione divisibiles distinctæ & in confusæ, nisi ab aliquo accidente, ergò substantia ex se non habet partes extra se, sive in ordine ad locum, sive ad se: probatur ant. illæ partes deberent uniri penes extremitates, sed has non possunt habere à se ipsis, ergò: probatur mi. Extremitates sunt indivisibilia, ut linea, superficies, & puncta; sed linea superficies & puncta non reperiuntur in substantia materiali separata quantitate, ergò substantia materialis separatâ quantitate non habebit illam divisibilitatem, & consequentèr erit in loco circumscriptivè, sicut angelus, & non extensivè. R. dist. ant. nisi ab aliquo accidente absoluto, nego ant. nisi ab aliquo accidente respectivo, concedo ant. & nego consequentiam: & probationis minorem, cujus probationis ma. dist. Extremitates sunt indivisibilia, & punctum, linea, superficies, substantialia, concedo ma. accidentalia, nego ma. & dist. mi. sed substantia separata à quantitate non habet lineam, superficiem, substantiales, nego; accidentales concedo mi. Itaq; si illa indivisibilia admittuntur in quantitate, etiam debent admitti in substantia: punctum enim quantitatis debet subjectari in puncto substantiali, & linea quantitatis in linea substantiali.

Arguitur probando quòd non modò in aptitudinali extensione consistat ratio formalis quantitatis, quod prætendebat præcedens. Argutio, sed quòd requiratur actualis extensio. Quantitas in suo esse formali debet per talem rationem constitui, per quam distinguatur à substantia; sed nisi consisteret in actuali extensione non distingueretur à substantia, ergò debet formaliter constitui per actualem extensionem: probatur mi. Quia tunc poterunt sub extensione quantitativa pedes hominis in eodem puncto indivisibili cum cæteris membris, sed hoc etiam competit substantiæ, ergò nisi in tali extensione actuali consistat, non erit per quod distinguatur à substantia: patet minor, quia substantia quæcunq; separata potest esse, vel reduci ad punctum: probatur ma. Quia in Eucharistia pedes Christi Domini sunt in eodem puncto cum aliis membris, ergò: R. negando mi. ad cujus probationem respondeo dist. ma. Poterunt in extensione quantitativa pedes hominis esse in eodem puncto cum aliis membris, ita quòd habeant distantiam ad se, nego ma: ita quòd habeant etiam distantiam in ordine ad locum, concedo ma. similiter distinguo mi. sed hoc competit substantiæ eodem modo quo quantitati, nego mi. alio modo concedo. Itaq; licet possent membra humani corporis in puncto spatii compenetrare, ut modò contingit in Eucharistia cum corpore Christi, in tali tamen casu pedes non solùm sunt entitativè extra caput & alia membra in ordine ad se & ad totum, sed etiam sunt distantes in ordine ad locum ab aliis membris in actu primo & aptitudine, quatenùs suapte naturâ petunt loca dissita cum naturali repugnantia ad compenetrationem, quod non contingit de partibus substantiæ, adeoq; non est de formali ratione quantitatis, quod actualiter ponat partes substantiæ extra se invicem, sicut accidentis ratio non est actualiter inhærere, sed tantùm esse principium intrinsecum actualis inhærentiæ exigitivum: unde sicut DEUS salvâ essentiâ accidentis potest illud conservare sivè subjecto, sic illæsâ naturâ quantitatis potest actualem extensionem ab ea aufferre.

Instatur. Quantitas est forma & actus actualiter actuans, præbendo suum effectum formalem; sed effectus formalis quantitatis est extendere partes in ordine ad locum, ergò in actuali extensione ejus ratio consistet, & non in aptitudinali: sed R. distinguendo mi. est extendere rem in ordine ad locum actualitèr, nego mi. aptitudinalitèr concedo mi. Itaq; sicut quælibet alia forma actuando præbet suum effectum formalem subjecto, ita etiam quantitas, & cùm esse principium exigitivum extensionis localis impenetrabilis talem effectum actu communicat subjecto, & illud denominat actu exigitivum talis extensionis; actualis autem extensio est effectus aliquis secundarius.

Urgetur. Illud verè & intrinsecè aliquid constituit, sinè quo res, nec esse, nec concipi potest; sed quantitas, nec esse, nec concipi potest sinè extensione actuali, ergò: probatur mi. Non potest esse quantitas sinè figura recta, vel curva; sed figura nequit concipi, sinè actuali extensione, nec sinè ea esse, ergò nec quantitas. R. Negando mi. cujus probationis ma. dist. non potest esse quantitas sinè figura intrinseca & quidditativa, concedo ma. sinè figura extrinseca & situali, nego ma. similitèr distinguo mi. figura nequit concipi sinè actuali extensione intrinseca & quidditativa, nego mi. extrinseca & situali, concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; quantitas benè potest esse sine figura posteriori, non priori, quod demonstro ex Eucharistia in qua est corpus Chnisti sub speciebus, sine illa figura, quæ exigit extensionem situalem; quia est cum sola positione de genere quantitatis; accidentia verò è contra cum suo modo connaturali quantitativo, qualis est positio de genere situs.

Dico 5. *Ratio formalis quantitatis est connaturalis & immediata exigentia extensionis impenetrabilis in ordine ad locum eundem, quæ exigentia potest vocari radix impenetrabilitatis, seu* impenetrationis. Hæc est ultimæ sententiæ & in Scholis communior, quam etiã Baro conditionatè tenet, qui Apol. 5. Prædicant. Log. ait. 1. negat quantitatem esse distinctam à substantia, & consequentèr dicit act. 2. nullam esse rationem aliam quantitatis constitutivam inquirendam, quòd si tamen esset quantitas distincta à substantia, tunc dicit. n. 9. exigentia extensionis localis seu impenetrabilis esse rationem formalem, verùm tamen gratis ita conditionatè rem hanc determinat, imò nimium inconsequentèr ad priora negat quantitatem non esse distinctam à substantia: quia Apologia ante præd. seu prima de Prædicamentis asserit & hoc ex mente doctoris subtilis 5. Met. q. 6. ut ipsum in margine citat fol. 142. *prædicamenta jam posita probabilissimè distingui realiter ab invicem*, ita Apologia cit. & act. num. 6. interminis: sed inter prædicamenta jam posita prima sunt, substantia & quantitas, quomodo ergò consequentèr loqui-

XII. *Explicatur ratio formalis quantitatis.*

tur, quòd quantitas non sit distincta à substantia, cùm anteà dixerit omnia prædicamenta esse distincta realiter. Nec juvat, si Baro diceret, se in posteriori Apologia quodlibeticè disputare; nam is non censetur disputare sic, qui primò sententiam statuit aliquam, asserens eam esse de mente & in re Docteris, in cujus verbum juravit; imò quem se defendere gloriatur, & posteà conditionatè præpositâ positivè contrariâ opinione concludi, prout facit Baro, qui plus nimiò utitur libertatem audendo & dicendo ac si in his esset Liber Baro: sed ad rem progrediendo Probo conclusionem propositam primò tum ex refutatione aliarum sententiarum, tum ex eo, quia nulla alia facilior assignari potest.

Probatur secundò. Quandoquidem aliqua res non potest sufficienter demonstrari à priori, benè probatur & describitur ac definitur à posteriori, recurrendo nimirum ad effectum aliquem, qui non nisi ab illa re quæ definienda suscipitur oriri potest: sed videmus, quòd substantiæ materiales sint impenetrabiles, ergò videndum est, quod nam sit illud principium? subsumo: sed substantia materialis ipsa non est de se tale principium, ergò recurrendum est ad aliud: probatur ant. quia licet substantia petat extensionem localem, de se tamen non petit impenetrationem: consequentia etiam patet, nempè ad aliud principium esse recurrendum, sed aliud non potest melius assignari, quàm quantitas: probatur mi. quia illud, vel esset materia, vel forma, vel qualitas, neutrum horum est, ergò: probatur mi. quia non est materia & forma, quandoquidem se invicem in composito penetrant; nec qualitas: quia qualitates quoq; sunt ad se invicem & ad aliud penetrabiles.

Probatur tertiò. Illud benè statuitur alicujus essentia, à quò omnes proprietates emanant, sed ab exigentia extensionis impenetrabilis omnes proprietates quantitatis emanant: probatur mi. quia ab illa exigentia emanat impenetratio, secundo divisibilitas, mensurabilitas tam activè, quàm passivè; quia ex eo quòd habeat partes extensas impenetrabiles potest una applicari alteri, ut mensuretur & mensuret.

XIII. **Arguitur 1.** In contrarium: ideo secundum meam sententiam benè explicatur quantitatis essentia per impenetrabilitatem; quia impenetrabilitas est propriè passio: sed hæc ratio non sufficit ad explicandam quantitatis essentiam per impenetrabilitatem; major esse mea debet: probatur mi. quia extensio actualis, vel aptitudinalis, divisibilitas & mensurabilitas sunt tam benè passiones quantitatis, quàm impenetrabilitas, ergò hæc ratio non sufficit ut potius explicetur per impenetrabilitatem, quàm per aliquam aliam ex recensitis, & consequentèr malè statuitur pro ratione quantitatis exigentia impenetrabilitatis. Sed R. dist. ma. quia est propria passio quæcunque, nego ma. quia est propria passio prima & rationi formali constitutivæ immediatior & proximior, concedo ma. & distinctâ sic mi. nego consequentiam: ad probationem mi. dico distinguendo ant. sunt proprietates æq; proximæ, nego ant. remotiores, nego mi. & ob hanc rationem per impenetrabilitatis exigentiam potius explicatur ratio quantitatis, quàm per exigentiam aliarum. Sed

Instatur. Contra distinctionem ex data responsione. Ideo quantitas explicatur per impenetrabilitatem potius, quàm per alias quascunq; passiones, quia est omnibus proximior, sed impenetrabilitati etiam est alia ratio proximior, ergò per ipsam potius debebit explicari: probatur minor: ratio replendi & occupandi locum est prior quam sit ratio expellendi aliud ab eodem loco, ergò impenetrabilitati est aliquid priùs in quantitate: probatur ant. quia ideò una quantitas expellit aliam, quia occupat jam hunc locum, ergò priùs est occupare locum quam expellere aliud ab eodem propter impenetrabilitatem. R. conessà ma. negando mi. ad cujus probationem R. dist. ant. ratio replendi & occupandi locum est prior quàm sit ratio expellendi aliud in ratione generica, concedo: in ratione specifica, nego ant. & similitèr disting. consequens: est aliqua ratio prior prioritate communioris, seu universalioris, concedo, prioritate specifica, nego consequentiam: probationem ant. distinguo etiam ideo expellit, quia replet & occupat locum quomodocunq;, nego ant. quia replet & occupat impenetrabilitèr concedo ant. & nego absolutè consequentiam. Itaq; occupare locum est quidem prius quam expellere, quia se habet ad modum generis, utpotè cùm conveniat rebus tam quantitativis, quàm materialibus & spiritualibus; sed replere locum impenetrabilitèr tantùm competit quantitati, & aliis rebus ratione quantitatis, adeoq; repletio impenetrabilitèr est ratio specifica quantitatis; quare cùm explicatur alicujus rei natura, non debet explicare per prius quodcunq; genericum, alias deberet etiam homo explicari per animal, quia animal est prius rationalitate; sicut quodcunq; genericum dicitur esse prius suo specifico.

Urgetur. Ratio specifica nulli debet posse alteri competere, nec debet posse ab eo separari cujus est ratio specifica; sed impenetrabilitas potest tum competere alteri, tum ab ea separari, ergo: probatur mi. quoad 1. p. quia substantiæ partes connaturaliter se expellunt ab eodem loco, ergò competit alteri: probatur ant. quia si separetur quantitas à substantia, tunc partes illius exigerent naturalitèr esse extra se invicem tam in ordine adse, quàm in ordine ad locum, ergò: probatur etiam mi. principalis quoad alteram partem, quia quantitas corporis glorioſi est penetrabilis cum aliis corporibus quantis, ergò impenetrabilitas potest separari. R. negando mi. quoad utramque partem: cujus primæ probationis ant. dist. ratione sui, nego ant. ratione quantitatis concedo, ad probationem dico, illas partes substantiæ separatas à quantitate non petere naturalitèr extensas in ordine ad locum, prout naturale opponitur violento, seu prout opponitur super, vel prætèr naturali, sicut motus circularis igni in sua sphæra competit; quamvis naturalitèr petat moveri sursum: ad minoris quoad secundam part. prob. R. dist. etiam ant. Est penetra-

bilis

bilis naturalitèr, nego; super naturalitèr concedo ant. & nego consequentiam.

Replicatur. Impenetrabilitas est opposita penetrabilitati, ergò nec supernaturalitèr poterit esse penetrabilis R. dist. ant. Impenetrabilitas naturalis est oppositа penetrabilitati naturali, concedo ant. impenetrabilitas naturalis est oppositа penetrabilitati supernaturali, nego ant. & consequentiam, quod non est inconveniens, sicut nec inconveniens est quòd corpus habeat ineptitudinem naturalem ad essendum in multis locis, & habeat aptitudinem ad illa plura loca supernaturalitèr.

XIV. **Oppugnatur** Responsio: Non est paritas de corpore & de quantitatis impenetrabilitate, ergò: probatur ant. impenetrabilitas est proprietas quantitatis, ut ipse dixi, sed secundùm me proprietas, nec supernaturalitèr separari potest ab eo cujus est proprietas, ergò quantitas non poterit esse sinè impenetrabilitate. R. negando ant. cujus probationis mi. distinguo: proprietas non potest separari etiam divinitùs ab eo, cujus est proprietas quantum ad actum primum, concedo mi. quantum ad actum secundum, nego mi. & consequentiam. Itàque quando Deus facit duo corpora quanta se invicem penetrare non tollit proprietatem quantitatis in actu primo, sed tantùm in actu secundo; seu non tollit impenetrabilitatem, sed impenetrationem: sicut si Deus tolleret omnem risum ab homine, non per hoc tolleret risibilitatem.

Dices. Deus per suam omnipotentiam non potest facere brutum esse non irrationale in actu secundo, ergò Deus nec potest tollere actum secundum ab aliqua re. R. negando consequentiam. Quia quæcunq; per negativam explicantur simplicitèr, petunt utramque negationem, non verò positiva ut sufficientèr supra hanc difficultatem explicui agendo de substantia.

XV. **Pro Fine.** Quæstionis notà, quòd quantitas sic commodè ex dictis explicari posit: Quod sit forma quædam accidentalis absoluta, quæ superveniens substantiæ, quæ de se alioquin erat capax extensionis localis sinè repugnãtia ad compenetrationem, eam facit esse exigitivam extensionis impenetrabilis naturalitèr. Ex quo patet, quòd substantia non differat à quantitate per habere plures partes extensas, sed per habere tales partes, quæ ex sua natura sint incompassibiles.

QUÆSTIO II.

Utrum quantitas distinguatur à re quanta?

I. In hac quæstione litiguim est inter Nominales & Reales: nam Divus Thomas 3. p. q. 77. a. 2. & Scotus 4. d. 12. q. 2. & in 2. q. 9. d. 9. quos non modò utriusq; realis Scholæ sectatores, verùm etiam fermè omnes societatis Doctores testeOviedo sequũtur, asserunt quantitatem esse accidens distinctum à substantia, seu à re quanta, quib⁹ tamen subscribere non placuit Baroni, exiguâ in Magistrum & Doctorem suum reverentiâ, cùm tamen extranei authoritate eorum moveantur & trahantur, ut fatetur Oviedo controv. 3. Met. punct. his formalibus: His subscribo tanto authoritatis utriusq; Scholæ pondere tractus, nullaq; firmâ ratione pro sententia negante quantitatem super additam allectus. Et quamvis Baro dicat Magistrum suum fuisse problemativum, nihilque de terminasse, videtur mihi tamen hallucinari quasi verò nullus ante ipsum Commentator hanc animadvertisset indifferentiam ejus. Imò dum Scotus pro & contra asserit, per quantitatem non intelligit impenetrabilitatis exigitivam rationem, sed extensionem partium tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum. Quod si Nominales vellent & ipse Baro, nulla tenus moverem contra eos lapidem, sed ultra acquiescerem, quòd per talem extensionem quantitas non distinguatur à substantia. Occham itaq; 4. d. 4. quodlib. 4. q. 29. & in tract. de Eucharistia cap. 17. cum suis Nominalibus Aureolo, Capreolo, Gabriele, Arriaga, Barone tenet, quantitatem esse omnino indistinctam à substantia, sed materiam & omnes entitates corporeas tam substantiales quàm accidentales per se ipsas exigere extensionem & impenetrationem. Et licet in hac materia olim fuerim post professores meos problematicus, nunc tamen ad quæstionem resolutivè.

II. *Quantitas est realitèr distincta à substantia.*

Dico. *Quantitas est accidens realiter distinctum à substantia.* Ita Scholæ realium & Recentiorum communiter.

Probatur Conclusio primò

authoritate, & inprimis D. Augustini qui 5. Trinit. cap. 10. dicit: *In his quæ magnitudines participatione magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse: sicut magnus mons & magna domus Aliud est magnitudo, aliud ea quæ participatione magna sunt.* Tum Scoti supra, tum Philosophi 1. Physicorum t. 15. *Si substantia & quantum sunt duo sunt.*

Probatur Conclusio primò.

Supponendo in Eucharistia manere accidentia, & etiam quantitatem sinè substantia Panis, ut declarat Concilium Trident. sess. 13. Ab eodem principio habent substantia & qualitates suam impenetrabilitatem, sed illud à quo sunt qualitates impenetrabiles est, realitèr distinctum à substantia, ergò etiam realiter distinctum, à qualitatibus: probatur minor; quia in Eucharistia manent qualitates impenetrabilitèr extensæ, adeoq; manet principium impenetrabilitatis; sed ex majori idem est principium impenetrabilitatis in qualitatibus quod in substantia, & è contra: ergò si est realitèr distinctum à qualitatibus, erit etiam realitèr distinctum à substantia.

Probatur secundò:

Ad hominem, vel quantitas aliquomodo distinguitur à substantia, vel non; posterius non dicunt Nominales: nam licet negent quantitatem esse realitèr distinctam, asserunt tamen distingui ex natura rei, seu per connotata; si primum, sequeretur in Eucharistia non esse veram transsubstantiationem, sed hoc est contra fidem Catholicam, ergò: probatur sequela: Transsub-

ſtantiatio eſt converſio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſed talis converſio haberi non poſſet, ergò non eſſet transſubſtantiatio: probatur mi. quia eſſet converſio ſubſtantiæ & accidentis, ſed talis converſio eſſet transaccidentatio, & non transſubſtantiatio, ergò:

Probatur Concluſio tertiò.

In Euchariſtiæ accidentibus debet eſſe aliquod ſubjectum commune qualitatum, ſed nullum potiùs quàm quantitas, ergò erit quantitas diſtincta ab accidentibus qualitatum, & etiam ab ipſa ſubſtantia: probatur mi. quia qualitates non poſſunt ſe invicem ſubjectare, ergò: probatur ant. quia non eſſet major ratio de una ac de altera.

Probatur Concluſio quartò.

Secundum Nominales omnes entitates habent ſibi ſuam quantitatem realitèr identificatam, ergò quando accidentia diverſa eidem ſubjecto uniuntur, duæ quantitates ſe invicem naturaliter penetrant, & conſequentèr tot penetrationes erunt, quot erunt diverſa accidentia, & etiam materia penetrabitur cum forma.

III. **Dices:** Id non implicare, quòd duæ quantitates ſe invicem penetrent, maximè ſi ſint diverſæ ſpeciei, non verò ſi ſint ejuſdem ſpeciei: & hinc poteſt materia cum forma & omnibus ſuis accidentibus penetrari. Sed Contra: In qualitatibus intenſis, quarum gradus ſunt ejuſdem rationis inter ſe penetrantur in eadem parte ſubjecti, ergò non modò qualitates diverſæ, ſed etiam ejuſdem rationis ſe invicem penetrari poſſunt: probatur conſequentia; quia etiam in his gradibus non diſtinguitur quantitas ab entitate graduum conſtitutiva. Sed ad ſolutionem

Inſtabis. Iſti gradus ſunt omnes diverſæ ſpeciei, atq; adeò ſe invicem penetrare poſſunt. Sed Contra ſolutionem: Omnes iſti gradus ſunt individui, ergò ſunt ejuſdem ſpeciei: probatur conſeq. omnia individua ſunt ejuſdem ſpeciei, ergò etiam omnes iſti gradus: ant. probavi jam ſupra ſufficienter. Contra 2. Quandocunq; aliquid componitur ex rebus diverſarum ſpecierum, eſt aliquod totum per accidens: ſed ſi eſſent omnes illi gradus diverſæ ſpeciei, intenſio, verbi gratiâ, albedinis, vel caloris, eſſet compoſitum per accidens, quod eſt abſurdum, ergò:

Probatur Concluſio quintò.

Agens creatum non poteſt producere formam extra omne ſubjectum; ſed in ſpeciebus Euchariſticis nulla eſt qualitas quæ ibi non poſſet poni, vel deſtrui ab agente naturali, ergò ibi eſt aliquod commune ſubjectum omnium qualitatum aliud non, quàm quantitas: quia ſubſtantia ex fide ibi non eſt, ergò: ma. patet, quia alias creatura poſſet creare; nam creare aliud non eſt, quàm aliquid producere ex nihilo ſui & ſubjecti.

IV. **Dices:** Hoc argumentum æq; vel magis me & Scotiſtas premit, quàm Nominales. Nam agens naturale etiam remanente per me quantitate poteſt in hoſtiam conſecratam introducere formam ignis, ubi tamen nulla præſupponitur materia, ſed per me tantùm cùm producitur: ſed forma ſubſtantialis ignis eſt magis perfecta quam quæcunq; accidentalis, ergò poterit etiam abſq; creatione producere & inducere formam accidentalem abſq; eo quòd creet: vel dicendum quod in productione ignis etiam creet, quod tamen non admittet ullus Scotiſta. R. diſt. ma. quoad illam partem, ubi non præſupponitur materia tempore aliquo præcedente, concedo ma. ubi non præcedit materia in aliquo inſtanti naturæ, nego ma. & conſequentiam conceſsâ mi. Itaq; in tali caſu ut cum Scoto 4. d. 12. q. 6. n. 12. tenent Scotiſtæ, Deus tanquam cauſa prima ſupplens defectum cauſæ ſecundæ, dum ab agente naturali ponitur diſpoſitio prævia, naturaliter exigens formam ſubſtantialem, priùs ſaltem naturâ producit materiam, & ſat probabiliter etiam ipſam formam & totum compoſitum. Sed

Inſtabis. Si Scoto & Scotiſtis licet philoſophari ſic, & dicere Deum ſupplere ſubjecti defectum in productione formæ ſubſtantialis, & in productione ipſiusmet formæ, licebit quoque Nominalibus ſimiliter philoſophari, & conſequentèr dicere poterunt Deum ſimul naturâ cum qualitate, vel in aliquo priori producere ſubjectum qualitatis, vel totaliter ipſam qualitatem, & conſequentèr non creabit agens naturale in productione aliquarum formarum accidentalium: ſed reverſa nihil urget replica; quia inde ſequeretur, quòd quando quæcunq; minima alteratio fieret in Euchariſtia quòd ſtatim produceretur nova materia, vel nova ſubſtantia, adeoque deberet ſtatim deſinere eſſe ibi corpus Chriſti; vel ſaltem fieri novum miraculum: quòd duæ ſubſtantiæ quantæ ſint ſimul in eodem loco. Deinde non eſt neceſſè recurrere ad productionem novi ſubjecti, quoties producitur nova qualitas in Euchariſtia in ſententia mea; quia ibi manet quantitas, benè tamen quando producitur forma ſubſtantialis: nam ſecundùm fidem nullum ſubjectum præfuit in Euchariſtia, quod poſſet ſuſtentare formam ſubſtantialem, ſicut præeſt ſubjectum qualitatum: unde non eſt peritas, adeoq; nullum pondus quòd me, vel quemcunq; Scotiſtam, vel aliquid premeret. Sed contra Concluſionem

Arguitur directè. Omne illud, propter quod ponitur quantitas à ſubſtantia diſtincta poſſunt ſupplere reſpectus & relationes, ergò fruſtra aſſignatur & ponitur diſtincta: probatur ant. Quia ideò ponitur quantitas à ſubſtantia & qualitatibus diſtincta, ut eas reddat impenetrabiles; ſed hoc ſupplere poteſt reſpectus diſtantiæ, ſitûs & unionis partium, ergò omne illud ſupplere poſſunt reſpectus; propter quod ponitur quantitas diſtincta à ſubſtantia. Sed R. negando ant. cum probationis mi. Quia tales reſpectus nullo modo ſufficiunt: nam ſimiles etiam reperiuntur in ſubſtantia ſeparata à quantitate, qui tamen non reddunt partes ejus impenetrabiles, adeoq; ponenda eſt aliqua forma poſitiva abſoluta. V.

Inſtatur. Non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſsitate, ſed nulla eſt neceſsitas multiplicandi, vel ponendi aliquam formam abſolu-

tam

tam distinctam à substantia, per quam redditur impenetrabilis, ergò. R. dist. ma. non sunt multiplicanda entia sine necessitate simpliciter: concedo ma. secundùm quid, nego ma. & minorem. Necessitas autem manifesta est ipsa ocularis experientia, quâ videmus hostias consecratas esse extensas & impenenetrabiles, ex quo clarè & perspectè deducitur, quòd etiam ibi sit radix, seu forma illa propter quam sunt extensæ, & sic impenetrabiles.

Urgetur. In Eucharistia est miraculum, per quod fit, ut una hostia maneat extensa tàm benè, ac altera, & ut se penetrare non possunt, ergò non est signum, vel fundamentum sufficiens dicendi, quòd hoc proveniat ab aliqua forma absoluta ibi remanente. Sed R. negando ant. & retorqueo argumentum contra Nominales: secundùm vos non debent multiplicari entia sine necessitate, ergò nec debent multiplicari miracula absq; necessitate: sed nulla est necessitas multiplicandi miracula, quia possunt recurrere ad causas naturales, ergò. Et hæc responsio tantam vim habet ac ipsa Nominalium, & consequentèr si nullum aliud fundamentum assignare possunt, non subsistunt.

QUÆSTIO III.

De speciebus quantitatis.

1. *Absoluta resolutio quæstionis.*

Quæstio hæc apud Doctores procedit de speciebus quantitatis, ut est speciale accidens distinctum tum à substantia, tùm à reliquis omnibus accidentibus existentibus, non verò de possibilibus, aut talibus quæ substantiis identificarentur: nam tot alioquin assignari deberent species, quot esse possunt species rerum materialium possibiles. Itaq; Aristoteles in hoc capite divisit quantitatem primâ sui divisione *in continuam & directam*; continuam in *permanentem & successivam*, continuam in *lineam superficiem & corpus*; discretam verò in *numerum & orationem*, successivam in *motum & tempus*. Quantitas *continua* ex ipso Philosopho est, cujus partes copulantur termino communi, ut quantitas ligni ulnaris, aquæ urnalis, quarum partes omnes verâ unione reali Physicâ inter se uniuntur: *Discreta* è contra est cujus partes non copulantur termino aliquo communi, nec uniuntur inter se verâ aliqua unione, ut numerus ternarius trium hominum, qui numerus, prout ad propositum nostrum deseruit, duplex est: unus dicitur *transcendentalis* & est ille, prout communitèr Authores volunt, qui coalescit ex rebus non quantitativis & materialibus, ut numerus trium angelorum, trium animarum &c. dicituq; vulgo transcendentalis, quia non determinat sibi certum prædicamentum sed vagatur per res omnium prædicamentorum, ut substantiæ, qualitatis & relationum: Alius est numerus *prædicamentalis*, & est ille, qui conflatur ex rebus tantummodo quantitativis, ut numerus trium hominum, trium lapidum &c. *Permanens* est cujus partes possunt simul existere, ut quantitas unius ligni bipalmaris: *successiva* verò est cujus partes non possunt simul existere, sed ex suapte natura exigunt, ut una succedat alteri ut *tempus, motus*, de quibus quid sint, agam in Physica. *Linea* est quantitas unius dimensionis tantùm, scilicet longa, cujus partes copulantur punctis; unde dicitur longitudo sine latitudine & profunditate. Superficies est quantitas binæ dimensionis, scilicet longa & lata, cujus partes copulantur linea. Corpus denique dicitur quantitas trinæ dimensionis, scilicet longa, lata, & profunda, quod corpus mathematicum dici & vocari solet, ut & ipse D. Augustinus ad notavit cap. 10. Cate. dum dixit: *Quod tamen* (scilicet corpus) *non ita accipimus, quemadmodum solemus accipere naturale* nempe corpus nunc. Quod in quæstione hac quæritur est, quænam ex enumeratis sint veræ species quantitatis ut sic, ponibiles in hoc prædicamento? Circa quam materiam mira est Authorum & sententiarum diversitas: nam aliqui asserunt omnes enumeratas esse veras species quantitatis; alii verò è contra nullam præter solùm corpus, ut sentire videtur noster Baro. Communis sententia asserit, lineam, superficiem, & corpus, veras esse species quantitatis, & hanc tenent Scotistæ communitèr & Recentiores, ut Mastrius, Comptonius, Oviedo &c. Hanc sententiam etiam sequuntur Can. Soto, Toletus, Flandriæ, Villalpandus; sed addunt, locum etiam esse veram speciem quantitatis, Tartaretus verò Major. Zerb. Basolus faber addunt insuper motum & tempus, alii orationem. Doctor subtilis in hac materia est totus problematicus, unde ejus authoritate salvâ, quidcunq; aliquis voluerit amplecti licebit.

II. *Quantitas nullas habet species.*

Dico 1. *Accipiendo quantitatem univocè in eo rigore, quo eam definivi nullas habet sub se species, quæ propriè & directè in prædicamento collocari possunt præter corpus.* Hæc non habet patronum præter Authorem, sic eam proponentem viam monstrante ad eam Barone.

Probatur tamen primò. Nihil dicendum est species alicujus, quod non habet & convenit cum superiori in ratione generica, sed nulla alia potest cum quantitate in ratione generica convenire præter solam corpus, ergò solum corpus erit vera species quantitatis in eo rigore: probatur ma. quia nihil potest dici animal nisi rationem animalis, scilicet viventis & sensitivi participet, nec aliquid dicitur homo nisi habeat animalitatem & rationalitatem, ergò nihil dicendum est species alicujus nisi conveniat cum superiori in ratione superioris: probatur minor: Si essent aliquæ, quæ sic rationem communem participarent, maximè essent, vel numerus, tempus, & motus, vel linea & superficies, sed hæc non sunt, ergò: ma. est certa: probatur mi. nam inprimis non est numerus, quia est unum per accidens: ut autem directè ponatur in prædicamento debet esse per se, ergò, nec est motus & tempus, quia ista pro formali dicunt relationem, nihil autem relativi potest esse species alicujus absoluti, quia nullum relativum est alicujus absoluti constitutivum: probatur denique, quòd nec linea, nec superficies, de quibus tantùm in communi sententia est difficultas, quia ratio quantitatis prout eam definit, est exigentia extensionis localis impenetrabilis, sed linea & superficies non exigunt extensionem localem impenetrabilem, ergò

ergò non participant rationem communem quantitatis definitæ, & consequentèr non possunt esse veræ species quantitatis præter solum corpus, quod sic rationem quantitatis participat: probatur minor, quia quando applicantur duæ lineæ supra se invicem, vel duæ superficies in aliquo plano, illæ duæ lineæ se invicem penetrant, seu sunt secundùm indivisibilia in eodem loco, ergò se invicem penetrant.

III. Dices. Lineam & superficiem non se invicem penetrare, sed potius esse in eodem loco: adeoq; veræ erunt species quantitatis: sed Contra Ratio quantitatis est exigere ex naturâ suâ, non posse esse cum alio in eodem loco, sed necessario ab eodem loco aliud pellere, sed hoc est esse impenetrabile, ergò si species & lineæ verè sunt in eodem loco, verè se penetrant; aut si requiris ad penetrationem unius in aliud ingressionem, jam hoc ipso concedis, solum corpus sic posse non penetrari: quia connaturalitèr nullum aliud ingredi potest, ut cum eodem eundem habeat locum, & sic ipsum erit tantùm species quantitatis. Imò si quis super tabulam planam manum, vel aliquod aliud planum applicet, idque per tabulam suppositam trahat: tunc lineæ superpositæ manus, vel tabulæ ingredientur lineas tabulæ inferioris, & consequentèr se invicem penetrabunt.

Dices. Lineam & corpus se invicem penetrare secundùm eam rationem, secundùm quam sunt indivisibiles, non verò secundùm rationem, secundùm quam sunt divisibiles, sed Contra primò Ratio specifica & constitutiva quantitatis est ut de se undequaq; sit impenetrabilis; ergò quæcunq; non participant hanc rationem communem, non poterunt dici quod sint species quantitatis. Contra secundò: si quis acciperet lineam bipalmarem, & illam lineam complicaret, efficeretur tantùm longitudo palmaris, tunc eadem se linea penetraret secundùm rationem, secundùm quam esset divisibilis, ergò secundùm rationem quâ quanta est, ergò non erit vera species quantitatis; quia penetraretur: probatur ant. quia linea est divisibilis secundùm longitudinem, ergò.

IV. Probatur Conclusio secundò: Omne illud quod directè ponitur in aliquo prædicamento, debet esse quid completum, non ordinatum ad compositionem alterius: sed linea & superficies non sunt completa & ordinarentur ad aliud, ergò non possunt directè poni in prædicamento, & consequentèr non erunt quantitatis species: probatur hæc consequentia: quia quæ inprædicamento directè ponuntur debent esse genera, vel species, vel individua, sed genera non sunt, nec individua, ergò nec species: probatur minor principalis; quia linea ordinatur ad compositionem superficiei & superficies in ordine ad corpus, ergo. Confirmatur; quia si linea & superficies constituerent & essent species quantitatis, eâdem ratione posset esse punctum, sed hoc est inconveniens: probatur sequela, quia punctum tam benè concurrit ad compositionem lineæ, quàm linea ad compositionis corporis, ergò si linea, non obstante quòd sit incompleta, & pars corporis, potest esse species quantitatis, poterit etiam esse punctum.

V. Dices: Magnam esse disparitatem, quia punctum nullo modo participat rationem quantitatis, benè tamen linea & superficies, ergo: probatur; quia linea & superficies, licet non secundùm omnem rationem, saltem secundùm aliquam participant, sed Contra quælibet species debet totalitèr participare rationem generis, ergò si non totalitèr participant, non erunt veræ species. Contra secundò: hinc sequeretur quòd substantia participet rationem quantitatis, & sit ejus species sed &c. probatur sequela; quia substantia secundùm aliquam rationem participat quantitatem: quia petit extensionem partium in ordine ad se & in ordine ad locum, potest commensurari, & dividi, quæ etiam conveniunt & sunt propria quantitati, ergò si sufficit, ut dicetur aliqua species quòd participet secundùm aliquam rationem generis, etiam substantia poterit dici species quantitatis, Contra tertiò. Hinc posset dici, quòd planta sit species animalis; quia secundùm aliquam rationem participat rationem ejus.

VI. Probatur Conclusio tertiò. Si linea & superficies essent species quantitatis, sequeretur quòd nec corpus, prout de eo hic agitur, posset poni directè in prædicamento, sed hoc, suppositò, vel dato, tolleretur tota ratio prædicamenti hujus, quod est inconveniens, ergò linea & superficies non sunt species quantitatis: probatur sequela: ut aliquid ponatur directè in prædicamento, debet esse ens per se, sed quantitas non esset ens per se, ergò non posset poni in prædicamento: probatur mi. Illud non est ens per se, quod componitur ex rebus diversorum prædicamentorum, vel etiam ex rebus ejusdem prædicamenti, quarum utraque, vel una saltem sit completa, sed quantitas est ens compositum ex duabus aliis speciebus completis, ergò non posset poni directè in prædicamento, vel dicendum erit non esse completas: si sic, tunc etiam non erit linea & superficies species directè in hoc prædicamento collocabilis.

VII. Opponitur contra Conclusionem authoritas tum Scoti, tum Aristotelis hîc, qui differtè asserunt, lineam superficiem & corpus esse veras species, ergò directè est conclusio contra Scotum & Aristotelem; R. tam Scotum quàm Aristotelem in hac materia fuisse problematicos, quod patet ex eo, quia modò plures, modò pauciores, jam has, nunc illas, assignarunt species, & ideo sicut Communis sententia dicit, & Scotislæ simul quod dum dicit Scotus & Aristoteles numerum, tempus, vel motum esse species quantitatis, eos fuisse locutos famosè & ex sententia aliorum ad accommodationem vulgi, & meliorem intelligentiam: ita ego pariter dico, dum dixerunt superficiem & lineam esse species, hoc asseruisse famosè & non ex sententia propriaque mente, sed ex aliorum voluntate.

Sentus fol. hic proba mation.

Instatur. Id non posse dici, ergò gratis hoc affertur pro responso: probatur ant. Quia tam Scotus, quàm Philosophus quantitatem constituunt pro supremo genere, sed si non haberet plures species, & plura genera non posfit

sit dici supremum genus, ergò debet aliquas habere species, nullas potiùs quàm lineam, superficiem & corpus, ergò linea & superficies erunt veræ species, etiam ex mente Doctoris & Philosophi. R. negando ant. ad cujus probationem dico, quòd si ad supremum genus requiritur, quòd sint plures species, etiam requiritur, quòd sint plura genera; ergò debebunt plura assignari, quæ habeant rationem quantitatis præter species allegatas. Deinde R. negando mi. probationis absolutè, quia id gratis requiritur, quia non dicuntur genera suprema ex eo, quòd plura sub se habeant, sed ex eo quòd nullum supra se habeat in eodem genere, vel in eodem prædicamento: quia in ratione generis supremi non constituitur in ordine ad inferiora, sed per negationem ulterioris generis.

Urgetur. Nullum genus potest salvari in unicâ specie, ergò necessariò requiruntur plures: quia, si solum corpus esset species quantitatis, unicam tantùm haberet speciem R. dist. ant. genus prædicabile, concedo ant. genus prædicamentale, nego ant. Itaq; genus prædicabile consideratur secundùm prædicabilitatem de pluribus specie differentibus, & consequenter, vel actu, vel potentiâ plures species sunt necessariæ, genus verò prædicamentale consideratur tantùm secundum naturas rerum, ipsasmet in se, unde si aliquod genus plures habet species, benè prædicabitur de ipsis; sin minus, parum refert, quia id non requiritur fundamentum hujus & superioris responsionis; quære in Scoto I. d. 18. q. 3. n. 19. sed ut præteritum rigorem temperem

VIII. Limendo quantitatem naturæ accidentalis.

Dico 2. Sumendo quantitatem sine omnimodo rigore conditionum reponibilium in prædicamento & in vulgariori ac laxiori acceptione, per quandam analogiam, ad veram quantitatem, congruè dividitur quantitas ut sic, in continuam & discretam, hæc in numerum & orationem, continua in permanentem & successivam, successiva in tempus & motum, permanens in superficiem, lineam & corpus ac locum, & ista iterum in sua inferiora veluti in individua. Hanc etiam sic propositam nullibi reperi, estq; conjunctim paritèr firmo destituta patrocinio, æq; ac prior, divisim tamè plures habet Patronos & fautores. Ipsumque Aristotelem & Scotum, Phylosophum quidem 5. Met. l. 13. ubi enumerat quantitatis continuæ species, lineam, superficiem & corpus, & cap. de quant. addit locum; successivæ verò tempus & motum, discretæ verò ponit species, numerum & orationem. Doctor vero 1. Met. cap. 9. expressè hoc tenet de lineâ, superficie & corpore, in reliquis verò, ut anteà dixi, problematicus fuit, nam 1. d. 22. q. un. de similibus dicit: *Quod horum verum sit, aliàs videbitur.* Ad hanc Conclusionem sic proponendam signanter me movit authoritas Magni divi Augustini, quem, quia ob amplitudinem penetrandorum & intellectorum, in pravum nolui trahere consensum, quasi ex mente aliorum & non sua locutus fuisset, ideò eum sub hâc propositione causæ meæ Procuratorem constitui, unde etiam Conclusionem probo, autoritate ejusdem S. Patris. Et in primis quòd quantitas dividatur in continuam & discretam, expressè habet cap. 10. Categ. dicens: *Ipsius autem quanti, aliud est cohærens, aliud separatum. Cohærens est gramme, ephiphania, corpus, locus & tempus*; ubi per cohærens intelligit S. Pater continuam, per separatum discretam, per *gramme* lineam, quam dicit esse, *si quis omissâ latitudine solam longitudinem voluerit metiri*; Per *Epiphaniam* intelligitur superficies, de quâ S. Doctor sic ait: *Emensa verò cum longitudine latitudo, Epiphania dicitur*; de corpore verò dicit, eam esse dimensionem, si ultra longitudinem & latitudinem *altitudo fuerit sociata*; per altitudinẽ quid verò intelligat? explicat serm. 7. de verbis Apolog. cap. 2. *Altitudo* (dicens) *in linguâ latinâ utrumque significat. Et quod sursum versus est, altitudinis nomen habet & quod in profundum altum est, altitudinis nomen habet.* De quantitate discretâ, eodem capite, hæc habet: *separata verò sunt* (id est quanta) *numerus & oratio; quis enim non advertat propriis terminis unum separatum esse à duobus, duos a tribus? Et in oratione singulæ syllabæ separatæ sunt, naturâ enim & numero segregantur, cum alteram brevem, & alteram longam, & unam vel duas dicimus. Nimirum apparet, hæc quæ diximus & ad quantum pertinere & separata oportere nominari.* Quæ authoritates claræ sunt & nihil redolent, unde interpretari possent in D. Aurelium tenere ex mente aliorum, cum & ingenio & gratuitis insuper ultra modum excesserit & superaverit Philosophos quoscunque Gentiles, maximè cum ultra hoc mentem suam aperiat & asserat, etiam numerum animarum ad prædicamentum hoc reducendum lib. 6. Mus. cap. 17. & lib. de quant. ani. cap. 32. sic loquens; *De numero animarum nescio quid tibi respondeam? cititùs enim dixerim; non esse omninò quærendum, quàm vel numerum, vel multitudinem non pertinere ad quantitatem.*

Probatur Conclusio ratione. IX.

Primò, Generalitèr, si omnes prædictæ species secundùm rigorem quantitatis, reponibiliumq; in prædicamento non sunt veræ species, ergò erunt saltem tales in laxiori & vulgariori acceptione, cum omnes verè denominentur quantæ.

Probatur specialitèr prima pars,

de quantitate continuâ, & discretâ primò. Illæ sunt verè, species alicujus generis, de quibus genus in quid prædicari, potest tanquàm de specie differentibus, quantitas prædicatur sic de continuâ & discretâ; ergò erunt veræ species: probatur mi. quia si quæram de quolibet eorum sejunctim quid sit? respondebitur mihi, quod sit quantitas, ergò.

Probatur secundò. Illæ veræ species alicujus generis, quæ illius rationem genericam in se includunt & eam per varias differentias contrahunt, sed quantitas continua & discreta sunt tales, ergò: probatur mi. Ratio quantitatis est, habere partes extensivas, cum impenetrabilitatis exigentiâ, sed quantitas continua & discreta hoc habent, ergò includunt verè rationem communem genericam quantitatis: probatur mi. quia quantitas discreta est verè divisibilis & impenetrabilis, cum alio quocunque, sivè ejusdem, sivè diversæ speciei; probatur etiam, quòd hanc rationem per

diversas differentias contrahant, quia continua habet continuam partium extensionem; discreta verò discretam; continua est divisibilis in partes, quas actu in se continet, discreta est divisibilis in partes discretas, sed istæ sunt veræ differentiæ, ergò: probatur mi. quia in singulis variant rationem genericam quantitatis, sed quæ sic variant rationem genericam, sunt veræ differentiæ, ergò & illæ.

X. Dices: Ratio quantitatis, vel ad minimum ejus proprietas est, quòd possit dividi, sed quantitas discretas, seu numerus est actu divisus, ergò non participant rationem quantitatis. R. negando mi. quia numerus ternarius dividi potest in tres unitates, & licet ejus partes sint separatæ materialitèr, scilicet secundùm ipsas res, non sunt tamen divisæ in esse formali, numeri, verbi gratiâ, ternarii & hinc numerus ternarius non est divisus, sed est divisibilis.

Dices 2. Numerus ternarius ille pro formali debet subjectari in aliquo ex tribus illis entitatibus, sed hoc non potest fieri, ergò: probatur mi. quia non in omnibus, utpotè cum nullum accidens subjectetur in diversis subjectis, nec in aliquâ singularitèr, quia illa entitas singularis non est ternaria. R. dist. ant. non potest in ipsis subjectari inhæsivè transeat denominativè, nego ant. & consequentiam, undè numerus ternarius denominativè est in omnibus illis tribus entitatibus.

XI. Probatur eadem pars Conclusionis secundò. Numerus trium hominum, vel trium lapidum est vera realis entitas, ergò debet spectare ad aliquod prædicamentum, sed ad nullum aliud quàm quantitatem; ergò, si spectat ad quantitatem, erit vera ejus species: probatur subsumptum: omnia composita ex altero ejusdem prædicamenti, spectant ad idem prædicamentum, sed numerus trium hominum est rebus prædicamenti quantitatis; ergò spectabit ad hoc prædicamentum: probatur ma. omnes partes singularitèr positæ sunt in prædicamento substantiæ, sed si componantur confusione, non desinunt esse in prædicamento substantiæ, ergò composita ex rebus ejusdem prædicamenti, ad idem prædicamentum spectant.

XII. Dices: Partes aquæ licet concurrant ad compositionem totius aquæ, concurrunt tamen ad componendum aliquod totum per se, non sic autem duo homines, vel duo lapides quanti. Sed Contra: Ideæ duæ aquæ componunt unum per se; ergò etiam duo homines unum numerum per se, nam est eadem ratio; utpotè cum quælibet aqua sit æq; completa, ac quilibet homo, aut si duo homines faciunt unum per accidens formalitèr, etiam faciant duæ aquæ: & sic nec duæ aquæ confusæ possent poni in prædicamento, licet poterant ante confusionem. Ex hinc

XIII. Probatur Conclusio, quoad eandem partem tertiò. Si esset aliqua ratio, esset maximè, quia numerus trium hominum, vel trium lapidum esset compositum per accidens, sed hæc ratio nulla est, ergò: probatur mi. Illud est compositum per accidens, quorum neutrum se habet per modum actus & potentiæ; sed hoc hic non contingit, ergò: probatur mi. quia numerus prior, verbi gratiâ, binarius est, se habens per modum potentiæ & ternarius quicunq; sequens habet se per modum actus, ergò hoc hic non contingit, ut neutrum sit, quorum unum se habeat per modum actus & alterum per modum potentiæ.

Dices: Omnes numeri sunt specie distincti; ergò unus non potest se habere per modum actûs & potentiæ: probatur consequentia; quia nulla species una potest contineri in aliâ, ergò nulla potest habere rationem potentiæ. R. 1. negando consequentiam, cujus probationis ant. dist. non potest contines; in aliâ materialitèr nego, formalitèr concedo. Itaque numerus minor non continetur in majori pro formali, sed tantùm pro materiali, in quantum habet tales unitates in numero; unde dixit Aristoteles: sex non esse bis tria, sed semel sex R. 2. negando consequentiam, cujus probat. ant. iterum distinguo: nulla species potest contineri in aliâ, ita eadem maneat, concedo ant. ut prior esse desinat, nego: R. tertiò. Hoc ipsum solvendum esse communi sententiâ, quæ dicit, quòd linea, superficies & corpus sint species quantitatis, cum tamen linea & superficies contineantur in corpore. XIV.

Probatur quartò. Illud quod est unum per accidens, definiri non potest, nec potest habere de eo scientia, sed de numero habetur scientia, scilicet arithmetica; ergò non est unum per accidens. XV.

Dices: Esse de numero tantùm scientiam minus rigorosam, non verò propriè dictam; sed Contra, Aristoteles divisit scientiam realem propriè dictam in Physicam, Metaphysicam & Mathematicam; ergò potest haberi de eo vera & rigorosa scientia: probatur consequentia; quia Mathematicæ propria species est Arithmetica, ergò si Mathematica est propriè scientia, erit etiam Arithmetica, quia nunquam species sunt imperfectiores suo genere, imò semper perfectiores, quia ultra rationem genericam contractam habent superadditam adhuc differentiam contrahentem. XVI.

Dices 2. Numerum tantùm pro formali definiri, sed de rebus pro formali definitis non potest haberi scientia, ergò nec de numero: probatur mi. quia pro formali dicunt numeri ens rationis, ergò non potest de illis haberi scientia. Sed R. negando mi. quia de naturâ communi de individuis pro formali definitis habetur scientia; item de sacramentis: nam sacramenta etiam pro formali tantùm definiri possunt, quia pro materiali sunt entia per accidens, ut patet, quia constant ex diversis rebus diversorum prædicamentorum, nam potiora conficiuntur per verba tanquam per formam, & per res tanquam materia, & tamen nullus dicit, quòd non possit definiri, nec refert, quòd Scotus in 4. d. 1. q. 2. n. 6. & 7. dicat: sacramenta pro formali dicere aliquid rationis in quo fundatur: probatio minoris: quia per ly rationis non intelligit ens rationis fictitium, sed aliquid intentionale, aut si diceret de essentiâ rationis, intelligendus esset de ente rationis fundamentalitèr

damentalitèr & impropriè. Et quamvis dicatur numerus, habere esse, per intellectum hoc non probat, quòd non habeat etiam aliam rationem, quæ est ordo & connexio rerum ad numerum.

XVI. Probatur Conclusio quoad eam partem, quod permanens benè dividatur in lineam, superficiem, corpus & locum. Et quantum ad tres priores species tenet communis sententia, cum quâ sic probo: Quia habent & participant rationem communem quantitatis cum differentiis essentialitèr diversis, ergò sunt veræ species quantitatis: probatur ant. quoad primam partem, quia sunt divisibiles suo modo, nam linea dividitur in puncta, superficies in lineas, & corpus in lineas & superficies, sunt etiam impenetrabiles, quia nulla earum potest reduci ad indivisibile, ita ut connaturalitèr non exigeret extensionem localem cum impenetrabilitate, ergò participant rationem quantitatis, probatur etiam, quòd habeant differentias essentialitèr diversas, nam linea solam exigit extensionem longitudinis, superficies longitudinis & latitudinis, corpus verò extensionem, non modò secundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem, sed hæ sunt essentialitèr diversæ differentiæ, ergò; probatur: sunt essentialitèr diversæ differentiæ animarum, quòd una sit tantùm vegetativa, altera vegetativa simul & sensitiva, tertiò verò ultra vegetativam & sensitivam, est etiam rationalis, ergò etiam sunt diversæ specie differentiæ, esse tantùm longum, esse longum & latum simul, & insuper esse longum latum & etiam profundum ab omnimoda paritate.

XVII. Dices: Disparitatem esse, quia illæ tres animæ inveniuntur in diversis subjectis, non sic autem superficies & linea extra corpus & consequentèr, si in corpore continentur, constituent tantùm unam speciem, sicut anima rationalis, licet dicatur vegetativa, sensitiva & rationalis, non dicitur esse tres animas, ergò: probatur ant. quia nullum est ens materiale corporeum defactò tàm subtile, ut solam haberet longitudinem, vel solam longitudinem simul & latitudinem, nam ut cum Di. Augustino loquar lib. de quant. ani. cap. 6. instruens Adeodatum filium, sic inquit: *Enitere cogitare longitudinem, quæ adhuc nullam latitudinem assumpserit.* Et respondet Adeodatus: *Nihil possum tale cogitare, si enim filum araneæ constituero in animo, quo nihil exilius solemus videre, occurrit mihi etiam in eo & longitudo per se, & latitudo & altitudo: quæ quales q; sint, negare tamen non possum.* R. hanc replicam probare multum priorem Conclusionem, pro defendenda tam ista R. brevitèr parùm referre, utrum istæ tres species inveniantur in diversis subjectis, nec ne? ex hoc tamen non concludi posse, quod non sint diversæ species, sufficit enim, quòd fortè sint debiles sine corpore per divinam potentiam, atq; adeò dici possent diversæ speciei, quia certùm est, quòd si esset aliquod ens, quod solùm haberet longitudinem, specie differret à corpore, & sic etiam dicito de superficie, sicut Astronomi multa defactò demonstrant, de linea æquinoctiali meridionali, non quòd sint in cœlo, sed quod si essent, hanc & hanc operationem, munus & officium haberent.

Probatur etiam de loco: tum XVIII. quia Aristoteles sic tenuit, tum quia omnes affectiones quantitatis eidem conveniunt, nam dicitur magnus, parvus, extensus, commensurabilis, divisibilis, sed cuicunq; conveniunt prædicata alicujus, illud censendum est species ejus, si non univoca, saltem æquivoca, sicut etiã in sententia communiori Scotistarũ, creatura & Deus sunt entia æquivocè, accidens comparatum ad substantiam, ens rationis ad verum ens, ergò locus poterit dici vera species quantitatis, licet æquivoca, quia plus non requiro in Conclusione, nec dico esse univocè quantitatem, sed tantum propter analogiam.

Dices: Locum esse quidem quantitatem, XIX. sed non distinctum à superficie, ut aliquid autem sit species, etiam æquivocè debet esse distinctum ab alio, quod est species univocè, ergò: R. negando ant. quia potest aliquid in loco, seu spatio aut præsentia, de quo modo non curo, an distinguatur, sumo, prout mihi idem significent, potest inquam, aliquid esse verè absq; eo, quod sit sub superficie, sed tunc posset dici in loco, seu ad minùs in præsentia & spatio, ergò potest esse locus distinctus à superficie: probatur ma. quia potest, vel potuisset Deus creasse, ante mundi constitutionem, solem, vel hominem, sed tunc sol, vel homo nõ fuissent nullibi, sed fuissent alicubi, ergò fuissent in loco, in eo casu autem nullam habuissent superficiem, ergò potest esse locus sine superficie.

Instabis: Locum, quomodocunque consideretur, spectare ad prædicamentum ubi, non verò ad prædicamentum quantitatis. R. Licet verum sit, locum ad prædicamentum ubi spectare, hinc tamen non sequi, quò minùs possit etiam ad prædicamentum quantitatis pertinere, sicut habitus spectat ad prædicamentum substantiæ & etiam ad prædicamentum ultimum, seu habere.

Urgebis: Prædicamenta sunt realitèr distincta, ergò idem non potest pertinere ad diversa prædicamenta. R. dist. consequens non potest idem ad diversa prædicamenta pertinere, secundùm eandem rationem & eodem modo, concedo consequentiam. Secundùm diversam rationem diversumque modum, nego consequentiam. Itaq; Locus in quantùm dicitur rem continere, pertinet ad prædicamentum ubi, in quantùm verò quantitatis rationes, scilicet, magnitudinis, parvitatis, extensionis, mensurabilitatis participat, pertinet ad quantitatem, ad unum essentialitèr, ad alterum denominativè & analogicè.

Similitèr potest etiam probari conclusio quoad tempus motum, nempè quia sunt extensa, quanta, mensurabilia, tarda, velocia &c. quæ de quantitate dici possunt, ergò verè dicuntur participare rationem quantitatis, nec contra hoc aliquid occurrit, quod habere specialem difficultatem præter eas, quas jam supra tetigi; unde dum dicunt, ea esse formalitèr motum, R. secundùm aliam tamen de-

nominativè dici posse quanta, nec ulterius potest aliquid urgeri, quia non statur, quod sint veræ & propriæ dictæ quantitates, sed analogicè & denominativè; & hoc notato quælibet objectio per istud solvi potest.

QUÆSTIO IV.

De Proprietatibus Quantitatis.

I. *Prima proprietas est non habere contrarium.*

Aristoteles tum hic, tum alibi plures assignat quantitatis proprietates, quarum aliquæ etiam conveniunt substantiæ, aliæ verò sunt quantitati tantummodo propriæ, quæ etiam substantiæ competunt sunt duæ, nempe *quòd non habeat contrarium*, intellige de contrarietate propriè dicta, prout explicui agendo de proprietatibus substantiæ: hinc licet una quantitas expellit aliam à suo loco, non expellit tamen aliam à subjecto; unde quòd duæ quantitates, verbi gratiâ, duarum ulnarum non possint esse etiam in eodem subjecto, hoc non provenit, quod sibi contrarientur, sed ex eo, quia ipsa subjecta sunt in capacia ad recipiendas duas quantitates, non verò ratione ipsarum quantitatum contingit talis expulsio. Imò potest intelligi etiam, quòd non habeat contrarium, id est quod, nec substantiæ, nec qualitati ipsa opponatur, nec illa quantitati.

II. *Secunda non suscipere magis & minùs.*

Secunda proprietas quæ etiam est substantiæ communis *non suscipere magis & minùs*, id est quòd non possit intendi; non verò, quòd non queat extendi, quia videmus, quòd una quantitas sit major quam altera, ut patet de quantitate palmari & ulna &c. Intensio autem quantitati nihil omninò confert: nam quilibet gradus & quælibet pars reddit suum effectum formalem quem præstarent, si septem, vel octo essent in eodem subjecto, quia quælibet pars faceret subjectum esse extensum in ordine ad se, & ad locum impenetrabilitèr.

III. *Tertia esse divisibile in partes integrales.*

Tertia proprietas quantitatis eiq; soli propria & conveniens: *Est esse divisibile in partes integrales*, quia dividi in partes essentiales verè etiam competit substantiæ: divisio autem in partes integrales potest esse duplex: prima dicit solam partium distinctionem & separabilitatem entitativam; & hæc non est propria quanto modo quantitati, ut patet ex dictis, cum substantia etiam habeat talem divisibilitatem: Altera verò soli quantitati in quarto modo competens est, quando una pars separatur ab alia propter incompossibilitatem ad invicem, & fit interveniente instrumento corporeo per cessionem unius quanti alteri quanto quod ejus petit occupare locum. Et hæc proprietas competit omni quantitati, maximè continuæ, quia licet ab agente naturali cœli non sint divisibiles; nihil òminus à principio intrinseco competit ipsis sic dividi posse: quare, notanter dicitur divisibilitas non divisio, nec tamen actualis divisio quæ reperitur in quantitate discreta totalitèr & absolutè excluditur; quia quamvis partes materiales jam divisæ sint, numerus semper est divisibilis in plures unitates; vel dici potest quòd non sit necesse intelligere, quasi sola divisibilitas sit proprietas; sed divisio, vel divisibilitas, sicut dixi de prædicatione differentiæ non modò pluribus numero sed etiam specie differentibus.

IV. *Quarta esse commensurativè in loco.*

Quarta proprietas quantitatis est, *esse in loco commensurativè*, seu esse aptitudinem, ut aliquid actualitèr, vel aptitudinalitèr possit mensurari, seu activè, seu passivè, secundùm rationem formalem quantitatis, seu secundùm quantitatem molis. Et hæc proprietas, si intelligatur secundùm præcisam rationem quantitatis molis vera erit proprietas, si verò intelligatur pro omni eo quod deducere, vel deduci potest in cognitionem alicujus, non erit proprietas quantitatis simpliciter in se, sed secundùm nos seu secundùm id, quod nos pro præsenti statu possumus aliquid mensurare prout supra de mensura quantitatis, in quæ cum dixerim, quod ratio quantitas non consistat vix negari potest quin sit ad minus proprietas.

V. *Quinta esse æquale, vel inæquale.*

Quinta proprietas, quam Aristoteles maximè propriam vocat quantitati, est *esse æquale, vel inæquale*. Intellige tamen hanc æqualitatem & inæqualitatem quam habent res aliquæ in ordine ad occupandum locum secundùm extensionem partium æqualem & inæqualem in loco impenetrabilitèr, quia alioquin & qualitates, & substantiæ dici possent æquales & inæquales; substantiæ quidem in perfectione & extensione, sicut est, verbi gratiâ, Angelus & materia prima; qualitates verò secundùm perfectionem & intensionem æquales esse possunt, calor enim ut 6. perfectior est extensivè calore ut tertia, & perfectior est calor entitate quàm sit humiditas, &c. Non est tamen necesse ut illa æqualitas, vel inæqualitas sit actualis: sufficit etenim aptitudinalis; hinc si unica tantùm esset quantitas à parte rei, verbi gratiâ, unica linea, hæc esset adhuc æqualis & inæqualis aptitudine, licet non actu. Hæc proprietas quoq; frequenter intelligitur de quantitatibus ejusdem speciei, verbi gratiâ, de duabus lineis, duabus superficiebus, & duobus corporibus. Per datam explicationem nonnullæ quæstiunculæ benè solvi possunt, quas movent Conimb. hic q. 3. a. 1. & prima est. An æqualitas & inæqualitas competat quantitati ut sic, ut est supremum genus? Ad quod Respondetur negativè: sed quantitatibus in particulari & hoc ipsum secundùm suas partes integrales. Secundo an quantitas infinita posset esse æqualis, vel inæqualis? ad quod dicitur affirmativè, quia est apta nata commensurari alteri infinitæ, & sic æqualis ipsi aptitudine; deinde defactò esset inæqualis cuilibet finitæ. Tertio, an duo pondera sint æqualia vel inæqualia ratione quantitatis? Ad quod etiam affirmativè: ratio est, quia substantia de se non est æqualis, vel inæqualis secundùm extensionem partium impenetrabilitèr nisi ratione quantitatis. Denique notandum, quòd æqualitas & inæqualitas non sint proprietas quantitatis, si sumantur formaliter, scilicet pro relatione convenientiæ & disconvenientiæ in eadem quantitate, aliquorum duorum, sed si accipiatur fundamentaliter pro aptitudine, quæ est apta fundare illas relationes, in quantum scilicet est ratio qua sibi

æquales

æquales vel inæquales dici possunt. De relatione autem, quam æqualitas & inæqualitas important pro formali quæritur. An sint reales vel rationis? Ad quod R. cum distinctione: si ad relationem propriè dictam requiritur, quòd extrema necessaria existant sicut requiritur, tunc sunt reales quæ intercedunt, inter duas quantitates, quæ aparte rei sunt, ut inter duas quantitates palmares; sunt autem rationis, quando neutrum vel alterutrum extremum non est existens, & hæ ordinariè intercedunt inquantitates successivas motus & temporis, verbi gratiâ, in motu circulari primi mobilis, vel solis ab oriente in occidentem, & è contra: in quo constituitur duratio, quæ dicitur, hic annus est æqualis cum motu circulari præteriti anni; & inæqualis cum motu per unum tantum Zodiaci signum. Et quamvis Aristoteles hanc proprietatem vocaverit maximè propriam, quia universalitèr tam quantitati continuæ, quàm discretæ permanenti & successivè competit; Attamen proprietas quantitatis continuæ per manentis intimior & proximior est.

VI. *Sexta est esse Impenetrabile.*

Proprietas sexta est, scilicet esse *impenetrabile*, quia per hanc ipsam quantitatis rationem formalem explicavi, ad quam sequuntur omnes aliæ: nam esse divisibile mensurabile &c. præsupponunt extensionem localem impenetrabilitèr, unde ad eam sequitur, figura, & ubicabilitas. Figura enim exultat ex ordine quam partes dicunt ad se invicem situatæ in aliquo, & hanc vocat Scotus positionem de genere situs, unde data penetratione non manet figura, prout contingit cum corpore Christi in Eucharistia, in quo non est positio extrinseca de genere situs; benè tamen intrinseca seu ratio exigitiva extensionis localis cum impenetrabilitate. Fundatur etiam ubicabilitas circumscriptiva quæ corporibus competit, ratione quantitatis, unde vocatur etiam ratio essendi in loco circumscriptivè, sub intellige cum impenetrabilitate, quia esse in loco circumscriptivè, prout dicit solam locabilitatem divisibilem corporibus per se competit, & ratio corporis de se est prior ratione quantitatis.

DISPUTATIO V.

DE QUALITATE.

Aiunt plures Authores de relatione ante qualitatem, sequentes Aristotelem, qui etiam in Logica qualitati relationem præmisit: attamen quinto Metaphysices exactionem servans ordinem, contrarium fecit, & immediatè post quantitatem egit de qualitate; sunt etenim semper cogitationes posteriores sapientiores prioribus. Et hoc valde congruo procedendi ordine. Nam minus regulate inter relativa immiscitur qualitas quæ de genere accidentium perfectissimum est: gratis suis verò sub uno grege educuntur absoluta & sub alio relativa. Quære sit.

QUÆSTIO I.

Quid sit qualitas hujus Prædicamenti?

I. *Triplicitèr sumitur qualitas.*

Notandum quòd qualitas post Aristotelem triplicitèr sumi possit: primò laxissimè, ita ut comprehendat omnes formas tam accidentales quàm substantiales, quæ possunt aliquod subjectum denominare quale, & hinc dicitur quòd differentia sit prædicabilis in quale quid: quia ad quæstionem illam respondetur per modum adjacentis & accidentis, ut qualis est homo, est rationalis. Secundò modo potest accipi pro omnibus omnino accidentibus sive absolutis seu respectivis quæ omnes prædicantur absolutè in quale contingenter, ut patet tum ex dictis, tum per singula discurrendo; verùm tamen in his acceptionibus non est ad nostrum propositum, prout autem de qualitate hic agitur, sumitur pro aliquo particulari accidentali forma absoluta, quæ hoc prædicamentum constituit, quæ forma quidnam sit explicatu est difficilimum: tot etenim circumferuntur definitiones quasi, quot sunt definitores & authores qui de hac rescripserunt. Aristoteles eam descripsit, quod sit illud, qua quales esse dicimur & per quam respondemus ad quæstionem, qualis res sit, quæ descriptio ordinariè ab omnibus reiicitur; quia regulis bonæ definitionis & descriptionis caret; quia definitio est æque ignota ac definitum, quia esse qualem est esse affectum qualitate; ergò esse qualem, non est notius quàm ipse qualitas; cùm aliud non sit quàm qualitate affectum esse, sicut non benè explicaret quis quantitatem per hoc, quòd diceret: est illa ratio qua quanti dicimur, aut albedinem esse eam formam quâ albi dicimur. Scotus de hac re ex professo non egit. D. Thomas dicit qualitatem esse dispositionem substantiæ, vel modum accidentalem substantiæ; verùmtamen insufficienter; quia quantitas est etiam dispositio substantiæ, & ubi, ac approximatio sunt modi accidentales substantiæ, quæ tamen non sunt qualitates. Hurtadus definit qualitatem esse accidens absolutum, non quantum: verùm tamen hæc definitio potius explicat, quid qualitas non sit, quàm quid sit; deinde non assignat sufficientem rationem specificam, quæ quietaret intellectum meum & deduceret me incognitionem ignoti. Iterum eodem modo potest etiam definiri quantitas, quòd accidens absolutum non quale, per quam definitionem non explicaretur tamen ratio formalis quantitatis, imò non tantùm quantitas, sed etiam alia accidentia respectiva, si possent definiri. Mastrius & Bellutus dicunt, quod qualitas sit accidens absolutum, ratione cujus subjectum qualificatum potest intendi & remitti: sed non explicant rationem universalem qualitatis, quia multæ dantur qualitates, quæ non possunt intendi & remitti, ut sunt intellectiones & volitiones, spe-

cies intelligibiles, character baptis malis, deindè hæc est tantùm proprietas subsequens qualitatem, ergò non potest per intensionem & remissionem congruè definiri, alioquin non esset ratio, cur non potiùs definiretur per habere contrarium, quod æque convenit qualitati ac posse intendi & remitti. Denió; si per possibile & impossibile qualitas non posset intendi vel remitti, adhuc tamen posset verè esse qualitas, alii aliter opinantur, ut faciliùs esset, omnes refutare, quàm aliquam adæquatam assignare, quare omissis pluribus aliis, unam proponam, quæ licet adæquata non fuerit, erit tamen qualitatis sufficientèr explicativa, unde supponendo quòd quantitas sit accidens absolutum, impenetrabile à substantiâ distinctum.

II. *Describitur qualitas.*

Dico 1. *Qualitas est accidens absolutum, penetrabile subjectum alterans illudquè benè vel malè afficiens.* Hæc quoad 1. p. est Pontii, quoad secundam Baronis, quoad tertiam P. Comptoni. Probatur Conclusio. Quia omnibus & solis qualitatibus competit & distinguitur ab omnibus aliis quæ non sunt qualitates, nam per ly accidens distinguitur à substantia, per absolutum, cum quantitate quidem convenit & differt à relativis. Per particulam verò penetrabile à quantitate secernitur quæ est formale principium extensionis localis impenetrabilis, per reliquas particulas explicantur effectus formalis ipsius qualitatis, quia quæcunq; qualitas subjecto advenit, illud alterat, & idem aliquid boni, vel mali confert, nam nulla est qualitas, sive materialis, sive spiritualis, quæ non aliquid boni Physici vel moralis, verbi gratiâ: sanctitatem, potentiam ad agendum ornatum ut characteres, vel mali, id est aliquid disconvenientis subjecto adferat, ut est calor respectu aquæ, dolor respectu animalis &c.

III.

Dices: Per particulam alterans, satis explicari rationem qualitatis, ergò superfluit posterior scilicet benè vel malè afficiens subjectum. R. negando ant. quia alteratio etiam sit inter formas accidentales & ad respectivas, adeoq; non esset ratio sufficientèr distinguens illam & à substantia & à relatione, patet ant. quia subjectum alteratum per locum situm, habitum, actionem, passionem. De

Instabis. Illas alterationes non esse propriè dictas, ergò sola qualitas describitur benè per alterationem, patet ant. quia accipitur tunc pro mutatione subjecti ad quamcumq; formam. Sed Contra: licet alterationes propriè dictæ non sint, per illam tamen particulam solam, etsi significaret alterationem propriè dictam, non exprimitur ratio formalis constitutiva qualitatis ut sic, quia dantur multæ qualitates, quæ tamen subjectum propriè dictâ alteratione non alterant, nam propria dicta alteratio est mutatio successiva ad qualitatem sensibilem contrariam, vel mediam, sed multæ qualitates tali alteratione non alterant, ergò si alterant, sufficit alteratio etiam impropriè dicta: probatur minor, quia gratia, character, &c. sunt qualitates, sed ad illas non est mutatio successiva nec etiam sunt sensibiles, ergò. Deinde etiam plures qualitates sensibiles non sic alterant subjectum, ut patet de iis omnibus, quæ suas naturas necessariò consequuntur, ut lux solem &c. Imò propter has instantias posui & addidi particulam benè, vel malè afficiens subjectum, quia vidi, quòd sola particula ista non sufficeret, addidi alterans, propter formas indifferentes, quæ videntur, nec benè, nec malè afficere subjectum, quia nec sunt propriè convenientes, nec disconvenientes, & tales formæ sunt omnes habitus causati ab actibus indifferentibus, & ipsæ dispositiones, tum etiam quæcunq; naturales, quæ nec petunt esse in subjecto aliquo nec, recusant.

Dices: Etiam contra particulam penetrabile, Albedo & nigredo sunt veræ qualitates, sed istæ non possunt se invicem penetrare, ergò malè additur penetrabile. R. dist. minorem: non possunt se invicem penetrare, quâ qualitates sunt præcisè: nego mi. quâ tales qualitates sunt in particulari, quæ ex ratione sua specifica dicunt repugnantiam: concedo mi. & nego consequentiam. Albedo ergò & nigredo non habent hoc ex generica ratione qualitatis, alioquin deberent etiam hoc haberet dulcedo & albedo, quæ tamen ut experientia docet, sunt compatibiles in eodem subjecto, ut patet de lacte & saccharo.

Instabis. Quantitas una potest etiam penetrari cum alia, ergò per hoc non distinguitur. R. dist. ant. naturalitèr nego, supernaturalitèr concedo ant. ergò non distinguitur qualitas à quantitate per penetrabile supernaturalitèr secundum actum, transeat consequentia secundum exigentiam connaturalem, nego consequentiam, quia connaturalitèr exigit quantitas non penetrari & qualitas penetrari.

IV. *Definitio Aristotelis potest dari bona.*

Dico 2. *Definitio qualitatis à Philosopho data potest aliqualiter defendi, quòd sit bona.* Hæc videtur convenire cum Complut. reverà tamen non convenit, quia non dicit eam absolutè bonam esse, quasi concretum esset notius suo abstracto, ut volunt Complutenses; sed alioquin posse inveniri modum, secundum quem sustineri possit, moveor ad hoc asserendum authoritate D. Augustini cap. 12. Categ. ubi sic ait: *Nunc de qualitate tractemus, secundum ea quæ sunt, qualia dicuntur.* Et postquam multa de qualitate & quali differuisset, asseverando ab aliquibus pro eodem sumi consuevisse, tandem concludit sic: *propterea{q} etiam nos eundem* (Aristotelem) *secuti, similia senserimus*; quia ergò magnus Ecclesiæ Doctor Aristotelem tanti fecit & esse definitionem amplecti voluerit, & in tradita doctrina de qualitatibus sequi; ideò paritèr puto & concludo, posse eam aliquomodo defendi tanquam bonam. Quare nunc:

Modum declaro & probo, primò Conclusionem: Ideò definitio data bona non esset, quia ly quale esset æq; ignotum ac ipsa qualitas, sed hoc non improbat bonitatem ejus, ergò: probatur mi. quia major est certa, benè definitur genus per speciem, & species per genus, sed unum est tantum ignotum quàm alterum, ergò non obstante, quòd sit æq; ignotum quale, quàm qualitas, definitio erit bona. Si dicas, ut communitèr dici solet in illis definitioni-

tionibus, genus quidèm non esse notius, quàm species ex naturâ suâ, benè tamen ex suppositione, tunc ego sic instò incontra: quale non est notius ex naturâ suâ quàm qualitas, benè tamen ex suppositione; ergò, si illa definitio speciei bona est, quia supponitur esse, jam notum quid sit à pari, poterit definitionem qualitatis bonam esse, quia, præsupponitur jam notum, quid sit esse quale. Instò secundò: Genus nec quidem ex suppositione potius esse notius quàm species, ergò eadem est utrobiq; ratio: probatur ant. quia si genus ex aliquâ suppositione esset, notius esset: quia jam anteà fuit definitum; sed hoc non est, ergò: probatur definitio prior, non poterat rem genus notum, quia etiam definitur per speciem, quæ est ignota.

V. Probatur secundò. Bona esse definitio accidentis à Porphyrio tradita, quòd sit illud, quod nec est genus, nec species, nec differentia, nec proprium, inest tamen subjecto; ergò ista definitio etiam poterit dici aliqualitèr bona, probatur consequentia: Ideò bona est illa definitio accidentis, quia supponitur jam notum, quid sint cætera prædicabilia? sed potest etiam aliquis &c. potest aliquis scire, quid sit substantia, quid quantitas, & quid relatio? sed hoc supposito, si audiret hanc definitionem: *qualitas est, quâ dicimur quales*, posset cognoscere, non esse aliquod prædicamentum ex enumeratis, & esse tamen aliquod prædicamentum; ergò ex tali suppositione benè explicaretur natura qualitatis & consequentèr bona definitio. Et hoc probabile puto, quòd Aristoteles intenderit, & colligo ex modo tractandi in Logicâ, qui ideò notantèr præmisit agere de relatione, antequàm ageret de qualitate, ut cognitio illorum naturis tandem concluderet, qualitatem esse unum prædicamentum & nullum esse existis, quòd autem in Metaphysicâ ordinem variaverit, ideò contigit, quia ex logicabilibus præsupponebat notam qualitatem, adeòque non fuit amplius necesse, præmittere relationem.

QUÆSTIO III.

An Qualitas sit perfectior Quantitate.

I. Qualitas est perfectior quantitate. Partem affirmativam cum Scoto tenèt Durandus Eucharistia dist. 12. q. 2. Capreolus, Soto, Occham ferrariensis 4. Contra Gentes c. 65 apud Covellum Schol. 2. quæst. 2. citandæ cum quâ

Dico: *Qualitas ut sic, est perfectior quàm quantitas.* Hæc est Doctoris 4. d. 12. q. 2. à n. 9.

Probatur primò: Illud quod est principium agendi actione verâ, reali, & non intentionali est perfectius, quàm illud, quod non est tale principium; sed qualitas est principium agendi verâ & reali actione, non verò quantitas; ergò qualitas est perfectior, quàm sit quantitas: probatur mi. quia calor producit alium calorem, habitus effectivè concurrunt ad producendos actus &c. quantitas verò nihil producit; ergò.

Probatur secundò: Illud est perfectius, quod per perfectiones differentias contrahitur, sed qualitas contrahitur per differentias perfectiores, quàm quantitas, ergò & ipsa erit perfectior; probatur mi. Illæ sunt perfectiores differentiæ, quæ magis correspondent & accedunt ad Entium Ens perfectissimum, sed differentiæ qualitatum sic correspondent, ergò probatur mi. In perfectissimo Ente est sapientia, volitio, intellectio, sed huic correspondent differentiæ qualitatum, ergò; probatur mi qualitas contrahitur per intellectionem & volitionem, sed intellectio & volitio in angelis & animabus magis correspondent perfectissimo Enti, non verò quantitas, quia hæc non correspondet perfectiori enti magis quàm imperfectiori, imò è contrario, quia perfectissimum Ens in quo est Quantitas, est corpus Christi & B. Virginis, sed his non correspondet major quantitas, quia major est in Elephante & aliis animalibus, quàm in corpore Christi, vel Bmæ. Virginis, ergò.

Probatur Conclusio tertiò. Illud est perfectius, quo attingitur ultimus finis immediatè est perfectius illo, quo non sic attingitur; sed qualitate attingitur finis ultimus beatitudinis nostræ, ergò probatur minor. Finis ultimus attingitur per visionem & fruitionem beatificam, tanquàm per principium formale, quo attingendi, sed visio & fruitio sunt qualitates, ergò per qualitates attingitur finis ultimus, quantitas verò nullo modo concurrit ad attingendum eum finem.

Probatur Conclusio quartò. Illud, quod competit alicui ratione alicujus perfectioris, est de se etiam perfectius quàm illud, quod competit ratione alicujus imperfectioris; sed qualitas competit composito ratione alicujus perfectioris, quàm quantitas, ergò est perfectior: probatur mi. quia qualitas competit composito ratione formæ & quantitas ratione materiæ; sed forma est perfectior, quàm sit materia; ergò qualitas competit composito ratione alicujus perfectioris. Hæc argumenta desumpta ex Doctore citato, qui etiam ibidèm contra ponit aliqua argumenta, unde ex eodem etiam

Arguitur. Quod est propinquius, perfectiori est simplicitèr perfectius, quàm illud quod non est sic propinquum; sed quantitas est simplicitèr propinquior substantiæ, quæ est perfectissima, quàm sit qualitas, ergò quantitas est perfectior qualitate: probatur mi. quia quantitas immediatè est in substantiâ, qualitas verò non nisi mediante qualitate, ergò quantitas est simplicitèr propinquior. Sed R. distinguendo ma. si sit propinquius illi perfectiori secundum rationem illam, secundum quam est perfectius, concedo ma. si non sit propinquius illi perfectiori secundum rationem perfectioris, sed secundum aliam, nego ma. similitèr dist. quantitas est propinquior substantiæ materiali; concedo mi. substantiis spiritualibus & Enti simplicitèr infinitè perfecto, nego mi. & consequentiam. Itaq; licet cœlum possit dici Deo propinquius, quam homo, in ratione incorruptibilitatis; homo tamen simplicitèr est cœlo perfectior, quia imitatur Deum, secundum rationem perfectissimam intellectualitatis. Et

II.

sic

sic etiam in materialibus, quia quantitas imitatur substantiam, in ratione substandi & per modum receptivi, ac potentialis est imperfectior qualitate, quæ imitatur substantiam, in quantum est principium agendi, & sic in hâc ratione qualitas est ipsi immediatior.

Instatur. Hoc solummodò probat, aliquam determinatam & particularem quantitatem esse perfectiorem quantitate, non verò quamlibet qualitatem: probatur, quia illud est simplicitèr imperfectius, quod ab alio dependet, & alterum non sic ècontrà ab illo, sed qualitates materiales dependet à quantitate & ipsa non sic à qualitatibus, ergò est perfectior. R. negando absumptum; Quia quandocunq; genus ut sic, est perfectius genere ut sic, omnes species & individua generis perfectioris sunt, etiam perfectiora speciebus & individuis generis imperfectioris: verbi gratiâ; quia animal est perfectius in se, quàm planta, ideò omnes species & individua animalis sunt perfectiora, quàm species & individua plantæ: ad probationem, nego ma. loquendo secundum omnem considerationem, quamvis vera sit, secundum considerationem dependentiæ, nam forma substantialis materialis dependet à materia, & visio vel intellectio à calore, quæ tamen secundum entitates suas sunt nobiliores & perfectiones illis à quibus sic dependent.

QUÆSTIO III.

De Divisionibus Qualitatis.

I. *Circa divisionem qualitatis duplex est difficultas.*

Aristoteles hic cap. 8. divisit qualitatem: primò, in *habitum* & *dispositionem*: secundò, in *potentiam* & *impotentiam*: tertiò, *in passionem* & *patibilem qualitatem*: quartò, in *figuram* & *formam*, de quibus duæ occurrunt difficultates: prima est in explicatione singulorum, circa quod maxima est Authorum & sententiarum diversitas; secunda est, an data divisio in illas quatuor species sit adæquata & an sit totius generis in species? utrumq; brevitèr expediam in hâc quæstione. Itaq; quantum ad Primam speciem, quæ est habitus & dispositio

II. *Habitus multiplicitèr accipitur.*

Notandum. Habitum multiplicitèr accipi posse, ut ipse Doctor advertit: Nam primò accipitur pro habitu, qui significat *possessionem*, seu *vis ad rem*, & in hâc acceptione spectat ad post prædicamenta, in quibus explicatur multiplex modus habendi, inter quos etiam est *habere pecuniam, mulierem*: & secundò modo accipitur pro respectu inter *rem habentem habitum & ipsum habitum*, seu vestiti ad vestitum; Tertio modò accipitur pro eo, quod opponitur privationi, & sic quælibet forma habitus appellari potest, verumtamèn in his acceptionibus de habitu hic non agitur, sed prout est aliqua species qualitatis prædicamentalis, quam Authores diversimodè explicant, nam Aversa dicit: *Quòd sit qualitas data subjecto ad operandum operatione propriè dictâ*; Verumtamèn insufficientèr, quia etiam potentia naturalis est qualitas data adoperandum operatione propriè dictâ; & Complutenses verò asserunt, quòd sit qualitas per se primò ordinata ad benè vel malè esse naturæ, vel subjecti secundum se aut secundùm operationem, sed hæc explicatio planè tolerari non potest, quia est quodam modo generica, nulla enim est qualitas, quæ non benè vel malè afficeret subjectum in ordine ad se, vel ad operationem, ut supra dixi, imò in sententiâ Thomistarum hæc explicatio competit intellectui & voluntati, quia tàm intellectus & voluntas sunt distinctæ potentiæ ab animâ & ordinatæ ad benè afficiendum subjectum, tàm in ordine ad se, quàm in ordine ad operationes. Quare melius puto explicari habitum dicendo: *Esse qualitatem non innatam subjecto, sed ab extrinseco provenientem, difficulter mobilem, elevantem, vel facilitantem ad agendum, vel patiendum*; Quæ descriptio explicatur hoc modo, per id, quòd dicitur *esse qualitatem*, convenit cum aliis qualitatibus, per particulam *non innatam*, &c. excludit qualitates secundæ divisionis, unde quæ ad hanc speciem, vel quasi speciem spectant, sunt qualitates adventitiæ, & ab extrinseco subjecto advenientes, prout ipse exemplificat Aristoteles, quia ad hanc speciem collocat scientiam, virtutem, caliditatem, frigiditatem in homine, sanitatem & ægritudinem; per particulam *elevantem* intelliguntur habitus supernaturalitèr infusi, qui simplicitèr sunt necessarii ad operandum, & si essent aliquæ qualitates naturales, quæ ab extrinseco subjecto tribuunt posse operari, cum tamen anteà talem potentiam non haberet, ut est calor in aquâ, qui facit quòd aqua possit calefacere, cum tamen anteà non posset. Dicitur, *vel facilitantem*, quia habitus naturales ordinati sunt ad adjuvandam potentiam, ut magis expeditè & faciliùs operetur; dixi etiam vel ad patiendum, propter Aristotelem, qui inter habitus recenset ægritudinem, cùm tamen hæc non facilitet ad agendum, sed potius ad patiendum. Additum fuit etiam *difficultèr mobilem*, per quod habitus differt à dispositione, quæ etiam est qualitas, non innata subjecto, sed ab extrinseco adveniens, inclinans ad agendum, vel patiendum, facilitèr tamen mobilis, undecunq; ista facilis mobilitas proveniat seu ex non frequentatione actuum, seu ex ratione ipsiusmet qualitatis, sive ex ratione subjecti, quod non est capax forte substantare diù tales qualitates, hinc habitus & dispositio non sunt species essentialitèr diversæ, sed tantùm accidentalitèr differunt, scilicet penes facile & difficile moveri à subjecto; sicut nullus dicit, calorem intensum esse distinctæ speciei à calore remisso, in sententiâ, nam Scotistarum omnes gradus intensionis sunt homogenei. Nec refert, quòd Habitus infusi videãtur citò mobiles à subjecto nempè per unicum actum contrarium, quia non moventur citò Physicè, sed tantùm moraliter & demeritoriè, quando autèm in descriptione ponitur facilitèr, vel difficultèr mobilis intelligitur mobilitas naturalis.

Descriptio habitus.

III. *Explicatur quid intelligatur per potentiam & impotentiam.*

Secunda Species Est *Potentia naturalis & impotentia naturalis.* Per potentiam hic non intelligitur alicujus rei principium ad agendum, ut est intellectus & voluntas, nec pro eâ facilitate, quam aliquis acquirit per multos actus & frequentia exercitia, sicut histrio habet potentiam ad saltandum, ludendum, quia tales potentiæ spectant ad primam speciem, quia non sunt innatæ agendi, sed ab extrinseco prove-

proveniunt, sed intelligitur hic *per potentiam habilitas innata subjecto eique non identificata inclinans multum, vel etiam necessariò requisita ad agendum.* Per impotentiam verò non intelligitur negatio, vel privatio potentiæ, quia sic non esset qualitas, sed intelligitur *habilitas innata subjecto & non extrinseco præveniens non identificata eidem impediens & retardans ad agendum.* Dicitur *habilitas, seu qualitas, innata subjecto*: Per quam particulam distinguitur secunda species à firmâ, quia illa non innascitur subjecto, sed ab extrinseco advenit: dicitur non identificata per quod excluduntur potentiæ identificatæ, quales sunt passiones, aptitudinales, respectus, & quæcunq; principia ad agendum necessariò requisita, si sint identificata; dicitur *inclinans multum*, propter illas potentias quæ non sunt necessariò requisitæ ad simplicitèr agendum, verbi gratiâ facilitas ex naturâ ad currendum, ad videndum perspicacitas, ad intelligendum velocitas, ad retinendum & discurrendum subtilitas, &c. dicitur etiam *vel necessariò requisita ad agendum*, ut est calor in igne, frigus in aquâ, gravitas in gravi, levitas in levi, quæ omnia necessariò sunt requisita ad agendum, & non tantùm ad facilitèr agendum, ut ita universalitèr dicatur potentia naturalis, quæ subjecto non est identificata, & est tamen innata ad expeditè vel necessariò agendum requisita, &ècontra impotentia omnis ea qualitas quæ subjectum positivè impedit ad velocitèr agendum, vel etiam retardet planè, ut est impotentia quâ aliquis minus subtilitèr discurrit, minùs velocitèr currit, vel etiam positivè retardatur, ut sunt dispositiones naturales in nonnullorum oculis ratione quarum minus perspicacitèr videre possunt.

IV. Tertia Species *Est passio & patibilis qualitas.* Per passionem non intelligo hic proprietatem alicujus rei, quia hæc cùm sit identificata subjecto cujus dicitur proprietas non potest habere rationem qualitatis. Passio ergò, prout hue spectat, *est qualitas per se, sensibilis sensu externo alterans subjectum in ordine ad potentiam, quæ potest illam percipere*; dicitur: *sensibilis sensu externo*, per quod distinguitur à prioribus duabus speciebus, quæ non sunt sensu perceptibiles, ut patet de iisdem; dicitur: *alterans subjectum*, in quo convenit cum aliis qualitatibus, quæ etiam subjectum alterare natæ sunt, & distinguitur per hoc, quòd illam alterationem faciat, ut per potentiam intentionalitèr percipiatur; unde dicitur passio, non quòd subjecto inferat passionem, sed quòd sensui, qui semper patitur, dum aliquid percipit. Et licèt Aristoteles enumeret inter passiones spectantes ad hanc speciem motus voluntatis & appetitûs, non loquitur tamen de iis, nisi in quantum per signa externa manifestantur, quare Mastrius gratis arguit Pontium, quasi non benè hanc distinxisset speciem per hoc, quod hæc sit sensu perceptibilis, non verò priores, tùm quia ipse Mastrius alia in distinctionem expressè non adfert, nam dicere: quod hæc alteret tantùm potentiam perceptivam, falsum est, quia, etiam secundum ipsum, appetitûs & voluntatis motus non alterant potentiam ad sui perceptionem; tùm quia dicit: quòd alteratio secundum subjectum spectet ad primam speciem, ergò benè distinguitur passio per respectum sensibilitatis ad potentiam; tùm deniq; si actus appetitûs, intellectûs & voluntatis secundum se spectentur, adveniunt difficultèr & facilitèr mobiles sunt, ergò secundum se ad primam speciem, in quantum verò per opera externa produnt, ad hanc speciem spectant. Idem est autèm *patibilis qualitas*, quod passio, excepto hoc quòd patibilis qualitas sit diù permanens, passio verò citò transiens, hinc color continuò rubicundus in facie, perpetuus pallor in vultu dicuntur patibiles qualitates; rubedo autèm ex verecundiâ, pallor ex metu & timore passio appellantur, ex eo, quia cessante motu verecundiæ & timore desinunt & citò removentur, ad passionem reducuntur colores, odores, sapores florum, herbarum, &c. quia omnes natæ sunt potentiam alterare cum veloci mobilitate, & sic quoque patet, quòd passio & patibilis qualitas inter se non distinguantur nisi secundum magis minus.

Explicatur probabilis qualitas.

Quarta deniq; Species *Est forma & figura*; Per *formam* autèm non intelligitur aliqua forma substantialis, nec aliæ formæ accidentales, sed ea solum quæ convertitur cum figurâ; cum accidentali tamen differentiâ, quia forma dispositionem dicit aliquam specialem quam habent partes secundum colores & quantitatem, simul debitè proportionatam à quâ res denominantur pulchræ & gratiosæ. Figura verò dicit solam debitam dispositionem secundùm quantitatem linealitèr & superficialitèr & sic spectat ad dispositionem situs; prout verò dicit ipsam superficiei & linearum terminationem spectat ad hoc prædicamentum, primo modo accipiendo, forma pertinet ad res animatas, posteriori verò ad res inanimatas, nam ab istâ linearum terminatione præcisè res dicitur recta, curva, quadrata, rotunda. Ex quo patet, quòd merè accidentalitèr differant, hæcq; sint dicta ad sufficientiam, pro primâ difficultate posteriorem resoluo etiam &

V. *Explicatur forma & figura.*

Dico I. *Divisio qualitatis in præallegata membra ab Aristotele facta adæquata est ita ut nulla detur qualitas, quæ sub illis non contineatur.* Hæc est satis communis: & Probatur cum Pontio: Quia nulla datur qualitas nisi sensibilis, vel insensibilis per aliquem sensum externum, si est sensibilis & hoc vel per se, & directè & spectat ad tertiam speciem qualitatis; si verò per accidens & spectat ad quartam speciem & hoc indirectè, & secundum unam rationem, directè & secundum alteram rationem ad prædicamentum ad aliquid: Si est qualitas nullo sensu externo perceptibilis & est realis, aut est innata, & sic spectat ad secundam speciem, aut non est innata, & sic spectat ad primam speciem, sed nulla alia est assignabilis qualitas, quæ realis esset, ergò adæquatè dividitur in præallegata membra; Unde si quis vellet eas singulatim ad suas classes redigere & collocare, sub habitu reponere posset omnes habitus potentiarum, sive ii naturales sint, sive non, quia omnes sunt difficultèr mobiles, sive sint intensi item characteres sacramentales si teneatur, ut probabile judicat

VI. *Divisio illa bona est & adæquata.*

dicat Scotus,) quòd sit qualitas absoluta, item omnes species intelligibiles & sensibiles firmitèr impressæ, quales maximè sunt phantasticæ: Sub dispositione verò collocari possunt inprimis omnes actus potentiarum species remissa & facilitèr mobiles, sive internæ sint, sive externæ, item frigiditas, caliditas, sanitas, ægritudo & his similia, ut ipse insinuat Aristoteles, etsi sunt veræ aliquæ qualitates, quòd non essent sanitas & ægritudo qualitates, sed potius aggregatio ex debitâ & indebitâ membrorum proportione, tunc non esset dicendum: ens spectare ad hanc speciem directè, sed vel ad nullam, vel indirectè ad quartam. Sub naturali potentiâ & inpotentiâ omnes facultates sequentes connaturalitèr potentias activas, dummodò non sint identificatæ, sive posteà intensæ sint, sive remissæ. In tertiâ specie sub passione omnis qualitas sensibilis sensu externo, ut citò transiens, ut rubedo ex verecundiâ, pallor ex timore; sub patibili verò qualitates eædem diu durantes. Sub quartâ deniq; specie quomodocunque, seu directè, seu indirectè ponuntur omnes formæ & figuræ. Sed

VII. Opponitur Authoritas Aristotelis 7. Phys. cap. 2. *rarum & densum, asperum & lene* spectare ad tertiam speciem qualitatis, juxta doctrinam à se traditam lib. 2. de gratioso c. 2. ubi ait: hæc sentire sensu tactûs, sed asperum & lene &c. non continentur in præallegatis membris; ergò non est adæquata divisio omnes qualitatum species complectens. R. ipsum Philosophum mentem suam explicare hic de qualit. t. 40. his verbis: Rarum autèm & densum asperum & lene, quale quidem significare videntur, à qualitatis tamen divisione remota esse, videntur enim potius partium positionem significare: ubi clarè innuit, illa nomina non significare aliquam formam de prædicamento qualitatis distinctam ab ipsis rebus, quæ sunt raræ densæ, sed solum certum situm partium de prædicamento situs, ita scilicet, quòd rarum dicat partes corporis, cum quâdam distantiâ densum cum intimâ præsentiâ; item asperum dicat scabritiam, seu quandam inæqualitatem in situ, ita quòd aliquæ partes magis proemineant aliis, lene verò econtra. Unde

VIII. Dico 2. *Prædicta divisio non est generis in species propriè dictas.* Hæc est Doctoris 4. d. 6. q. 10. n. 14. & q. 36. ubi dicit sic: Potest dici quod Aristoteles non assignat species qualitatis &c. Item est ipsiusmet Aristotelis, nam postquàm prædictas species enumerasset, inquit: Et fortassè quidam alii apparent qualitatis modi, sed qui maximè dicuntur sunt hi: ubi notantèr dicit: quòd enumeratæ species sint tantùm qualitatis modi, non verò quòd sint aliquæ species propriè dictæ. Plures species non subalternæ prædicari non possunt de se invicem, nec res unius speciei potest esse alterius speciei, sed prædicata membra possunt de se invicem prædicari, & res unius speciei potest esse etiam alterius speciei; ergò divisio in illa membra non est divisio generis in species propriè dictas. Probatur minor, quia calor in quantùm est in igne, est naturalis potentia, in aquâ pertinet ad primam speciem, & in quantùm immutat tactum, pertinet ad tertiam; ergò una eademque qualitas potest esse in diversis speciebus. Unde secundum meum videri Qualitas, prout est supremum genus primâ sui divisione dividi posse in naturalem & supernaturalem; naturalis in materialem & spiritualem; materialis in simplicem & mixtam; mixta in vitalem & non vitalem; vitalis in habitus & actus; non vitalis in sensibilem & non sensibilem & hæc in sua inferiora & quælibet species divisiva in propria membra, consule arborem positam post prædicamentum substantiæ.

Divisio data non est generis in species.

Quæres, quæ nam sint proprietates Qualitatis? R. Tres esse: Prima est, quam assignat Philosophus, habere contrarium; Quæ sic intelligenda est, quòd habeat formam positivam, absolutam, sibi oppositam, talitèr ut altera aliam mutuò expellat, ab eodem subjecto inhæsionis; addidi notantèr absolutam, quia aliàs unum ubi, est contrarium alteri ubi, dixi à subjecto inhæsionis propter formas substantiales, quæ se quidem expellunt ab eodem subjecto, cum quo faciunt unum per se, ratione incapacitatis subjecti, ita quòd non possint duæ esse connaturalitèr simul, illud subjectum tamen informationis non inhæsionis. Nihilominùs ista proprietas non est ita universalis, ut omninò omnibus conveniret, quia lumen non habet hoc modo contrarium, nec species sensibiles & intelligibiles, nec qualitates supernaturales. Secunda est susceipere magis & minus, seu posse intendi & remitti; Attamen licet hæc vocetur communitèr proprietas, non videtur tamèn omnibus competere, quia unus actus intellectus non videtur susceipere posse intensionem, nec character, nec etiam soli, quia una actio videtur posse esse intensior & remissior alterâ, imò ipse Aristoteles asserit: non videri competere omni & soli. Tertia est, quòd secundum qualitates res dicantur sibi similes & dissimiles, quod intelligendum est de similitudine propriè dictâ, quia generaliter loquendo res omneshabentes inter se convenientiam, vel disconvenientiam, in quocunque genere illam habeant, possunt dici similes, vel dissimiles, quomodò verò aliqua sint sibi similia, vel dissimilia, sciri non potest, nisi prius sciatur, quid sit formalis ratio similitudinis? nec sciri potest, ista iterum nisi sciatur, quid sit relatio? & ut hæc sciatur sit.

IX. *Enumeratio proprietatum qualitatis.*

DISPU-

DISPUTATIO VI.

DE RELATIONE.

De Relatione agit Philosophus, tùm in Metaphysicâ, quem sequuntur etiam Authores Classici, tùm hîc tùm ibi, tantâ tamen inter se diversitate, ut vix sit aliqua materia, tàm acriter & tàm fusè inter se concertent, licet relatio ipsa in se sit res valdè exigua & minuta, cùm tamen ejus cognitio sit plurimum necessaria, ad cognoscenda alia, quæ Philosophus tractare solet & debet, à me quoq; non ita certè erit prætermittenda, eò vel maximè, quia Doctor relationibus est refertissimus, unde fit

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Relatio?

I. Distur relationes.

Suppono certissimum esse, dari relationes, ità ut oppositum asserere, error sit Philosophicus, idq; sat temerarius, quia contra omnium Authorum sensum id adstrueret; nam cum fide credatur, dari relationes, in divinis non videtur, quomodo in creatis negari possit, nam nec ex perfectione nec ex imperfectione id deduceretur; non quidem ex perfectione, quia in creatis plura sunt, quæ sunt relationibus multò perfectiora, ut substantia & omnia entia absoluta; nec ex imperfectione, nam cùm in Deo inveniantur, qui alioquin perfectissimus est, omnem omninò excludens imperfectionem, cur in creatis, ergò negarentur, cùm hæc denominentur; multa etiam verè Pater, verè Filius, quamvis in divinis ob incapacitatem accidentium sint substantiales, hoc etenim non oritur ex ratione relationis, sed ex hâc relatione divinâ; dicere autèm nullam esse necessitatem, falsum est assumere, quia maxima necessitas est, ex eo quòd multa non possimus intelligere, nisi per ordinem ad aliud, non possumus enim intelligere Filium, nisi substantiam ejus referamus ad aliud, sed hoc est relationem; ergò temerarium esset eas negare. Itaq; quo ad primam partem

II. Dicitur quia relatio.

Relatio secundum etymon, tàm latinum quàm græcum, quod est πρὸς τὶ, aliud non significat quàm referentiam unius ad aliud, respectum ordinem seu habitudinem ad aliud, & ipse Aristoteles loquitur: *Ad aliud* ità, ut generatiori acceptione, prout præscindit à reali & rationis definiri posit, quòd sit formalis ratio, quâ unum respicit aliud. Mihi tamen per totam disputationem sermo tantùm erit de relatione reali, ad quam universalitèr duo requiruntur: esse *In*, & esse *Ad*, per esse *In* cum aliis accidentibus, quia omnibus competit *Esse In*, sub diversâ ratione, ità nempè ut absolutorum esse *In*, sit *radicale*, in respectivis, *actuale*; per esse *Ad*, distinguitur simplicitèr ab absolutis, quæ non ad aliud, sed ad se dicuntur: hinc ad relationem tria requiruntur: Scilicet, fundamentum, terminus, & ratio fundandi eam, seu ratio referendi. Per esse *In* denotatur fundamentum, per esse *Ad* terminus, fundamentum est illud, quod formalitèr ad aliud refertur, illud verò ad quod refertur, dicitur terminus. Exempli gratia: Rosa *A* dicitur, fundamentum relationis, quia est illud quod refertur ad rosam *B*. qui idcircò vocatur terminus, alio nomine vocatur fundamentum & terminus extrema relationis, relativa, & etiam correlativa, imò etiam fundamentum remotum, extrema quidem dicuntur, quia inter illa versatur relatio, quasi inter suos fines; relativa verò appellantur & correlativa; relativa quidem, quia unum refertur ad aliud, quæ à Philosopho describuntur, quòd sint illa, quorum esse est ad aliquid seu ad aliud aliquomodo se habere, ubi secundùm posteriorem partem tantùm recipitur, quia ad priorem non sufficientèr explicat naturam relationis, ut distinguitur ab absolutis, quia etiam absoluta sunt *ad aliquid*, quia sunt *ad se*, nisi velis dicere, ad aliquid semper supponere ly *aliud*. Correlativa dicuntur ea, quæ ad se invicem mutuò referuntur: ut Pater & Filius, nam Pater dicit ordinem ad filium & filius ad Patrem, quare relatio quæ intercedit inter hujusmodi extrema, vocatur correlatio, quæ inter priora simplicitèr relatio. Fundamentum deniq; remotum ominatur ad distinctionem fundamenti proximi, quæ est ratio fundandi relationem; Ratio autem fundandi seu fundamentum proximum dicitur, quia causa proxima, cur rosa *A* referatur ad Rosam *B*. & ista causa ordinariè est aliquod accidens distinctum, repertum in utroq; extremo, verbi gratiâ: albedo subjectata in rosa *A* est causa, quare referatur ad rosam *B*. quæ similitèr in se habet albedinem tanquàm accidens aliquod distinctum, undè albedo in unâ rosâ est fundamentum proximum, & in alterâ est terminus propinquus, quatenus est una specie albedo in utrâq; rosâ, ita ut quò plures sunt in aliquibus extremis tales rationes, eò plures in ipsis fundari possint relationes, verbi gratiâ: in rosâ *A* & *B* præter albedinem est quantitas, eadem vel diversa, & sic penes relationem similitudinis fundant quoq; relationem æqualitatis vel inæqualitatis.

III. Extrema debent esse realia, & distincta &c.

Notandum Ulterius, quòd ad relationem realem requiratur, ut ejus extrema sint realia; item, quòd sint realitèr distincta; tertiò, quòd ex naturâ illorum extremorum scilicet fundamenti & termini sequatur relatio, ubi per ly ex naturâ rei non intelligitur aliud, quàm quòd citra omnem fictionem intellectûs, vel operationem alicujus potentiæ potentis cognoscere vel comparare resultet: quartò, quòd illa extrema realia sint actu existentia. Has conditiones proponit Doctor 1. d. 32. q. un. n. 2. & quidem quoad priores tres expressè, ad posteriorem verò implicitè, quia ex eo, quòd agat de relationibus divinis, ubi certùm est, extrema debere esse actu existentia, alioquin si hoc non requirantur, sequitur, quòd inter materiam

teriam & formam dari posit unio, licèt forma non existeret. Nec de his conditionibus potest ulla esse difficultas, præterquàm de secundâ propter verbum Doctoris, qui non obscurè videtur asserere, quòd idem ad se ipsum dicere posit relationem & exemplificat de intellectu, qui producit intellectionem & etiam eam recipit in se ipso ; adeoq; dicit relationem ad se ipsum velut ad producentem & recipientem, sed intelligendus est Doctor in sano sensu, ità quòd solùm intendat, quòd hæ relationis productionis & receptionis habeant idem fundamentum & terminum remotum, quod est eadem una res, non verò, quòd sit idem fundamentum & terminus proximus, qui est productio & receptio pro formali, quæ est ratio agentis & passi, adeoq; sunt distincta, quod inde magis patet ex eo, quòd intellectus possit habere rationem recipientis, non habendo rationem producentis, casu quo Deus in intellectu poneret sine ejus concursu aliquam intellectionem; hinc quando etiam dicit idem agere in seipsum, intelligendus est de eâdem re secundùm suam entitatem absolutam, abstrahendo à ratione agentis & patientis, quæ in viâ Scotistarum distinguuntur realitèr. Hæc quoad primam partem dicta sufficiant, licet non fuerit data definitio relationis, prout hoc constituit prædicamentum, id non obest, prius etenim generalior ratio erat explicanda, sicut etiam pro secundâ parte non statim adferam divisionem relationis prædicamentalis, sed generaliorem reservando divisionem prædicamentalium, usque dum egero de supremo genere hujus prædicamenti. Itaq;

IV. *Relatio dividitur in realem & rationis.*

Relatio ut supra descripta est prima sui divisione dividitur *in realem & relationis*. Rationis est, quæ fit per operationem intellectûs fingentis, aut alterius potentiæ potentis cognoscere & comparare ita, ut ejus esse aliud non sit, quàm objectum sine capacitate realis essentiæ & existentiæ, purum dico ens rationis, verbi gratiâ, similitudo inter duos hircocervos. Realis è contra, quæ habet esse præter fictionem intellectus. Realis iterum subdividitur in infinitam & finitam; prior est relatio originis in divinis, de quâ agunt fusè Theologi, finita est omnis creata. Quæ iterum partitur in eam, quæ est secundum esse, & secundum dici ; circa explicationem earum multùm diversificant inter se Authores, de nomine potius contendentes, quàm de re; inter omnes melior mihi videtur, quam adfert noster Majorn. 1.d. 19. q.1.art.3. Quòd videlicet relatio secundum esse sit illa, cujus totum esse formalitèr & principalitèr est esse ad aliud, ut sic intercedat inter ea relativa, quæ sunt essentialitèr relativa, ut Filius & Pater, melius & pejus &c. Relatio verò secundum dici, sit illa, quam importat aliqua res secundariò, quæ de se tamen est, pro constituto entitas absoluta ita, quòd pro principaliori significato nulli accidit, undè scientia, cognitio, & omnes actus vitales, vocantur relativa, secundùm dici, quia, licet secundum suam entitatem absolutam sint qualitates, dicunt tamen tendentiam & ordinem aliquem ad subjectum & objectum, & idcircò vocantur relationes, secundum dici: hinc Relatio dividitur etiam in mutuam & non mutuam; mutua est, quæ refert fundamentum ad terminum, in quo termino est iterum alia correlatio, quæ vicissim refert terminum priorem, veluti fundamentum ad prius fundamentum, veluti ad terminum ; non mutua est, cui non sic correspondet alia correlatio in altero extremo.

V. *Secundò in transcendentalem & prædicamentalem,*

Magis Famosè, & ad præsens institutum relatio dividitur *in transcendentalem & prædicamentalem*; In quâ explicandâ plurimùm desudant Authores, nam Cajet. in lib. de ente & essent. cap.7. q.15. Conimb. Fonseca, Masius & alii dicunt: quòd relatio transcendentalis in eo differat à prædicamentali, ex eo, quòd transcendentalis respiciat terminum, non ut purè terminum, sed etiam tanquàm sui aliquo modo ita, ut terminus aliqualem causalitatem exerceat, vel illud producendo, vel amando, vel cognoscendo, vel uniendo, vel recipiendo, vel actuando &c. Prædicamentalis verò respiciat terminum, sub ratione puri termini, nihil circa ipsum producendo. Verùmtamen hoc falsum est, quia paternitas respectu filii, est vera relatio prædicamentalis, & tamen filiatio non respicit Patrem, non purè sub ratione termini, sed etiam causæ, nec refert, quòd non respiciat Patrem ut formalitèr causantem, per paternitatem, sed per actionem; quia etiam actio est relatio prædicamentalis, quoniam hic non accipio relationem prædicamentalem, pro eâ præcisè, quæ hoc constituunt prædicamentum, quod in ordine quartum est, sed etiam prout comprehendit cætera sex ultima : Imò Relatio dependentiæ creaturæ ad Deum, est transcendentalis, & tamen hæc nihil producit, vel efficit in termino, ut quia creatura nullum munus exercet circa Deum, sed veluti purum terminum. Arriaga verò distinguit relationem prædicamentalem à transcendentali, per hoc, quòd transcendentalis sit adæquatè subjecto, vel fundamento identificata; prædicamentalis verò non; Aversa autèm dicit relationem transcendentalem esse de essentiâ rei relatæ, prædicamentalis minimè; Verùmtamèn hoc falsum est, quia nihil respectivum potest esse de essentiâ alicujns absoluti, ut patet ex sæpe dictis. Quare omissis pluribus aliorum explicationibus

VI. *deseribitur Relatio transcendentalis.*

Dices 1. *Relationes transcendentales eæ sunt, quæ fundamentis suis non accidunt, sed sunt idem cum ipsis non essentialitèr, sed realiter, adeoq; inseparabiles, sive sint actuales, sive aptitudinales.* Econtrà verò prædicamentales, quæ cum subjecto idem non sunt, sed separabiliter accidunt. Ita Scotistæ communitèr Majornius, Mastrius &c. Probatur tùm ex refutatione priorum dicendi modorum, tùm, quia congruentiùs explicari nequeunt, utpote quæ naturam cujuscunque benè manifestant. Dicitur, quòd sint eæ, quæ fundamentis non accidunt, per quod principalitèr distinguuntur à prædicamentali, quæ est accidens à fundamento distinctum; nam accidit albo quòd sit simile alicui alteri, dicuntur identificata subjecto realitèr, non essentialitèr, quia essentiam ejus non ingrediuntur, sicut nullum, respecti-

respectivum ingreditur rationem formalem alicujus absoluti ; quòd autèm identificentur realitèr, exindè patet, quia implicat fundamentum esse sine illis, hâc tamèn identificatione non obstante, adhuc distinguuntur formalitèr ab eis, quia si dependentia creaturæ nullo modo ab eâ distingueretur, deberet in ejus definitione poni, & sic in definitione hominis & lapidis esse deberet, quia definitio essentialis debet continere quid, quid est de essentiâ definiti, sed quod identificatur alicui essentialitèr, est de essentiâ ejus, ergò. Dicitur etiam, sive actuales fuerint, sive aptitudinales, ut est relatio dependentiæ creaturæ ad Deum est actualis; aptitudinales dicuntur omnes illæ, quando res, vel potentia dicit aliquem respectum aptitudinalem, seu quod facere, vel aliquid agere & producere possit. Hinc ècontrario definio relationem prædicamentalem &

VII. Definitur prædicamentalis.

Dico 2. *Relatio prædicamentalis benè describitur, ut hoc quartum constituit prædicamentum: Quòd sit accidens intrinsecùs adveniens, cujus totum esse est ad aliud se habere, id est, cujus totum esse consistit in actuali ordinatione alicujus realitèr distincti, ad aliud realitèr distinctum.* Ita Pontius. Patet quia ejus natura sufficientissimè explicatur, ita ut per hanc distinguatur ab omnibus aliis. Dicitur itaq; Accidens, per quod convenit cum aliis omnibus accidentibus, tàm absolutis, quàm respectivis, & distinguitur à relationibus substantialibus divinis, & omnibus illis, quæ subjectis & fundamentis realitèr identificantur, quia cum non sint natæ aptæ inhærere per se alteri, veluti in subjecto inhæsionis, nec sint separabiles, non sunt accidentia prædicamentalia. Dicitur reale, ut excludantur relationes rationis; dicitur intrinsecus adveniens, ut excludantur relationes extrinsecus advenientes, qualia sunt sex ultima prædicamenta (de hâc divisione in tacta membra mox infra agam;) dicitur cujus totum esse, ut excludantur accidentia realia absoluta, utque significetur, quòd non possint exìstere, nisi ordinent actualitèr unum ad aliud, sicut similitudo non habet aliud munus, quàm facere aliquid actu simile alteri.

VIII. Dividitur tertia definitio in tres membra.

Celeberrima Divisio, quæ hic examinanda adhuc occurrit, est, quâ Relatio prædicamentalis non descripta, sed prout est quid superius, ad ultima septem prædicamenta, dividitur in *Relationem extrinsecus advenientem & intrinsecus advenientem.* Relatio extrinsecus adveniens dicitur ea, quâ resultat ex naturâ extremorum positis præcisè extremis, & ratione fundandi absq; eo, quòd concurrat aliquod aliud extrinsecum agens. Ecntrà verò, Relatio extrinsecùs adveniens, ea appellatur, quâ positis fundamento, & termino, ac ratione fundandi, non immediatè resultat, sed plerumq; exigit actionem alicujus extrinseci agentis, ad ipsam terminatam, quod adveniens non pertinet ad ipsam extremorum naturam, & talis est actio, verbi gratiâ, & sex ultima prædicamenta, quia actio non eo ipso quòd sit principium activum & passivum, consurgit & resultat, sed necessaria est applicatio inter utrumq; ; Difficultas tamèn est inter Thomistas Recentiores, & Scotistas, nùm detur talis divisio Relationis, in membra allegata & explicata? Nam Thomistæ & plurimi Recentiores, ut Hervæus, Hurtadus Soto, Aversa, Suarez Ruvius, Arriaga, hanc divisionem omninò de medio tollere conantur; ècontrà verò tota subtilium Schola, acerrimè propugnat datam divisionem; Scholam Scoti sequuntur plures extranei, ut Paulus venetus, Cammerarius Lovanienses, &c. Ego quidem fateor, rem hanc omninò esse difficilem. Et licet in Scoto mox citando frequentèr insinuetur, videtur tamèn manere problematicus & sensum communiorem sequi, loquendo ex suppositione communioris & ordinariæ sententiæ, de numero & distinctione prædicamentorum. Unde

IX. *Potest à Scotista negari prædicta divisio.*

Dico 3. *Potest quilibet Scotista salvâ Doctoris autoritate, negare distinctionem, seu divisionem relationis in intrinsecus advenientem, & extrinsecus advenientem.* Hæc est nova in terminis, in re videtur mihi mens Doctoris, unde ejus autoritate probatur, simul ac ratione. Potest quilibet Scotista, salvâ autoritate Scoti, admittere multiplicitatem & distinctionem decem prædicamentorum, & non admittere ; ergò potest etiam admittere divisionem.

Relationis in intrinsecus & extrinsecus advenientem, probatur consequentia ; divisio relationis in specificata membra pendet à numero & distinctione prædicamentorum, sed salvâ authoritate Scoti possunt admitti plura vel pauciora prædicamenta, eaque non distincta; ergò etiam salvâ authoritate Scoti admittere vel negare divisionem in relationem extrinsecus advenientem & intrinsecus;

Probatur ma. ex ipso Doctoris quodlibeto 11. à numero 13. & seq. hæc habet in terminis: *Hic dici potest, quòd, si secundùm communitèr dicta salvanda sit distinctio decem generum, & per consequens sex genera ultima non contineantur sub genere relationis, cùm non appareat, quòd importent formas absolutas, nec simul importent absolutum & respectivum, consequens est, dicere, quòd sint essentialitèr respectus, nec tamen de genere; relationis igitur oportet distinguere, inter respectum & respectum, &c.* ergò divisio in tacta membra dependet à numero, & multitudine, ac distinctione prædicamentorum. Probatur etiam minor principalis ex supra dictis; ubi stando rationi, salvâ authoritate Scoti dixi, plura vel pauciora admitti posse prædicamenta, si ergò admitterentur, tantùm quatuor gratis divideretur relatio in illa membra, tanquàm genere prædicamentali distincta.

Dices: Scotus tùm in tertio, tùm in quarto frequentèr admittit & insinuat divisionem & distinctionem relationis, in intrinsecus & extrinsecus advenientem, etiam independentèr à numero & distinctione prædicamentorum, sed tunc non posset explicari, quidnam intelligeret per eas? ergò salvâ authoritate Scoti, non potest Scotista negare illam divisionem. R. permittendo transire majorem, quia etiam falsè assumitur, quòd Scotus illius divisionis mentionem faciat, independentèr à numero & distructione prædicamentorum; nam licet ibi non repetat, cùm communi supponit

X.

sic de aliis frequentèr, negando mi. quia faciliori negotio, & sine tot tricis & difficultatibus dici posset, quòd Scotus intelligat per relationem intrinsecus advenientem, intrinsecè identificatam suo fundamento, quales sunt omnes relationes transcendentales inseparabiles, per extrinsecus verò advenientem intelligerem eas, quæ sunt fundamento extrinseca & accidentia, quæ omnia constituerent unum prædicamentum, quod vocaretur prædicamentum accidentis respectivi, & sic nullæ possent salvari & vitari difficultates.

XI. *describuntur relationes ex & intrinsecus advenientes.*

Dico 4. *Si dantur relationes, extrinsecus & intrinsecus advenientes, benè explicantur per hoc, quòd dicatur intrinsecus advenientem esse eam, quæ posito fundamento & termino, simul cum ratione fundandi resultet; extrinsecus verò adveniens, quæ non sic resultat, sed postulat aliquod extrinsecum agens, ut sequatur.* Hæc sequitur ex priori, quantum ad particulam conditionalem, quantum ad explicationem est Scoti & Scotistarum communitèr, & probatur brevitèr, quia si dantur tales relationes, non possunt melius explicari, quàm per dicta; ergò probatur: quia per eam distinguuntur à se invicem, & ab omnibus aliis. Sed manendo in communi viâ Scotistarum ne conceptuum turbetur ordo.

XII. *Dantur tales relationes.*

Dico 5. *Dantur Relationes extrinsecùs & intrinsecùs advenientes, secundùm explicationem proximè datam.* Hæc est communis Scotistarum post Scotum opinio, quamvis reverà problematicus sit, nec nisi ex mente Philosophi hoc determinet.

Probatur Conclusio. Quia etiam secundùm Adversarios datur unio inter materiam & formam, quæ est aliquid reale distinctum ab illis, sed illa unio est hujusmodi respectus; ergò majorem usq; ad Physicam suppono. Probatur mi. quia est aliquid reale, cujus totum esse consistit in actuali ordinatione unius ad aliud; ergò est respectus, sed non intrinsecùs adveniens, quia nihil præsupponit ex parte extremorum, ex quo necessariò sequatur, quia possunt illa extrema existere, absq; eo, quòd haberent illam unionem, nec etiam est respectus transcendentalis, cum nullum sit absolutum assignabile, cui identificetur; ergò est respectus extrinsecus adveniens & consequentèr datur talis. Confirmatur, quia eodem modo, quo Adversarii dicere possunt unionem esse, quid absolutum dicens, respectum transcendentalem eodem modo posset quis diceret? quòd similitudo esset respectus aliquis transcendentalis, sed hoc est contra ipsos Adversarios; ergò & illud.

XIII. *Hæc membra non coincidunt simul.*

Arguitur. Contra hanc Conclusionem: Nihil benè dividitur in membra, quæ ad se invicem coincidere possint, sed hæc membra relationis ad se invicem coincidunt; ergò malè dividitur relatio in intrinsecùs & extrinsecùs advenientem: probatur mi. Intrinsecùs adveniens est, quæ posito fundamento & termino necessariò resultat, extrinsecùs, quæ non sic resultant. Sed ista duo coincidunt; ergò: probatur mi. vel intelligunt Scotistæ per ly, posito fundamento & termino, remotum fundamentum & terminum vel proximum, quidquid dicunt, est contra ipsos; ergò probatur mi. si intelligunt terminum & fundamentum remotum, tunc nec resultat relatio inter rosam A & rosam, B. æque ac non resultat unio, positâ materiâ & formâ quomodocunq;: si intelligunt fundamentum & terminum proximum, videlicet albedinem, verbi gratiâ, quare duæ rosæ referantur ad se invicem? quia est ratio fundandi, tunc positâ formâ & materiâ debitè approximata necessariò resultat unio; ergò, quoad omnia coincidunt & consequentèr non benè dividitur in dicta membra. R. negando mi. cum minori suæ probationis, ad cujus probationem dico, quod per fundamentum & terminum intelligam fundamentum & terminum proximum, & non remotum quando; ergò dicitur in contra, quod posito fundamento & termino proximo, etiam necessariò resultet relatio, extrinsecùs adveniens, tunc nego simplicitèr, quia licet connaturalitèr soleat sequi unio, id tamen non contingit necessariò, quin possit à Deo impediri, imò etiam naturalitèr etiam positâ approximatione agentis & objecti, non necessariò sequitur actio, ut patet de voluntate, quæ potest habere objectum propositum debet absque eo, quòd necessariò agat, in aliis verò Deus impediri potest, nam potest Deus intimâ præsentiâ applicare materiam & formam, absq; eo quod uniantur; item agens & possum debitum approximatum ab eo, quod consurgat actio, ut patet de igne Babylonico; deniq; certum est, si habitus intimè esset corpori præsens, etiam penetrativè, quòd non resultaret relatio habitus, nisi servatâ debitâ coordinatione vestium ad vestitum, unde in his semper requiritur actio aliqua extrinseca, illa uniens, applicans, determinans cum ipso generali Dei concursu; in relationibus verò intrinsecùs advenientibus nulla actio, vel particularis aut generalis concursus requiritur, propter fundamentum, terminum & rationem fundandi, quibus positis, necessariò consequitur relatio, ità quòd Deus non possit eam impedire.

Instatur. Inter Patrem & Filium est etiam, secundum Scotistas, relatio intrinsecus adveniens, sed hæc non necessariò resultat, posito fundamento & termino, idem inter Dominum & servum, ubi unus ac alter existere possit absq; eo, quòd consurgat relatio, sed ad istas tàm benè requiritur actio extrinseca, sicut ad ubi; ergò etiam relationes intrinsecæ non necessariò resultant, sed petunt adhuc aliquam extrinsecam causam, sed R. concedendo inter Patrem & Filium esse relationes intrinsecus advenientes, sicut etiam inter Dominum & servum, sed nego, quòd ad eas requiratur actio eodem modo, sicut requiritur ad ubi; ad Patrem etenim & ad filium requiritur actio, veluti conditio; ad ubi verò & ad alias relationes extrinsecùs advenientes requiritur actio, veluti causa vel effectus, unde in Patre & Filio manet illa relatio intrinsecùs adveniens, ab actione præteritâ, quæ fuit in homine generante & terminata ad hominem genitum, quâ positâ veluti conditione, nunquam ampliùs impediri potest, quamvis poterat impediri, ut fieret actio, quæ est

est de genere relationum extrinsecùs advenientium.

Urgetur. Si requiritur, & sufficit ad hoc, ut filius semper dicat relationem ad Patrem, quòd semel actio fuerit posita, veluti conditio sequeretur, quòd etiam in servo, sic sufficeret cùm sit etiam intrinsecùs adveniens, sicuti est relatio Patris ad filium, sed hoc non sufficit in Domino & servo; ergò nec in patre & filio, & consequentèr actio non requiritur ad Patrem, veluti conditio tantùm. Probatur mi. quia frequentèr desinit relatio inter servum & Dominum, ut si Titius paciscatur cum Mævio Domino, quòd ei velit servire per septennium, eo elapso, cessat servitus, licet maneat, quòd fuerit ille actus pacti de serviendo; ergò. R. dist. ant. probationis mi. si servitus sit voluntaria & temporanea, concedo ant. si fuerit absoluta & naturalis, nego ant. talis autèm non datur inter homines respectu sui invicem; unde in eo casu non est mirum, quòd desinat servitus, quia pactum & actio illa, quâ simul pacti fuerant, non erat, nisi ad tempus determinatum, quo elapso evanescit relatio, quia ratio non ultra se extendit, quo posito, non modò potest esse non servus, tantùm & liber sed & Dominus; si per virtutem in Communitate evadat, sicut licet aliquis fuerit filius, & talis sit hoc non obstante parens esse potest; unde magna est disparitas inter actionem supra quam fundatur paternitas ad filiationem, quam supra Dominum ad servum, quia illa naturalis est, illa tantùm moralis, manens tantùm tamdiù, quàmdiu manet moralitèr actus voluntatis, & quocunq; se extendebat, qui, quia ad brevius vel longius se poterat extendere tempus, ideò breviori & longiori tempore durare potest, non sic dependet actio Patris ad filium, in arbitrario actu voluntatis, sed ex naturæ necessitate. Deniq; dici posset, quòd denominatio servi competeret tantùm iis, qui actu serviunt.

QUÆSTIO II.

An Relatio sit accidens ab extremis re ipsâ realitèr distinctum?

I. In priori quæstione examinavi quidèm quid sit relatio? supponendo tanquàm certum illam dari, & quamvis, sicut ibi dixi, receptissimum sit, quòd dentes, controversissimum tamen est inter Authores, an sint formæ accidentales ab extrinsecis distinctæ? an verò sint ipsæ res secundùm suas entitates? Circa quam materiam tres sunt diversæ omninò sententiæ: Prima suam originem habet à Nominalibus, qui dicunt relationem, aliud formalitèr non esse quàm fundamentum & terminum, quorum utrumq; directè, & ex æquo includatur, ita ut aliud non importent fundamentum & terminus, quàm coëxistentia duorum, verbi gratiâ, alborum, paternitatum, unde dicunt, quòd similitudo inter duas rosas, aliud non sit, præter ipsas duas rosas, & relatio Paternitatis inter Petrum respectu Pauli, aliud non sit, quàm Petrum & Paulum, cum actione generativâ; Econtrà verò dissimilitudo aliud non est, quàm existentia & combinatio albi & nigri: Ità Occhamus, qui vel invenit eam, vel primus sequutus est, ita ut in 1. d. 30. q. 2. sic inquiat: Si quis vellet relinquere authoritatem omnium, negare posset relationem, & dicere: nihil aliud esse, quàm entitatem fundamenti & termini; ex quibus verbis P. Comptonius duo deducit: primò hanc sententiam esse contra omnium opinionem; secundò, quòd eam amplectentes, quidquid verbis jactitent, in rei veritate tamèn omnem tollere relationem: Occhamum sequuntur Gregorius, Gabriel, Marsilius, Aureolus, Hurtado, Arriaga, Oviedo &c. Quam sententiam aliqui limitant sic: quòd scilicet Relatio aliud non sit præter fundamentum terminum, hâc tamen differentiâ, ut in recto importetur fundamentum, & in obliquo respiciat terminum. Secunda sententia est, quæ dicit Relationes esse quidem formas accidentales rebus ipsis insidentes, attamèn negat quòd sint actu distinctæ à rebus, sed solùm ratione; Ita Alensis Henricus Soncinas &c. Tertia deniquè sententia est Scoti 2. d. 1. q. 4. â numero 5. usque ad 17. D. Thomæ 1. p. q. 28. art. 2. ad 2. 4. contra Gentiles cap. 14. art. 1. quos sequuntur, præter suos Cajet. Ferrariensis, Fonseca, Bannes, Conimb. Morsia. Ita ut authoritate sit celeberrimâ & maximè peripatheticâ, quæ proindè dicit: Relationem esse veram formam accidentalem superadditam rebus & reipsâ à rebus distinctam. Hanc sententiam, præterquàm quòd Paternitatem & filiationem simplicitèr asserat esse accidentia superaddita, tenet etiam Comptonius dicens: si duæ albedines sunt sibi similes per Relationem, eam necessariò esse quid superadditam; quamvis postea dicat, non videri in similitudine necessariam, ut duo dicantur sibi similia relationem. Pro Intelligentiâ ergò dicendorum notandum ex dictis.: Quòd ea distinguantur realitèr, quorum unum in rerum naturâ potest esse, sine altero, quo facto

II. Dico 1. *Relatio prædicamentalis non est sola duorum coëxistentia & combinatio.* Hæc est contra primam sententiam. *Relatio non est tantùm duorum coëxistentia.*

Probatur primò. Quidquid constituitur in aliquo prædicamento determinato, directè debet esse unum per se; sed relatio ponitur directè in prædicamento *ad aliquid*, imò est illius supremum genus: ergò debet esse unum per se; sed combinatio duorum, verbi gratiâ, alborum non est unum per se; ergò relatio non est coëxistentia & combinatio duorum; probatur subsumptum: quia illa duo extrema frequentissimè & ordinariè sunt entia completa ejusdem, vel diversorum prædicamentorum, sed ex rebus ejusdem prædicamenti, vel diversorum completis, non resultat unum per se, ergò: probatur ma. quia sunt, vel duo alba, vel est substantia; unum aliquando, & aliquando alterum accidens, ergò.

III. **Probatur Conclusio secundò.** Relatio est essentialitèr ad aliud, sed illa duo extrema non sunt ad aliud; ergò illa duo extrema non sunt formalitèr relatio, quia illud ad quod sunt, aut sunt ipsa duo, aut unum ipsorum, aut aliquid extra ipsa, neutrum dici potest; ergò: probatur mi. quoad singulas partes non ipsa duo, quia unumquodq; eorum est ad se, quia nullum est aliud à seipso; nec est etiam illud

illud ad aliud alterum ipsorum, ob eandem rationem, quia illud extremum, ad quod ambo sunt, non est ad aliud, sed ad se; probatur denique, quòd nec ad aliquid extra ipsa, quia ad relationem sufficiunt duo.

IV. Probatur Conclusio tertiò. Non potest conpici simile ut simile, quin concipiatur aliud extremum, cui dicitur simile; sed hoc ideò est, qui dicit ordinem aliquem ad illum extremum, cui dicitur simile, qualem non dicit, ad illud cui est dissimile. Probatur mi. si hoc non esset maximè, id ideò contingeret, quia simile diceret utrumque, hoc non est, ergò. Probatur mi. si æq; utrumq; diceret, verè posset de eo prædicari, quòd esset duo, verbi gratiâ, alba existentia; probatur sequela, quia hoc album *A* dicitur simile alteri albo; sed similitudo nihil dicit, nisi illa duo alba; ergò illud album, quod dicitur simile alteri, erit duo alba; Eodem modo, si esse Patrem & Filium aliud non est, quàm duos homines, cum generatione sequeretur, idem prorsus esse patrem, ac esse Filium; sed hoc est falsum; ergò probatur sequela: Esse patrem nil importat, nisi duos homines cum generatione; sed esse Filium etiam importat duos homines cum generatione; ergò esse patrem idem erit, ac esse Filium; & consequentèr, Filius dici poterit nihil aliud esse, quàm duos homines & etiam esse Patrem, nihil aliud importare, quàm duos homines, quæ omnia falsa sunt & Ludicra. Confirmatur Relatio: dicit illa extrema utraque, sed extrema illa sunt duo; ergò relatio similitudinis non erit aliud, quàm ille binarius numerus; sed utrumq; extremum dicit relationem similitudinis; ergò quodlibet extremum erit binarius numerus.

V. Dices: Illa duo alba item, & Patrem & Filium dicere quidem utrumque æqualitèr, sed primum in recto & alterum in obliquo; sic quoque esse Patrem, dicit etiam Filium, sed Patrem in recto, Filium in obliquo, & sic non valet dicere, quòd idem sint. Sed Contra Titium, verbi gratiâ, esse Patrem, nihil aliud est, quòd Titius dicatur in recto, & Mœvius in obliquo, sed hoc idem dicit Mœvius, quia Filium aliud est, quàm dicere, Mœvium in recto & Titium in obliquo. Ergò idem prorsus est dicere, esse Patrem, ac esse Filium. Contra 2. Si hoc contingit ex nostro concipiendi modo, tunc possum concipere utrumque in recto, scilicet Titium & Mœvium; ergò uterque in recto importabitur, & consequentèr nulla solutio.

VI. *Relatio est verum accidens ab extremis distinctum.* Dico 2. *Relatio prædicamentalis est verum accidens, de genere accidentium verè extremis inhærens, & realiter ab ipsis distinctum.* Hæc est in Scholis Realibus communis, quam Scotus, teste Cavello, fusè tùm authoritatibus, tùm rationibus probat; Et ego etiam eam Probo, primò: authoritate D. Augustini, cap. 8. Categ. ubi dicit: *Reliquæ verò Categoriæ accidentia sunt,* & cap. 10. *descripta usia accidentium definitionem necessarium ordo poscebat.* Et lib. 5. Trinit. cap. 5. *In rebus creatis (inquit) atq; mutabilibus, quod non secundùm substantiam dicitur, restat, ut secundùm accidens dicatur, omnia enim accidunt ei, quæ vel amitti possunt, vel minui, ut magnitudines & qualitates, & quod dicitur ad aliquid, ut amicitiæ, & propinquitates, servitutes, similitudines, æqualitates &c.* à quibus accidentibus Sanctus Doctor excludit relationes divinas, quæ non sunt accidentia prædicamentalia, dicens: *In Deo nihil quidem secundum accidens dicitur, quia in eo nihil mutabile est, nec tamen omne, quod dicitur, secundùm substantiam dicitur, dicitur enim ad aliquid, sicut ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non est accidens;* & addit rationem dicens: *quia & ille semper Pater, & ille semper Filius, & non it a semper, quasi ex quo natus est Filius, ut ex eo, quòd nunquam desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater, sed ex eo, quod semper natus est Filius, nec cœpit unquam esse Filius, quòd si aliquando esse cœpisset, aut aliquando desineret, Filius secundùm accidens diceretur.* Secundò ex authoritate Aristotelis tàm in cap. de Categ. quàm in Metaphys. lib. 5. ubi ex professo eam enumerat tanquàm aliud genus entis, & 10. Met. cap. 5. t. 9. docet. relativam oppositionem esse aliam à contrariâ, sed hoc esset falsum, si relationes non essent alterius naturæ ab extremis. Item alibi docet: relationem similitudinis, vel æqualitatis fundari supra unitatem. Ex quo infero: Ergò illa unitas, super quam fundatur similitudo, non est ipsa similitudo pro formali, sed pro fundamentali; ergò relatio pro formali debet esse aliquid superadditum utriusque extremi entitati.

Ex authoritate D. Augustini duo ego sumo argumenta secundùm rationem sic: Pobando Conclusionem: In divinis secundùm fidem & Augustinum supra dantur relationes; ergò in creatis. Probatur consequentia: Relationis Ratio est communis, tàm divinis, quàm creatis; sed in divinis dantur; ergò etiam in creatis. Probatur ma. Si ratio relationis in divinis & creatis non esset communis, id esset, quia in Divinis debet esse, & est substantia; in creatis verò debet esse accidens, sed hæc ratio non est, ergò: probatur mi. Ratio intellectionis, volitionis & sapientiæ dicitur esse communis sapientiæ increatæ, & creatæ, licèt prior sit substantia, posterior accidens, ergò à pari, licèt relatio in divinis sit substantia, in creatis potest esse accidens, quâ majori certâ tenet syllogismus probans consequentiam primi entymematis; si enim est ratio communis utrobiquè, & in Deo datur; ergò etiam in creaturis.

Alteram rationem desumo ex eâdem authoritate D. Augustini dum dicit: Quòd si filius *aliquando desineret, aut aliquando esse cœpisset, secundùm accidens diceretur* hoc modo: Illud est accidens de genere accidentis, quod advenit enti completo, estq; ab eo separabile; sed relatio est talis; ergò relatio est accidens realitèr distinctum à fundamento suo. Probatur mi. (nam major est tùm ex mente D. Augustini, tùm in Scholis receptissima:) probatur (inquam) minor, quòad primam partem; Quia similitudo, æqualitas, &c. Paternitas, filiatio, adveniunt jam rebus per se constitutis. Probatur etiam quoad alteram partem: Illa sunt separabilia à se invicem, quorum unum potest esse sine altero, sed fundamentum tàm remotum, quàm proximum, possunt esse sine relatione, verbi gratiâ, in pariete vel rosâ, quæ

potest

potest esse sine albedine, & albedo sine similitudine, ut si unum tantùm album esset in rerum naturâ, ergò est accidens separabile à fundamento. Probatur mi. de fundamento proximo: Omnis denominatio nova positiva, & realis debet provenire à formâ novâ & reali; sed denominatio similis, quâ denominatur subjectum simile alteri albo subjecto, quod de novo producitur, est denominatio nova & realis, nova quidèm, quia antecedentèr ad productionem alterius albi non erat; realis verò, quia antecedentèr ad omnem operationem intellectûs vel alterius potentiæ potentis fingere vel comparare, præterquàm quòd sit etiam inter extrema realia, ac reali repertâ ratione fundandi; ergò debet esse aliqua forma de novo producta.

VII.

Dices: Relationem illam non advenire de novo, quia jam ante præfuit completè, sed tantùm non denominasse subjectum ex eo, quia defuit conditio, ad actualem denominationem relationis, scilicet terminus; sed hæc Responsio omninò est absurda, nam si illa relatio non advenit, sed jam præfuit completè, sequetur, quòd fuerit relatio, sine termino in esse completo, quod est manifestè ridiculum, & captu perdifficillimum. Sequetur secundò, quòd aliqua forma posit esse insubjecto absq; eo, quod subjectum denominet, imò non videtur, quomodo posteà, posito termino, denominare posset, cùm anteà non poterat, quod sic probo; quia post positionem termini non magis est in subjecto, quàm ante fuerit, sed ante non poterat denominare; ergò nec modò potest, quia terminus est tantùm conditio secundùm ipsos.

Instabis. Hoc esse proprium effectuum connotativorum, ut non tribuantur à formâ informante subjectum, nisi ponatur id, quod necessariò connotatur, ut patet de visione, quæ licèt poneretur in subjecto, non denominaret id, quia hic effectus connotat subjectum vitale; ergò potest esse verè relatio absq; eo, quòd denominet subjectum actualitèr.

Sed Resp. neg. consequentiam: disparitas est de connotatis & relativis, quia relatio per se, primò respicit aliud & directè, ut pater filium, connotatum verò indirectè & secundariò ac minùs principalitèr, ideò benè in suo esse formali haberi potest, absq; eo, quòd actualitèr denominet, nisi ponatur illud, quod connotat, nam concretum *album* primariò significat formam albedinis, secundariò verò subjectum.

Sed Contra secundò principalitèr: Si relatio, ut denominet subjectum, præsuponeret terminum solum per modum conditionis, sequetur, quòd eodem modo licebit dicere: objectum etiam requiri per modum condicionis, ut potentia, verbi gratiâ, visiva dicatur videns, ita quòd non eliciat novum actum, sed jam anteà fuisse videntem, sed non habuisse conditionem ad denominandam eam videntem, quod est absurdum. Sed respondendo

Dices: Potest Princeps & Dominus terræ dicere subdito delinquenti Titio, nisi Mævius pro te intercesserit, cras exulabis; si Mævius non intercederet, ipsum conditionatum decretum posità conditione transiret in absolutum; ergò similitèr posità conditionatâ relatione, vel visione, si objectum poneretur & conditio, transiret etiam in absolutè videntem. R. negando consequentiam, quia magna est disparitas à moralibus ad Physica, quia relatio est actuale exercitium, quo unum respicitur ab alio, quod statìm ut in aliquo est; alterum necessariò respicit, sicut etiam visio, est actus, qui esse non potest, nisi potentiâ & objecto proposito.

VIII. *Solvuntur authoritates ex D. Augustino.*

Opponitur Authoritas D. Augustini lib. 5. Trinit. cap. 16. ubi dicit: *Si ergò nummus potest nullâ sui mutatione toties dici relative, ut neque cùm incipit dici, neque cum definit aliquid in ejus natura vel formâ, qua nummus est, mutationis fiat, quantò facilius* &c. Respondeo: Divum Augustinum tantùm velle, quòd nummus relativè dicatur, absque aliquâ sui mutatione, intelligendo per mutationem propriè dictam, quâ aliquid absoluti in aliquo producitur, non verò quòd ibi non sit mutatio impropriè dicta, quâ mutatur aliquid per formam resultantem, quâ nunc aliquid se alitèr habet, quàm anteà habuit, quomodocunque fiat, dummodò per eam ponatur aliud genus entis, sicut ex Augustino ipso est prædicamentum *ad aliquid*, quod æq; ab usia distinguit, sicut quodcunq; aliud; quòd si autèm non esset aliquod distinctum, rueret denarius numerus prædicamentorum, quem tamèn ex mente Aristotelis definit: imò cap. 7. Categ. dicit expressè: *Aristotele docente cognoscimus eorum genera, quæ sunt inter se diversæ, nec differentias easdem posse esse, nec species, alia est enim differentia, dum quæritur, quid sit, alia dum quale sit, alia dum quantum sit &c.* Et consequentèr etiam *ad aliud*.

Instatur: Divus Augustinus non distinguit ullo modo realitèr prædicamenta inter se; ergò licèt aliqua relativè dicantur, cùm hoc non fiat, per aliquam mutationem, ut dicit S. Doctor, non erit verum accidens reale distinctum à subjecto, quia nihil est tale, nisi quod per veram actionem producitur: probatur ant. quia Categ. 12. ait: *non esse importunum, si una res duarum Categoriarum vocabulo concludatur*; ergò. R. negando ant. ad cujus probationem dico: Sanctum Doctorem tantùm velle, quòd aliquando vocabula sint, quæ sunt æquivoca, ac proindè posse significare, tàm benè rem unius prædicamenti, quàm alterius, sicut supra dixi de figurâ & formâ, quæ & significat debitum, & ordinatè determinatum aliquem partium situm, & ipsam linearum terminationem, & secundùm unam vocabuli acceptionem ad prædicamenti quantitatis, secundùm aliam, ad qualitatem ab Aristotele collocatur; unde non dixit: rem duorum prædicamentorum esse eandem, sed eodem vocabulo concludi. Unde ibidem præmisit: Quamvis ipse quoq; Aristoteles magnus ingenio (quem explicat hic) huic penè permixtioni concesserit ac dixerit, posse contingere, ut, quod qualitatis fuerit, idem referatur ad aliud, nec esse importunum addens &c. Unde R. 2. negando ant. cujus probat. dist. non esse importunum, ut res duarum Categoriarum vocabulo concludatur essentialitèr per utrumque, nego

ant. essentialitèr per unam & denominativè per aliam, concedo ant. & nego consequentiam, nam habitus in entitate suâ est substantia, secundùm applicationem formatam, ad corpus est quid respectivum, & particulare constituit prædicamentum.

Urgetur. Libro 9. Trinit. cap. dicit S. Augustinus: *Pars relativè ad totum dicitur*, sed pars, nec est æquivocum vocabulum, nec denominativè potest in alio prædicamento poni; ergò licèt aliqua relativè dicantur, non per hoc statim nova aliqua forma realitèr distincta, resultare debet, & consequentèr, si relatio advenit sine mutatione, non erit accidens distinctum. R. dist. ma. & explicando S. August. Pars relativè ad totum dicitur relatione secundùm esse prædicamentali; nego ma. relatione secundum dici, quæ est illa, quando principalitèr significatur aliquod absolutum, secundariò verò & connotantèr aliquid respectivum, & de his quidèm verum est, quòd non distinguantur, de relatione autèm prædicamentali expressè docet Sanctus Doctor, quòd sit aliquid aliud ab eo, cujus est relatio & consequentèr aliquid distinctum: nam lib. 7. Trinit. cap. 1. ubi explicans naturam Relationis, quòd sit esse ad aliud, ait: *Huc accidit, quia omnis essentia*, (id est, quodlibet fundamentum, ut patet ex contextu) *quæ relativè dicitur, est etiam aliquid excepto relativo.*

IX. *Solvuntur authoritates ex Aristotele.*

Opponitur 2. Authoritas Aristotelis 5. Phys. t. 10. & 11. ubi dicit: ad relationem non dari motum; sed nihil reale distinctum potest alicui advenire, nisi per motum ad illud; ergò cùm ad relationem non datur motus, relatio non erit quid distinctum ab extremis. Item 14. Met. cap. 3. Ubi dicere videtur, relationem non esse Ens; ergò nec erit accidens aliquod ab extremis distinctum. R. Ad primum locum, quòd Aristoteles ibi non neget, universalitèr dari motum ad relationem, quia expressè concedit, quòd detur motus ad ubi, quod, ubi vera est relatio, licèt extrinsecùs adveniens, unde si loquitur de relationibus intrinsecùs advenientibus, tunc respondeo dist. ma. ad relationem non datur motus per se, & immediatè, concedo ma. per accidens & mediatè, nego ma. Per motum autèm per se intelligo eum, qui immediatè requiritur ad hoc; ut aliquid ponatur ad esse; per accidens verò, quando aliquid sequitur, quasi ad motum, vel productionis alicujus, quare distinguo etiam mi. nihil reale acquiritur, nisi per motum per se, vel per accidens; concedo mi. per se tantùm, nego mi. & consequentiam, quia reverà ad relationem non datur motus, sicut datur ad frigus, vel ad calorem, & ad quamcunq; formam absolutam, benè tamèn datur motus, qui in alio præsupponitur, ad quem posteà relatio resultat, sicut positâ actione generativâ in Titio, resultat relatio Paternitatis ad Mœvium. Ad secundam Authoritatem dico Aristotelem tantùm velle, quòd relationes sint entia valdè diminuta, aut non esse entia, sicut dixit alibi, nullum accidens esse ens, scilicet univocè ad substantiam, aut denique non esse sensu perceptibile.

X. *Duæ rosæ sunt sibi similes ante relationem tantùm fundamentaliter.*

Arguitur 1. Illud commune axioma, opponendo non sunt multiplicanda entia, sine necessitate, sed nulla est necessitas ponendi inter duo alba aliquam relationem similitudinis; ergò frustra hoc asseritur: probatur mi. positis duobus extremis, tanquàm fundamento & termino ac ratione fundandi ex solâ coexistentiâ, poterunt sibi dici similia, verbi gratiâ, duæ rosæ albedine affectæ, sed hæc coexistentia non est relatio intrinsecùs adveniens; ergò gratis multiplicantur relatione, & maximè intrinsecùs advenientes. R. concedendo ma. negando mi. cujus probationis majorem distinguo: poterunt sibi dici similia per similitudinem, quæ sequitur ad extrema, simul existentia, concedo ant. per solam coexistentiam præcisè, nego ant. Et hoc necessariò videtur dicendum, ipsam scilicet coexistentiam duorum extremorum esse distinctam à similitudine, quia coexistentia variatur cùm sit quid successivum, dicens ordinem ad tempus, quod est quid successivum, non tamen similitudo, sicut nec albedo quæ est fundamentum ejus. R. 2. breviùs distinguendo eandem majorem aliis terminis, sunt sibi similia fundamentalitèr, concedo formalitèr, nego ma. nec hoc voluntariè dicitur, nam ipse Aristoteles censuit superaddendas esse relationes formales.

Instatur: Duæ similitudines sunt sibi ipsis similes, sine nullâ aliâ additâ; ergò etiàm duæ albedines erunt sibi ipsis similes, sine ullâ similitudine; ergò non solum fundamentalitèr, sed etiam formalitèr erunt sibi similes. Probatur consequentia prima, quia non est ratio, quarè duæ similitudines sint sibi similes, nullâ aliâ similitudine superadditâ & non etiam duæ albedines. R. negando consequentiam, disparitas est, quia similitudines sunt ratione formales reddendi similes, ut quo & non tantùm, ut quod, sicut sunt duæ albedines; unde si darentur aliæ similitudines, quibus essent similes, daretur processus in infinitum; & sic quemadmodum ad unionem non datur unio, ad actionem non datur actio, ad inhærentiam non datur inhærentia, ad dispositionem nō datur dispositio, ad potentiam non datur potentia, sic ad similitudines duas non datur similitudo, quia sunt rationes formales, quo extrema verò non rationes formales, quibus, sed quæ fundant relationem similitudinis.

Urgetur: Propter processum in infinitum, non admittitur alia similitudo, quâ sint sibi similes duæ similitudines, sed hic processus etiam sequitur, si admittatur, quòd duo extrema sint similia, per similitudinem superadditam; ergò similitèr non est admittenda. Probatur mi. quia illa similitudo referretur iterum ad aliam albedinem per aliam similitudinem, & altera iterùm per aliam. Et sic in infinitum. R. negando mi. ad cujus probationem dico, quòd non referretur iterùm per aliam similitudinem, sed statim dabitur status in eâ relatione, quæ non habebit terminum sine quo posset esse, ad quem referatur, per aliam relationem à se distinctam, verbi gratiâ, similitudo inter rosam *A.* & *B*, & similitudo inter rosam *C.* & *D.* fundant relationem duarum similitudinum, illa tamèn relatio fundata supra istas duas similitudines non est similis similitudini, quæ fundatur

datur in similitudine rosæ *A.* & *B.* per similitudinem à se distinctam, quia nequit esse relatio ista similitudinis, quin sit similitudo inter rosam *A.* & *B.* & inter rosam *C.* & *D.* Sed

Replicatur. Si non processus in infinitum, saltèm in quolibet subjecto continuo possent esse infinitæ relationes, sed hoc implicare videtur inconvenientiam, ergò; probatur sequela, quia in quolibet continuo sunt infinita puncta, sed in quolibet puncto posset fundari relatio similitudinis, ad omnia alia puncta, & ad omnia puncta omnium continuorum, ergò. Probatur etiam minor, quòd videatur involuere implicantiam, quia sequeretur, quòd pereunte uno puncto, mutarentur omnia alia, tàm in eo continuo, quàm in toto universo, quod probatur, quia omnia puncta totius universi amitterent similitudinem, ad illud punctum, quod periit, imò licet non periret, dum modò amoveretur ab aliquo loco ad alium, jam totum universum mutaretur, quia acquirerentur novæ relationes, propinquitatis & distantiæ omnium rerum, quas anteà non habuerunt; ergò, ad cavendas hujusmodi implicantias melius dicitur, quòd omnes res sint similes sibi per solam coexistentiam. R. 1. negando ma. ad probationem dico, quòd puncta & omnes partes alicujus continui constituant unam relationem similitudinis vel dissimilitudinis, prout fuerit ratio fundandi, non verò plures, nisi fortè partiales. R. concedendo maj. quia nulla apparet implicantia, nec timendum cum Adversariis, quòd ipsi puncta nec essarium, hoc punctum opprimendum fore, non enim habent difficultatem & gravitatem in entitate, & si habet aliquam in intellectu aliquo est, quia est valdè grossus, ad probationem minoris; R. distinguendo eam, mutarentur omnia alia, mutatione impropriè dictâ concedo, propriè dico nego. Unde nullum ex hoc inconveniens sequitur, imò maximè videtur necessarium, admittere talem mutationem, imò ipsi Adversarii inconvenientiam, si quæ est, non effugiunt: nam si relatio nihil aliud est, quàm aliqua complexa, aut duorum coexistentia, vel aliquæ formalitates, tunc paritèr possum dicere, ad destructionem unius extremi, tot destrui complexa, tot coexistentias, tot formalitates, quot destruuntur relationes apud nos, quæ omnia etiam mutatione totius universi, fieri nequeunt, quia totum universum dicebat coexistentiam ad illud extremum, quod destructum supponitur; ergò etiam totum universum mutatur, quare non video, an Scotistæ & Thomistæ plus universo inferant damni, in quotidianâ tali relationum destructione, quàm Nominales in destructione tot complexorum & tot coexistentiarum? ita ut festucam apud nos vidisse deprehendam, & non cognovisse trabem in oculis ipsorum. Ad alterum autèm, quòd videlicet etiam ad notum cujuscunq; minutissimæ rei varietur totum universum, quia in omnibus resultant relationes aliæ propinquitatis & distantiæ, quæ anteà non fuerunt, in quo putant magis se liberos. R. 1. Æq; adversarios hoc debere admittere, nam ad motum vel positionem, & variationem cujuscunque rei minutissimæ variantur complexa & coexistentiæ; ergò non manent liberi ab hâc difficultate, probantur: ante non habebant hanc specie & numero coexistentiam, & modò habent, ergò etiam variantur & consequentèr æq; mutari debebit totum universum. R. 2. Non debere videri nec dici difficile, vel inconveniens illud, quod, vel ad minus simile, & quodammodo majus natura cavere non potuit, nam etiam ad motum digiti mei, vel muscæ, si non totum universum mutari & moveri debet, vel saltem secundum maximam partem, quod longè superabit muscam, aut digitum; ergò si hoc natura non potuit cavere, nec inconveniens, quòd non caveatur mutatio impropriè dicta, quæ fit ad positiones, vel destructiones aliquarum relationum, cum hæc non nisi intellectu animadvertatur, motus ille autèm sit etiam sensu perspicaciori perceptibilis; quòd autèm ad motum digiti alicujus, vel etiam muscæ debeat, vel totum vel saltèm maxima pars moveri, patet, quia si moveo digitum, vel etiam musca se movet, tunc necessariò aërem amovet à loco, in quo prius erat, & hic iterum alium, & ille alter iterùm alium, qui in locum moti succedat, & sic consequentèr, si non in infinitum, saltèm per maximam & notabilissimam partem; quòd autèm sic movere debeat, probatur; quia aër non se penetrat, cum alio aëre; ergò prior alium pellit, & ille alter tertium, & sic deinceps; ergò unus alterum necessariò movet, ut alterius locum occupet.

Arguitur 2. Nihil reale potest esse absq; causâ reali, sed similitudo, quæ de novo produceretur in albedine, non haberet aliquam causam realem; ergò non datur talis distincta realitèr à fundamento & termino; ma. patet, quia quidquid de novo est, ab alio est; minor probatur: quia non potest assignari, quæ nam sit illa causa? R. negando mi. cum suâ probatione, causa enim similitudinis est ipsum fundamentum proximum, à quo per resultantiam necessariò pullulat relatio, quando ponitur terminus.

XI. *Causa relationis est fundamentum.*

Instatur. Omnis causa naturalis productiva alicujus effectus, necessariò producit effectum, quando passum est debitè applicatum; sed album est causa naturalis, & in ordine ad producendum effectum in se ipso est debitè applicatum; ergò omnem effectum, quem potest in seipso producere, producet, si miraculosè non impediatur, sed subsumo: album potest naturalitèr existere, quin in se producat similitudinem, si terminus ejus non existeret; ergò album non est causa productiva similitudinis in seipso. R. dist. ma. quando omnes conditiones ad producendum adsunt, concedo ma. si non adsunt, nego ma. similitèr distinguo mi. & consequens cum subsumpto, & nego consequentiam, nam coexistentia cum termino est conditio necessariò requisita ad hoc, ut resultet relatio.

Urgetur. Potest fieri, quòd terminus relationis albi existentis Comencii produceretur Cistercii; ergò hoc album non habet pro conditione necessariò requisita terminum: probatur consequentia; quia sicut omne agens habet determinatam sphæram activitatis, ita

etiam necessariam, videtur, quòd conditio requisita debeat habere determinatam & certam præsentiam; sed nullum agens habere potest suam conditionem necessariò requisitam, in tantâ distantiâ existentem; ergò terminus existens Comencii non potest esse conditio relationis existentis Cistercii. R. negando consequentiam, ad cujus probationem distinguo ma. omne agens habet determinatam sphæram activitatis, quod producit formam absolutam, concedo; quod producit solùm respectivam, nego ma. & distinctâ similitèr mi. nego consequentiam; disparitas autèm est, quia quando producitur effectus aliquis absolut⁹, requiritur ut adsit causa Physica, per Physicum influxum illum attingens, non verò in productione relationis, quia quando ponitur terminus, tunc ipse non concurrit per Physicum influxum, sed per meram conditionem, hinc non obstat, quò minus in quâcunq; distantiâ produci possit.

XII. *Dantur denominationes extrinsecæ sine novâ formâ, non tamen intrinsecæ.*

Arguitur 3. Multæ dantur denominationes novæ, sine formâ superadditâ fundamenti; ergò denominationes relativæ possunt etiam sic salvari, & consequentèr frustrâ ponuntur in fundamentis, à quibus istæ denominationes proveniant. R. 1. distinguendo ant. multæ denominationes intrinsecæ, nego ant. extrinsecæ concedo, & similitèr distinguo primum consequens, denominationes relativæ extrinsecæ transeat intrinsecæ, nego consequentiam utramq;. R. 2. Negando ant. vel potius distinguendo, multæ dantur denominationes sine formâ extrinsecâ vel intrinsecâ, nego ant. sine formâ intrinsecâ, concedo ant. & nego utramq; consequentiam, quia esse visum, esse cognitum, licet non sint formæ intrinsecæ rebus, quas sic denominant, sunt tamèn extrinsecæ, unde si non ponatur forma relativa intrinseca alicui extremorum, quâ denominetur, simile vel æquale non poterit assignari nova forma, à quâ proveniat denominatio illa realis nova, nec esset ratio, quare illa denominatio poneretur in hoc albo potius, quàm in altero, &ècontra?

Instabis. Fundamentum relationis est proximè dispositum ad recipiendam relationem, dum ponitur terminus ejusdem relationis, & tamèn non erat sic ante, sed tunc non recepit aliquam novam formam, per quam disponeretur; ergò datur denominatio nova, sine omni formâ novâ. R. negando minorem, quia coëxistentia fundamenti & termini est illa nova forma extrinseca, à quâ denominatur fundamentum, sic proximè dispositum, unde coexistentia etiam vocari solet fundamentalitèr relatio.

Urgetur, si esset aliqua nova forma superveniens, distincta à fundamento & termino, posset Deus eam conservare, sine eo, quod esset in fundamento & termino; ergò saltèm non necessariò resaltaret, probatur. Quia Deus conservare quodlibet realitèr distinctum absque eo, quod unum insit in altero. R. negando ant. ad cujus probationem dico: illam veram esse, quando illud alterum non dicit necessariam connexionem & dependentiam, ad prius non verò, quando dicit, ut est in proposito.

Replicatur. Rosa *A* verbi gratiâ, non dicit necessariam connexionem ad relationem, ut in se habeat ex eo, quia potest esse sine illâ; nec dicit Rosa *B*. ergò poterit saltèm Deus conservare utramque rosam, absque eo, quòd dicant relationem ad se invicem, superadditam, velut accidens distinctum. R. dist. ant. Rosa *A* non dicit necessariam connexionem & sequelam ad relationem, si separatìm spectetur, concedo ant. idem est de Rosâ *B*. Rosa *A*. non dicit necessariam sequelam ad relationem, si spectetur veluti coëxistens Rosæ *B*. nego ant. unde licèt Deus posset conservare quodlibet prius, sine posteriori, absolutè loquendo, in quantum potest facere, verbi gratiâ, ut rosa *B* non coëxistat, positâ tamen coexistentiâ non potest conservare sine relatione, propter necessariam sequelam, sicut etiam multa alia conservari nequit, quæ necessariam dicunt sequelam, per emanationem, ut sicut tenetur communiter, subsistentia est posterior naturâ substantiali, & tamen Deus naturam substantialem conservare nequit sine subsistentiâ.

QUÆSTIO III.

An relatio terminetur ad absolutum, vel potius ad aliquid respectivum?

Sensus quæstionis est, an quando aliqua relatio refertur ad aliud, in quo dixi consistere ejus essentiam, an illud aliud, quod relatio respicit, veluti suum terminum, debeat esse aliqua entitas absoluta, an verò debeat esse aliqua entitas respectiva? verbi gratiâ, an quando Titius ut Pater refertur ad Mævium ut Filium, an Paternitas Titii referatur ad substantiam Mævii? an verò, an illam relationem, quam Mævius dicit, pro formali in quantum est Filius; item quando Ratio *A* refertur ad rosam *B*. relatione similitudinis, propter albedinem in utraq; subjectatam, an rosa *A* referatur ad albedinem rosæ *B*. an verò ad illam correlationem, quâ rosa *B* iterum refertur ad rosam *A*? & quæstio moveri potest tàm de relationibus mutuis, quàm de relationibus non mutuis, quales sunt, quæ dantur inter scibile & scientiam, &c. Circa quam Materiam Authores passim ternas enumerant solemniores sententias: prima dicit, quòd relationes prædicamentales, tàm mutuæ, quàm non mutuæ, terminentur ad aliquid relativum, seu quòd terminus non sit illa entitas, in quâ fundatur ratio referendi, sed quòd sit illa correlatio, quâ terminus iterùm fundamentum respicit, seu illa correlatio sit quid reale, seu quid rationis. Ita D. Thomas 1. p. q. 13. art. 7. quem sequuntur Cajetanus, Complutenses, Flandria, Sanchetz, Nazarius &c. quam etiam dicunt esse geminam Aristotelis mentem, & ut Pontius refert Christianæ Philosophiæ ac Theologiæ congruentiores, *invitantes*, inquit Pontius, *hoc speciosо encomio ad eam amplectendam, quos adducere nequeunt rationibus.* Secunda sententia est Scoti 1. d. 16. q. 1. & d. 30. q. 1. cum omnibus suis, quæ docet omnem relationem prædicamentalem, tàm mutuam, quàm non mutuam terminari ad aliquod absolutum, & nullam

I. *Sensus quæstionis.*

Tres sunt celebriores sententiæ.

nullam ad respectivum; Scotum & suos sequuntur, tùm celebriores aliqui Thomistæ, ut Capreolus, Soto, Soncinas &c. tùm plures Neutristæ, ut Suarez, Vasquez, Hurtadus, Onna, Murcia, Blancus & Comptonius, qui dum Scotum pro eâ citat, declarans, quâ mente de doctrinâ Scoti sentiat, inquit: ita *noster Scotus*, quod & alibi frequentèr facit. Tertia sententia est media; estq; aliquorum Thomistarum, qui nolente omninò à D. Thoma recedere ne congerentur cum Scoto, & veritate sentire, mediâ incedunt viâ, unde dicunt: quòd omnes relationes mutuæ terminentur ad aliquod respectivum, non mutuæ verò, utpote in quibus nulla est correlatio, terminari semper ad absolutum. Ita Ferrariensis, Rubius, Masius, Fonseca, Vallius, & multi alii. Et quamvis à Scoti sententiâ recedere non intendam, tamèn

II. Dico 1. *Non omnes relationes, sive mutuæ, sive non, terminantur ad aliquod absolutum.* Hanc quidèm sic propositam, nullibi vidi, de ejus veritate tamen dubitari non potest, nam colligitur ex Doctore 1. d. 28. q. 2. n. q. 3. ubi sic ait: *Universaliter loquendo non oportet concedere, terminum relationis esse oppositum*, id est esse absolutum, quod relativè opponitur suo fundamento.

Probatur Conclusio, quoad relationes non mutuas: Dantur multæ relationes non mutuæ, quæ nullum habent terminum absolutum; ergò non omnes relationes terminantur ad absolutum: probatur ant. dantur relationes, quæ terminantur ad negativa & privativa, imò etiam ad entia rationis; sed in istis non est aliquid absolutum pro termino; ergò dantur multæ relationes non mutuæ, quæ non habent aliquem terminum absolutum; probatur ma. Est vera relatio, non mutua, quâ scientia refertur ad suum scibile, sed scientia etiam refertur ad negationes & privationes, veluti ad aliquod scibile: ergò erunt veræ relationes, non mutuæ, quia sic scientiæ ut sic competit, quòd referatur ad scibile, competit etiam cuicunq; inferiori contento sub scientiâ, nec valet dicere, quòd de negationibus & privationibus non detur scientia propriè dicta, quia licet id verum esset, tamèn in ratione relationis, tàm benè scientia impropriè dicta, quàm propriè dicta, respicit suum scibile, licèt ex alio capite inter se differant; non differunt tamèn in ratione referendi, quia per hoc, quod album ut quatuor, sit magis simile albo, ut sex, quàm album, ut duo, variatur ratio relationis similitudinis generica, ergò ex eo, quòd unum dicatur magis propriè scientia, quàm alterum, non variatur tamen per hoc, quòd non æq; referat, unum atq; alterum, ad suum scibile. Probatur etiam minor, in argumento principalis antecedentis, scilicet, quòd ibi non sit aliquid absolutum. Quia quodcunq; excluditur à toto genere, non potest contineri sub aliquâ determinatâ specie, sed negationes & privationes excluduntur à toto genere entis positivi & realis; ergò excluduntur etiam à quâcunq; determinatâ specie & consequentèr relatio, quæ terminabitur ad illas, non terminabitur ad aliquod absolutum. Sed pro aliquo.

III. Dices: Licet illæ relationes non habeant pro termino aliquod absolutum, non habent tamèn etiam aliquod respectivum; ergò sufficit ut dicantur terminari absolutè ad aliquod absolutum. R. 1. negando consequentiam, quia dici non potest, quòd terminentur ad aliquod absolutum, si nullum adest absolutum; deindè licet fortè dici posset, quòd non terminentur ad aliquod respectivum, hoc non obstat conclusioni, quæ simplicitèr tantùm asserit, quod multæ dentur relationes non mutuæ, quæ pro termino nihil absolutum habent, ut probatum est. Deniq; R. 2. etiam sustinendo probabilitèr, quòd scientia de privationibus & negationibus terminetur ad aliquod respectivum, quia negationes & privationes sunt respectivæ in se; ergò scientia ad eas terminata terminatur ad aliquod respectivum. Probatur ant. tùm ex definitione earundem, quia definiuntur per ordinem, aliud, privatio quidèm, quòd sit carentia formæ in subjecto nato aptoq; ad habendam eam; negatio verò, quòd sit carentia formæ in subjecto inepto, habere eam quæ in se respectum & ordinem involuunt ad aliud; tùm, si non involuerent aliquod respectivum, non esset ratio, cur negatio hæc non lapis potius exciperet lapidem, quàm hominem? Item privatio visionis, cur potius tolleret actum videndi, quàm audiendi? ergò dicunt aliquod respectivum consequentèr, si scientia terminatur ad eas, terminabitur ad aliquid respectivum, & non ad absolutum; ergò in hâc acceptione citra mentem & præjudicium Doctrinæ Scoticæ sustineri posset, quòd relationes omnes non mutuæ non terminentur ad absolutum. Sed

Probatur secunda pars conclusionis: Quia secundum probabilem & usitatam, in Scholâ Scoti sententiam, una relatio fundare potest aliam, sed in illo casu, de quo, quæstione sequenti, non datur aliquid absolutum, pro termino relationis mutuæ; ergò universalitèr loquendo, non omnes ralationes mutuæ referuntur ad aliquod absolutum. Probatur mi. quia inter paternitatem Titii ad Mœvium, & Caji ad Vitellium resurgit relatio similitudinis, sed terminus hujus relationis similitudinariæ non est aliquod absolutum; ergò, &c. Probatur mi. quia terminus hujus relationis est Paternitas Caji ad Vitellium, sed Paternitas est quid respectivum; ergò illa relatio mutua terminabitur ad aliquid respectivum, & non ad aliquid absolutum, & consequentèr dicendum non est: omnem relationem mutuam terminari ad absolutum; & si sic intelligatur Conclusio, non puto, quòd habebit positivè multos inimicos, licèt etiam non habeat positivè aliquos amicos. Et hinc est, ut ponam pro mente Scoti conclusionum, & IV.

Dico 2. *Relationes non mutuæ exceptis casibus, & intelligentia prioris conclusionis non terminantur ad aliquod respectivum, sed simplicitèr ad aliquod absolutum.* Hæc est non modo ad mentem Scoti, sed & Scotistarum conformis. Et Probatur: Quia in his & similibus nulla datur correlatio in termino, ergò relationes non mutuæ non terminantur ad aliquod respectivum. Probatur ant. quia in nullo aliquo positivo reali objecto cujuscunq; scientiæ, datur correlatio ad scientiam; ergò quando scientia refertur ad V. *Relationes non mutuæ non terminantur ad respectivum.*

scibile, præter casus specificatos, non datur & terminatur relatio ad aliquod respectivum. Nec valet dicere, scibile referri ad scientiam relationis rationis, quia ante omnem operationem potentiæ cujuscunque potentis fingere, vel comparare scientia refertur ad scibile, sicut visio ad objectum visum; sed quando visio refertur ad rosam, verbi gratiâ, non refertur ad aliquod respectivum; ergò etiam quando scientia refertur ad rosam cognitam, non refertur ad aliquod respectivum; Etsi quis fictioni deditus aliquam relationem rationis fingeret, præterquàm quòd illius nulla sit necessitas & utilitas, non terminaretur adhuc relatio ad eam, quâ hæc supponitur esse vera & realis, & non fictitia, & consequentèr supponit etiam terminum realem, & non fictitium, cum tàm benè esse, *ad* quam esse *insit* de essentiâ ejus.

Dices: Scibile denominari sufficientèr relativum, per relationem scientiæ, quam terminat. Sed Contra: quia prius terminat scibile scientiam, antequàm denominetur relativum; ergò pro illo instanti relatio habet sufficientem terminum, sed tunc terminus non est quid relativum, ergò.

VI. *Relationes mutuæ terminantur ad aliquid absolutum.*

Dico 3. *Relationes mutuæ etiam non terminantur ad aliquid respectivum, sed ad absolutum illud, quod pro termino respiciunt.* Ita Scotus supra & probatur suis quasi verbis: Relativa sunt simul natura; ergò non potest una relatio terminari ad aliam, ant. etiam ipsi Adversarii concedunt. Probatur ergò consequentia: Si relatio aliqua non terminaretur ad absolutum, sed ad correlationem, relativa non essent simul natura, sed sunt ex mente etiam contrariæ sententiæ; ergò non terminatur ad respectivum. Probatur sequela ma. Relatio quæcunq; est illa, dependet à suo termino essentialitèr, sed si terminus relationis esset correlatio, hæc est prior; ergò relativa illa non essent simul natura, quia relatio illa jam præsupponitur antecedentèr, ad quam terminatur relatio, in fundamento existens: probatur mi. prioritas naturæ consistit in dependentiâ unius ab alio; ergò, si una relatio dependet ab aliâ, tanquàm à termino, erit posterior natura illa, tanquàm termino; ergò relatio non terminabitur ad correlationem, sed est. fundamentum illius correlationis, quod est quid absolutum. Confirmatur 1. Omnis relatio præsupponit terminum formalem, quem respicit; ergò, si paternitas, verbi gratiâ, respicit terminum formalem filiationem, paternitas supponit filiationem, estq; illa posterior & filiatio prior. Confirmatur secundò: Illud est terminus relationis, quod ponitur in ejus definitione, & à quo specificatur, & per quem explicatur, sed hoc non est correlatio, alioquin non possent specificari per eam, quia essent omnes ejusdem speciei, quia omnes terminarentur ad correlationem; ergò ille terminus erit fundamentum illius correlationis & consequentèr aliquid absolutum.

VII. Dices: Illud absolutum esse quidèm terminum, sed non formalem, benè tamèn materialem, & consequentèr, licèt per illud explicetur relatio, non fit veluti per terminum formalem, sed materialem. Verùmtamen Contra: Ille est terminus formalis relationis, qui sufficientissimè terminat relationem circumscripto omni alio, sed persona filii positâ generatione activâ, veluti conditione fundatâ supra potentiam generativam, quæ est ratio fundandi, seclusâ per impossibile filiatione, sufficientissimè etiam actu terminat relationem paternitatis, ergò.

VIII. Probatur Conclusio secundò. Id quod in uno principio est ratio fundandi unam relationem est ratio, eandem in altero terminandi, sed principium propriæ relationis eam fundat, secundum esse absolutum; ergò etiam eandem terminat secundum absolutum: probatur ma. Ratio fundandi est illa per quam redditur ratio, cur terminus terminet hanc relationem, respectu illius termini? sed eadem ratio redditur, propter quam unum extremum referatur ad alterum, & hoc ad ipsum, ergò. Probatur mi. nam quærenti, cur hæc rosa referatur ad illam, relatione similitudinis? quia est, respondetur, alba, vel rubra, & inquirenti iterùm, cur rosa illa terminet hanc relationem? dicitur ideò fieri hoc, quia est alba, vel rubra; sicut prior, & non quia in se habet relationem; ergò relatio non terminatur ad correlationem, sed ad absolutum, quod est fundamentum correlationis. Confirmatur Conclusio: Quòd relatio debeat referri ad suam correlationem, non provenit, nec ex naturâ relationis ut sic, nec ex ratione hujus relationis, quia videlicet mutua est, ergò ex nullo capite id asseri debet. Probatur ant. quoad primam partem, quia si hoc haberet ex naturâ relationis ut sic, ut patet, quia aliàs deberet etiam competere non mutuis, quod tamen falsum esse constat, quia in illis nulla datur correlatio, & fingere cum Cajetano, quasi eadem relatio, quæ est in fundamento, terminet etiam relationem, est inconvenientissimum, quia sic eadem res ad se ipsam referretur, ergò: nec etiam ex naturâ hujus relationis, quia si per impossibile non haberet ibi correlationem, adhuc terminaret illud absolutum, ergò.

IX. *Aristotelis loquentis de servo non ente servum de facto.*

Opponitur. Authoritas Aristotelis cap. 7. de Relatione, ubi asserit: quòd, si à servo aufferantur omnia alia relicto quòd servus sit, ad illum esse terminandam relationem Domini, & hanc relationem non posse subsistere, etsi reliqua omnia maneant, si à servo aufferatur hoc, quod est esse servum, verba ejus sunt: circumscriptis enim omnibus, quæ accidentia sunt Domino, relicto verò solo, quod Dominus est, semper servus ad ipsum dicitur; ergò ex mente Aristotelis relatio terminatur ad respectivum & non ad absolutum. R. negando consequentiam: nam ex Aristotele nunquam hoc inferri potest, quia cùm notantèr dixerit: relicto in servo hoc, quod est esse servum, reliquis omnibus circumscriptis, ad illum esse relationem terminandam, non dixit, relinquendam esse solam servitutem, sed servum in concreto, quod dicit servitutem & subjectum absolutum talis servitutis, quod sufficiens est ad relationem terminandam.

Instatur. Si relatio Domini terminetur ad absolutum, & subjectum servi, non ad ipsam

ipsam servitutem, sequeretur, quòd illa relatio non magis terminaretur ad filium (suppono servum esse filium non Domini sed Caji) quàm ad servum; ergò non potest relatio terminari ad servum pro absoluto, sed pro respectivo. Probatur sequela, quia illud absolutum servi est æq; filius, sicut est servus; ergò non magis terminaretur ad filium, quàm servum, sed ad filium terminari non potest, quia non præsupponitur actio generativa, terminata ad ipsum; ergò debebit relatio Domini terminari ad servum sub ratione servitutis, & non sub ratione specificativâ illius concreti: R. negando sequelam, ad cujus probationem dico: quòd licèt illud subsstratum servi sit etiam subsstratum filii, respectu Caji, quando tamen refertur Dominus ad illud, determinatur per rationem fundandi aliam, à ratione fundandi filiationem, adeoq; est ratio, quare potius referatur ad eum, veluti ad servum, & non ad filium; Ratio autem fundandi relationem servitutis est, quòd eum emerit, conduxerit, aut hæreditate possideat; econtra verò ratio fundandi filiationem est, quòd ab alio genitus sit, & quia Dominus ut Dominus non habet potentiam activam pro ratione fundandi, & actionem generativam pro conditione respectivè ad servum, non terminabitur ad illum non ut ad filium, sed ut ad servum.

Urgetur. Si Dominus terminaretur ad servum, ut absolutum, posset intelligi relatio Domini sine relatione servitutis, sed hoc fieri nequit; ergò non terminabitur ad absolutum specificativi, sed ad servum reduplicativè. Probatur minor: quia ut dicit Aristoteles: correlativa sunt simul naturâ & cognitione; ergò fieri nequit, ut cognoscatur Dominus terminari ad absolutum servi, absq; eo, quòd terminetur ad servitutem, pro formali & reduplicativè, alioquin non esset simul cognitione R. concessâ ma. negando mi. quia non video aliquam implicantiam, quare Paternitas non possit intelligi referri ad filium, priusquàm filius intelligatur, iterum referri ad Patrem per correlationem, cùm videamus quòd in relationibus non mutuis cognoscatur aliquid referri, absq; eo, quòd ibi fiat correlatio, cùm nulla sit; Ad probationem ex Aristotele dico: quòd ex eo non sequatur, ut una terminetur ad suam correlationem, sed tantùm, quòd propter necessariam concomitantiam simul resultent in eodem instanti reali & ità quòd simul possint cognosci, cognitis fundamento & termino, unde explicari potest sic dictum Aristotelis: quòd relativa sint simul cognitione, id est aptitudinaliter concedendo, actualiter negando. Sed

Arguitur. A paritate relationum divinarum: Paternitas in divinis habet pro termino filiationem; ergò etiam in creatis, probatur consequentia: quia, si ex relationibus divinis probari possunt, dari relationes; ergò etiam admitti debebit, si in divinis terminentur ad correlationem, quòd etiam sic in creatis contingat. Sed R. negando consequentiam, disparitas est, quòd filiatio in divinis sit constitutiva filii inesse personæ distinctæ realiter à Patre, cùm terminus debeat esse distinctus realiter à re relatâ, in creatis verò non est quæ constituit rem distinctam realiter inesse personæ, sed præsupponit eam rem constitutam; quòd autèm hæc sit disparitatis ratio, inde patet, quia aliæ relationes quæ in divinis, præter illas, originis dantur, in probabilissimâ sententiâ, verbi gratiâ, similitudinis, æqualitatis & identitatis, non terminantur ad suas correlationes, quia præsupponunt jam terminum suum reverà constitutum; quòd autèm tales relationes dentur in divinis, pro nunc suppono, in Theologiâ id ex professo probaturus & defensurus, quare licet, ex relationibus divinis, probatur etiam, quòd dentur in creatis, per hoc statim non sequitur, quòd divinæ in terminationibus eodem modo se habere debeant sicut creatæ. Deinde, si negaretur absolutè major, quid quæso adversarii inciperent? quod tamèn negare quis potest, maximè cùm non sit de fide determinatum, an relationes constituantur per solam relationem, an verò etiam per aliquid absolutum? de quo etiam in Theologiâ.

Instatur: Relationes divinæ distinguuntur à creatis per esse, *in*, non verò per esse, *ad*, ex eo scilicet, quòd creatæ sint in subjecto, non divinæ, creatæ accidentia, non sic divinæ, sed omnes relationes constituuntur per *esse ad*, non autèm per *esse in*, ergò si divinæ terminantur ad correlativum; ergò terminabuntur creatæ, & consequentèr ex terminatione nullâ oritur disparitas. R. dist. ma. tantùm nego, etiam concedo & nego mi. scilicet quòd relationes tantùm constituantur per *esse in*, quia æq; primò constituuntur per *esse in*, quàm per *esse ad*, & quamvis hoc non esset, persisteret tamen disparitas, quia relationes divinæ sunt personarum constitutivæ, non verò creatæ.

QUÆSTIO IV.

An una relatio possit fundare aliam?

De hâc quæstione potissimùm inter se concertant Angelicus & subtilis Doctor, quos in propriâ opinione quémque sequuntur sequaces eorum, D. Thomas itaq; Cajet. Ferrariensis, Soncinas, negant quòd una relatio fundare possit aliam; verùmtamen satis inconsequentèr, ut notavit Aversa, quia si semel conceduntur relationes à fundamentis distinctæ, non videtur, ratio negandi, quare non possint etiam fundari relationem novam, cùm omnia habeant requisita, sicut ipsa absoluta. Scotus econtra cum suis quos ex extraneis Durandus, Gabriel, Suaretz sequuntur: affirmant quòd una relatio possit fundari super aliam. Pro sententiâ intelligendâ notandum est, quòd relatio dupliciter considerari posset: primo modo *materialiter*, alio modo *formaliter*, seu *essentialiter*; quando accipitur posteriori modo, tunc est ipsa ratio referendi unum ad aliud, verbi gratiâ, paternitas est ratio, quare Titius referatur ad Mœvium; materialiter verò tunc accipitur, quando considerantur ipsæ entitates relationum in se, non sub istâ præcisâ ratione, quâ unum refertur ad aliud, unde si in priori acceptione negarent D. Thomas & Thomistæ nollem cum ipsis excitare jurgium, sed quia ut commu-

I. *D. Thomas negat unam relationem posse fundare aliam.*

Dupliciter potest considerari relatio.

communitèr exponitur, negat etiam in secundâ acceptione; ideò pro sententiâ Scoti & Scotistarum ad quæstionem contra D. Thomam

II. *Una potest fundare aliam.*

Dico: *Una Relatio potest fundare aliam.* Ita Doctor 2. d. 1. q. 5. H. & §. ad quæst. & in q. d. 6. q. 10. Hanc puto esse conformem menti Sancti Augustini, qui cap. 11. Categ. dicit: In omnes Categorias relatio videtur incurrere; ergò etiam in Categoriâ ad aliquid; sed alitèr in eam incurrere non potest, nisi una fundet aliam, eamquè terminet altera, ergò. Probatur primò Authoritate & ratione Scoti 4. d. 6. q. 10. n. 5. ubi sic inquit. Quia secundùm Eccelidem 5. Geomt. 2. in principio proportionalitas est similitudo duarum proportionum; ergò super proportionem fundatur similitudo; subsumo: sed proportio est relatio; ergò super relationem unam fundatur alia; probatur subsumptum; quia si dicam, sicut se habent sex ad duodecim, ita se habent duodecim ad viginti quatuor; sed tàm sex ad duodecim, quàm duodecim ad viginti quatuor relativè dicuntur; ergò est relatio, & inter utramque proportionem est similitudo, quia utraque se habet ut dupla, ergò. Probatur secundò: Quia quidquid ad veram relationem requiritur, ut possit in aliquo resultare, reperitur in ipsâ relatione; ergò una relatio potest fundare aliam. Probatur, quia ad relationem realem requiruntur extrema realia inter se distincta, tanquàm fundamenta remota, & ratio fundandi, tanquàm fundamentum proximum, & quòd illa sit accidens ab extremis distinctum, sed hæc omnia competunt relationibus; ergò habent omnia necessaria ad fundandam aliam relationem. Probatur mi. & accipiatur Paternitas Titii ad Mævium, & paternitas Caji ad Sortem; Istæ duæ paternitates sunt verè entia realia inter se distincta, habent etiam rationem fundandi relationem, quæ sit accidens ab utrâque distinctum, sed paternitas Titii ad Mævium, sicut paternitas Caji ad Sortem, sunt relationes; ergò super unam relationem potest fundare aliam: minor patet, consequentia est optima; sola ergò restat major explicanda, & inprimis quòd sint entia vera & realia ac distincta, dubium esse non potest, quia possunt sine se invicem existere; quòd etiam habeant rationem fundandi: quia duæ albedines ideò possunt fundare relationem similitudinis, tanquàm ratio fundandi, quia habent unitatem specificam; sed duæ paternitates habent etiam unitatem specificam; ergò etiam habent rationem fundandi relationem, quia non videtur, quare duæ albedines dici possint sibi similes similitudine superadditâ, & non etiam duæ paternitates; Quòd deniquè etiam ista similitudo sit accidens superadditum distinctum, hinc liquet: quia præsuppositâ unâ paternitate, si altera advenit, resultat relatio similitudinis, si iterum desinat, destruitur non secùs, ac quando ad positionem rosæ albæ *B.* resultat relatio similitudinis, distincta ad rosam albam *A*, & priori destructa iterum desinit, ergò una Relatio fundare potest aliam.

III.

Dices: Duas Paternitates esse quidem ad se invicem similes, sed non per aliquam similitudinem superadditam, benè tamen sibi-ipsis. Sed Contra 1. Nimis inconsequentèr loquuntur Adversarii, si enim duæ albedines non sunt sibiipsis similes, sed per similitudinem superadditam, quare etiam non sic sunt duæ paternitates; aut si duæ paternitates sunt sibiipsis similes, cur non etiam duæ albedines? Contra 2. Ideò colligitur, quòd duæ albedines sint sibi similes similitudine superadditâ, ab iis realitèr distinctâ, quia albedo potest esse sine denominatione similitudinis, sed etiam paternitas potest esse sine denominatione similis ad aliam paternitatem; ergò est eadem ratio, de similitudine duarum albedinum, ac de similitudine duarum paternitatum.

Instabis. Disparitatem esse, quia duæ albedines non sunt modi alborum, sed vera accidentia absoluta, non sic duæ paternitates, & sic super albedines fundari potest relatio similitudinis distincta, non verò super relationes, quia ad modum non datur modus, ut patet de unione, actione, &c. Sed R. negando, quòd non æq; posit fundari relatio super paternitates, sicut super albedines, ad rationem pro probatione allatam. R. distinguendo vulgatum illud dictum, ad modum non datur modus, in eodem genere concedo, in diverso genere nego; unde ad unionem non datur alia unio, benè tamen datur actio unitiva, ad ubi non datur aliud ubi, benè tamen actio productiva illius ubi, & sic de cæteris, Ratio est: quod in uno genere & ratio, *quo* in alio genere potest esse ratio, *Quod*, ut patet de quâlibet intellectione, quæ est ratio, *quo* repræsentatur objectum cognitum & intellectum, quæ intellectio potest habere rationem, *quod*, dum iterum per aliam cognitionem repræsentatur; sic quoque paternitas est ratio *quo*. Titius denominatur Pater & refertur ad filium, nec in hoc genere alius requiritur modus superadditus, si tamen consideretur paternitas in ordines ad aliam paternitatem, vel in ordine ad nigredinem vel albedinem, potest se & habere ut *Quod*, quia respectu alterius paternitatis fundat relationem similitudinis, respectu albedinis vel nigredinis relationem diversitatis. Sed Contra Conclusionem

IV.

Opponitur principalitèr authoritas Aristotelis 5. Met. ubi dicit: *similitudinem esse unitatem in qualitate, ità quòd illa dicantur sibi similia, quorum qualitas est una, & sic etiam* dicit ibidèm, *quòd æqualia sint illa, quorum quantitas est una, & eadem sunt, quorum substantia est una, quæ sunt tria genera relativorum principaliora, sed relatio nec est quantitas, nec substantia, nec qualitas, ergò* super eam nulla fundari potest relatio. R. cum Doctore, concedendo ma. dist. mi. non est quantitas substantia & qualitas in entitate suâ transeat mi. in modo essendi & prædicandi generico & specifico ac in quali, nego mi. & consequentiam. Unde Scotus dicit: si qualitas in rigore accipiatur, quòd relatio quidèm non sit qualitas; si verò accipiatur in laxiori acceptione in quantum, quid & quale in omnigenere reperiri potest, tunc relatio virtualitèr quid & quale appellari possunt, sicq; in omnigenere reperiri possunt, & in hoc modo duæ relationes ejusdem speciei dici possunt similes, secundùm unitatem unius relationis.

Instatur:

Instatur: Si unitas generica & specifica sufficiunt ad fundandam relationem, sequeretur, quòd in omnibus prædicamentis darentur relationes, sed hoc est inconveniens, ergò. Probatur ma. quia in omnibus prædicamentis datur unitas generica & specifica, ergò. Probatur etiam minor, quia sic non essent relationes prædicamentales, sed transcendentales, quia per omnia genera vagarentur. R. majorem esse veram, & de mente Sancti Augustini, qui clarè in categoriâ ad aliquid relationem per omnia prædicamenta vagari demonstrat, ut patet ex dictis supra, & negando mi. cum suâ probatione, quia relationes transcendentales non dicantur ideò præcisè tales, quia per omnia vel per plura prædicamenta vagantur, sed etiam, quia sunt suis fundamentis identificatæ, hinc licet aliquæ per plura prædicamenta vagarentur, si tamen adhuc essent realiter distinctæ, adhuc dicendæ sunt relationes prædicamentales. Sed ut proponam Achillem contrariæ opinionis, idcò proba.

V. Non sequitur processus in infinitum.

Arguitur Ex ratione: Si una relatio posset fundari super aliam, daretur processus in infinitum in relationibus realibus, sed hic ubique est vitandus, ergò. Probatur sequela ma. Quia paternitas secundum nostram sententiam fundat relationem similitudinis ad aliam paternitatem, & hæc è contra fundabit iterum aliam & ista etiam & sic in infinitum. R. negando ma. ad cujus probationem dico, quòd paternitas erit quidem similis alteri paternitati, sed similitudo ista non erit iterum similis per aliam similitudinem, sed se ipsâ, unde dabitur status in secundâ relatione, quia istæ statim seipsis referentur & ratio est, quia una non potest sine alterâ conservari: quia quando fundamentum nequit esse sine termino ad quem refertur, relatio quâ refertur, non est ab ipso realiter distincta.

IV.

Instatur: Licet similitudo unius paternitatis Titii ad paternitatem Caji non posset esse sine paternitate Caji, & paternitas Caji sine paternitate Titii, tamen potest esse similitudo istarum duarum paternitatum sine paternitate Socratis & Platonis, sed ad paternitatem Socratis potest fundare iterum aliam similitudinem, ergò responsio nulla. R. negando consequentiam, licet enim ibi esset adhuc similitudo, ex hoc tamen non sequitur, responsionem esse nullam, minus quòd argumentum staret de processu in infinitum, quia ibi dabitur status, cum quâ cæteræ, quæ concipierentur convenire in ratione fundandi & referendi, verbi gratiâ, duæ paternitates fundant relationem similitudinis inter se, si hæc similitudo conferatur cum alterâ quæ reperitur, in alias duas paternitates, ut est casus in argumento positus, seipsa dicitur similis illi, & non aliâ superadditâ, quia si ulterius pergas, semper invenies eandem rationem fundandi & referendi.

I. Studium Logicæ non est de plurib.

QUÆSTIO V.

An multiplicatis terminis multiplicentur etiam relationes?

Non controvertitur hic de pluribus terminis specie distinctis, quia sic certum videtur, quòd quotiescunq; multiplicantur taliter termini, multiplicentur etiam relationes; nam in eodem homine est alia relatio similitudinis, alia filiationis, alia æqualitatis, ex eo, quia in ipso reperiuntur diversi termini & diversæ rationes fundandi & referendi eum ad aliud; unde potissima lis est de terminis ejusdem speciei, qui solo numero inter se distinguuntur, verbi gratiâ, utrum paternitas eadem Titii sit, quâ refertur ad Cajum, Sortem, Mævium & plures alios & alios Filios? an verò sint plures paternitates? Circa quam materiam duplex est sententia extrema: Prima est, Thomistarum post D. Thomam 3. p. q. 35. art. 5. quodl. 1. art. 2. & quodl. 9. art 4. Cajetani, Soncinas, Rubii, Javelli, Sanchez, & olim jam fuerat Henrici, qui omnes affirmant unam eandemq; relationem numero esse quâ refertur, verbi gratiâ, paternitas Titii ad Sortem, Cajum, Mævium &c. eandem relationem esse similitudinis, quâ rosa A refertur ad b. c. d. e. f. &c. Altera sententia est subtilis 3. d. 8. q. un. & suorum quem præter suos sequuntur Fonseca, Suaretz, Blancus, Amicus, Hurtadus, Aversa, & plures Recentiores, qui omnes uno ore clamant, esse aliam & aliam relationem paternitatis, quâ Titius refertur ad Mævium ab eâ quâ refertur ad Sortem & Cajum &c. nec ullo modo talem relationum multiplicationem superfluere. Cum quâ sententiâ etiam tenendo in rei veritate nunc

II. *aliquando non multiplicantur.*

Dico 1. *Quando relatio aliqua ex specificâ suâ ratione petit referre suum fundamentum ad plures numero terminos, non debet ea multiplicari, sed sufficit una.* Hæc licet non sic proponatur à Scotistis, non videtur tamen in re ab eis, doctrinâq; Scoti dissentire.

Quare probatur Conclusio:

Genus essentialiter refertur ad plures species & species ad plura individua, sed nec genus, nec species referuntur ad sua inferiora pluribus relationibus; ergò quando relatio aliqua ex particulari ratione petit plures essentialiter terminos, sufficit una relatio: patet ma. ex supradictis, ubi asserui, nec genus Metaphysicum, nec Logicum, sicut nec speciem posse salvari sine pluribus inferioribus actû, vel potentiâ existentibus. Probatur mi. Quia si genus ad inferiora sua referatur pluribus relationibus, destruitur ipsa ratio generis, ergò probatur, quia si ibi plures essent relationes, quamlibet respiceret sub particulari specie; Sed sic quamlibet respiciendo non salvaretur ratio generis, ergò: probatur mi. quia ratio generis est, ut plures respiciat species, ita quòd in unâ salvari non possit, ergò destrueretur ratio generis, quæ essentialiter petit plures terminos non solùm numero, sed etiam specie distinctos. Similiter discurre de specie. Ex hinc confirmatur Conclusio. Totum dicit relationem dependentiæ ad partes, sed in toto sunt plures termini; ergò si particularis ratio obstat ad multiplicationem terminorum, non necessariò multiplicari debent relationes. Probatur mi. quia totum non modò unam, sed omnes respicit partes, sed quælibet pars habet rationem termini; ergò sunt ibi plures partes & consequenter, si particularis aliqua ratio adsit ad multiplicationem terminorum, non necessariò multiplicari

debent relationes. Et hæc conclusio sic probata, & intellecta, credo quòd non possit habere magnas difficultates, imò nec quòd contradicat sententiæ Scoticæ, ad quam modò conformitèr

III. *Aliàs multiplicatis terminis solò numerò distinctis multiplicantur relationes.*

Dico 2. *Multiplicatis aliosquin terminis, etiam solùm numero distinctis, multiplicantur relationes.* Hæc est non modò Scoti supra, sed & Scotistarum ac Recentiorum sat communitèr ut supra. Et Probatur primò authoritate & ratione Scoti 3. d. 8. q. 1. n. 8. Sicut paternitas fundatur super genuisse (intellige veluti conditione, quia propriè fundatur super potentiam generativam) ita hæc paternitas super hoc genuisse, & hæc filiatio super hoc genitum, fuisse; Ubi Scotus clarè insinuat, quòd multiplicatâ actione & potentiâ generativâ actuali multiplicetur etiam relatio; ergò multiplicatis numero terminis, multiplicantur etiam relationes. Probatur secundò ratione etiam ex Scoto desumptâ: Et pono casum, quòd Titius habeat plures filios, ad quos dicatur pater, nempè Mævium, Cajum, Sortem, &c. Quando Titius generavit primum filium Mævium, in illo resultavit relatio paternitatis simplicitèr loquendo, quâ dicitur Pater Mævii, & manet in illo per annum, antequàm generetur secundus filius Cajus, & tamen non denominavit ipsum patrem Caji; ergò illa paternitas simplicitèr fuit ante paternitatem secundam, & consequentèr erit in eo alia & alia paternitas, quia non est major ratio, quare ad generationem Mævii resultet paternitas, & non etiam resultet paternitas ad generationem Caji. Probatur consequentia illa, quòd videlicet in eo sit alia & alia paternitas, si non esset alia & alia paternitas in Titio, dum genuit Cajum ab eâ quâ genuit Mævium, sequitur quòd defuncto Mævio destruatur tota paternitas ad Cajum, sed hoc est inconveniens, ergò. Probatur sequela, secundùm Adversarios est unica relatio paternitatis ad Mævium, Cajum & Sortem, sed mortuo Mævio, destruitur tota relatio ad Mævium, ergò destruitur etiam ad Cajum & Sortem; aut si non destruitur, tunc eadem relatio manet & non manet, non manebit, quia ad Mævium est destructa, manebit, quia adhuc refertur ad Cajum & ad Sortem, quæ omnia quòd sint inconvenientia, quis non videt?

IV. Dices: Non destrui aliquam paternitatem in Titio, quando moritur Mævius, sed tantùm desiit denominatio extrinseca ad Mævium, non verò ipsa paternitas in se mutatur. Sed Contra Correlativa sunt simul naturâ, sed eorum, quæ sunt simul naturâ, quando ponitur unum, ponitur & alterum, & quando destruitur unum, destruitur & alterum; ergò sicut generato Mævio resultavit relatio filiationis ad patrem & paternitatis ad filium, ita etiam mortuo Mævio destruitur, & consequentèr, ista paternitas verè in se desinit & non tantùm per denominationem.

Instabis: Relationem in seipsâ non destrui, sed tantùm desinere secundùm aliquam extensionem, quia sicut ad positionem plurium filiorum non resultavit nova relatio, sed prior fuit tantùm extensa, ita etiam ad definitionem Mævii non desinit, sed desinit esse ita extensa. Sed Contra, illa extensio, vel est aliquid reale de novo adveniens subjecto, vel tantùm rationis; non rationis, quia nullo intellectu cogitante, vel aliquâ potentiâ considerante Titius de novo fit Pater Mævii; si reale nihil impedit, quò minus sit relatio nova cum illo posito, Pater ad illum referatur, & illo non posito, non referatur;

Respond. Esse quidem novam relationem, sed integrari cum priori, & sic esse unam adæquatam; Contra: vel intelligitur illa nova relatio ita integrari cum primâ, ut adhuc remaneat realitèr distincta, sicut est terminus ejus, vel quòd sit eadem realitèr cum eâ, si dicitur primum, habetur intentum; si secundum, tunc dico, quòd falsùm afferatur, quia illæ relationes nequaquàm sunt eædem inter se cum unâ possit esse sine aliâ.

Probatur Conclusio secundò V. specialitèr contra Thomistas ad hominem urgendo: Quia, ut illi fatentur multiplicatis specie terminis, multiplicantur relationes specie; ergò multiplicatis numero terminis, multiplicantur relationes numero. Probatur consequentia: Quia ratio multiplicabilitatis specificæ relationum est multiplicitas specifica terminorum; ergò etiam multiplicitas terminorum numerica causabit multiplicitatem numericam relationum. Probatur Consequentia: quilibet numero terminus est terminus potens terminare relationem sine dependentiâ unius ab altero, verbi gratiâ, quilibet filius terminare potest relationem paternitatis sine dependentiâ ab alio filio; ergò quilibet erit terminus formalis, & consequentèr quilibet potest producere novam relationem.

Dices: Frustrà poni duo accidentia in eodem subjecto simul, quæ sunt ejusdem rationis; ergò frustrà ponuntur plures paternitates in eodem homine ad plures filios. R. dist. si non præstent diversa munia, concedo ant. si præstent, nego ant. & consequentiam. Sed directè contra Conclusionem

Opponitur Authoritas Aristotelis 5. Met. t. 14. Ubi habet pro inconvenienti, quòd idem bis dicatur, sed si in Titio essent duæ paternitates, Titius bis diceretur Pater, semel per primam & alterâ vice, per secundam; ergò ex mente Aristotelis sequitur, in eodem patre non esse plures paternitates. Sed R. dist. ma. quæ distinctio erit simul explicatio Aristotelis, inconveniens est, ut idem bis dicatur, sub eâdem ratione, concedo ma. sub diversâ ratione, nego ma. & distinguo etiam mi. si in Titio essent duæ paternitates, bis diceretur pater eâdem relatione paternitatis, nego mi. aliâ relatione, concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; Aristoteles tantùm voluit, quòd in nullâ definitione aut alicujus explicatione bis repetatur, ut quòd aliquid bis sit animal, bis rationale.

VI. *In contra ut aliàs dicatur si eadem vi me.*

Instatur. Si Titius propter aliam & aliam relationem paternitatis posset dici bis pater, Titius non esset unus pater, sed plures, hoc est inconveniens; ergò non poterit bis pater, licet alia & alia sit relatio; probatur sequela, per primam paternitatem constituere-

tur,

tur, semel pater, & per secundam etiam constitueretur; ergò Titius non esset unus pater, sed plures. R. negando sequelam ma. Quia licet multiplicantur paternitates, non per hoc tamen constituent plures patres, quia ad multiplicationem formarum accidentalium non multiplicantur concreta, nisi multiplicentur etiam subjecta, ut patet de eo, qui habet plures scientias, verbi gratiâ, Philosophiam, Theologiam, Astronomiam &c. non dicitur plures scientes, sed unus sciens, sic licet Titius habeat plures paternitates, non per hoc debet dici plures patres.

Urgetur. In quocunq; subjecto repetitur aliqua forma, illa tribuit subjecto suum effectum formalem, sed paternitatis effectus formalis est constituere patrem; ergò si in Titio sunt plures paternitates, plures constituent partes, quia quælibet forma est nata, tribuere suum effectum formalem subjecto independenter ab alterâ, & consequenter etiam ad multiplicationem formarum accidentalium debent multiplicari concreta, quia formæ accidentales individuantur per subjecta concretorum. R. dist. ma. In quocunq; subjecto, &c. tribuit suum effectum formalem denominantem; concedo ma. ità ut subjectum novum constitueret, nego ma. similiter dist. mi. est constituere patrem, denominativè concedo mi. in esse subjecti, nego mi. & consequentiam; Quia licet quælibet paternitas communicet subjecto esse denominativum, non communicat & tribuit ei esse denominatum; unde non potest dici: Titius plures patres, benè tamen duplicitèr pater; ad illud autèm, quod dicebatur, quòd accidentales formæ indicentur per subjecta, falsum est, demonstravi supra, quia licet ab eis dependeant, non tamen dependent in esse formali constitutivo, sed effectivo & extrinseco. Per quod patet etiam, quid respondendum sit ad illud, quòd nonnulli pro instantiâ quærunt, an Titius sit idem Pater ad Mœvium & Cajum id est per eandem paternitatem? Si est idem; ergò per eandem paternitatem; si per aliam, ergò etiam erit alius pater, quia est fallacia consequentis; non enim sequitur, est per aliam paternitatem, ergò alius pater, quia ut multiplicatur aleitas patris, non sufficit, ut multiplicetur forma paternitatis, sed debet etiam multiplicari subjectum, quòd cùm hic non contingat, non dicitur etiam alius pater.

VII. *Non multiplicantur plures relationes.*

Arguitur. Gratis multiplicantur relationes numero, ergò. Probatur ant. gratis fit per plura, quod potest fieri per pauciora; sed per unam relationem totum haberi potest, quod præstant plures, ergò; illæ gratis multiplicantur: probatur mi. una potentia potest respicere plura objecta, & etiam plures actus; ergò, etiam eadem relatio plures terminos. R. negando ant. cum probationis min. & probat consequentia, quia nulla est paritas inter potentiam & inter relationem, quia relatio se habet per modum actualis exercitii, quod actualitèr ponitur & est; potentia verò se habet tantùm per modum potentis aliquid efficere, unde plura quidem respicere potest, non tamen illa plura actualitèr simul exercere, quia potentia volitiva respectum dicit ad posse amare, & non amare & tamen simul non potest idem objectum amare & non amare.

Instatur. Eadem est relatio in pluribus trahentibus currum aliquem, vel navim, ad aliud quodpiam pondus; ergò etiam in actuali exercitio relatio potest plura respicere, & consequentèr etiam eadem paternitas potest respicere plures terminos seu plures filios. R. dist. ant. est eadem totalis concedo ant. partialis nego, unde in pluribus trahentibus aliquid, est una relatio integrata ex pluribus partialibus.

Urgetur. Scotus dicit esse eandem numero relationem, ergò nulla responsio. R. Quod si Scotus quandoq; hoc dicit, quòd loquatur de relatione totali, sicut docet eandem relationem significationis esse in pluribus foliis hæderæ, licet ipse etiam admittat in singulis foliis esse aliquam partialem relationem.

QUÆSTIO VI.

Unde relationes desumant suam specificationem?

I. *Relationum specificatio à posteriori investigatur.*

Certum est, quòd quemadmodum reliquæ omnes res suam specificationem desumunt ab intrinsecâ & essentiali differentiâ rei constitutivâ, ità etiam accipere relationes suam specificationem, volo dicere: quòd sicuti homo habet suam specificationem à rationalitate, quòd sic etiam relationes habeant ab aliquâ intrinsecâ differentiâ; quia igitur pro hoc statu ignoramus, quænam sit illa differentia à priori? ideò sicut etiam in pluribus aliis ad extrinsecas differentias recurrimus, & diversitatem earum, undè à posteriori colligamus, quærimus? Hujus necessitatis ad sic recurrendum aliam rationem esse non puto, quàm minimam illarum entitatum, ut satis Scotus insinuat 2. d. 1. q. 4. n. 16. Hoc prænotato circa præsentem difficultatem, duplex est sententia extrema, una, media; Prima est S. Thomæ 3. p. q. 35. à 5. quem sequuntur Flandria Bannes, Nazarius Cajet. Bannes, qui omnes dicunt relationem desumere suam specificationem à fundamento, non verò à termino, quia ad eundē numerorum terminum possunt plures specie diversæ relationes terminari, ut ad eandem albedinem & relatio similitudinis & dissimilitudinis. Secunda sententia dicit, quòd à terminis & non à fundamentis desumenda sit relationum specificatio ex eo, quòd in eâdem entitate fundentur plures relationes, ità sentiunt plures Scotistæ, Soncinas Auraup. &c. tertia deniq; media dicit, quòd specificatio tùm à fundamento, tùm à termino sit desumenda, & hæc videtur magis communis Scotistarum, ut Joan. de Magistris Masit Zerbii, quos Suarez, Sanchetz, Complutenses, &c. sequuntur.

II. *Non specificantur à termino materialitèr sumpto.*

Dico 1. *Relationes non possunt suam specificationem extrinsecam desumere à fundamento, vel termino materialitèr sumpto.* Hæc est extra controversiam & Probatur brevitèr; Quia si fundamentum & terminus materialitèr spectetur ad eundem specie terminum, possunt relationes specie diversæ terminari; ergò nec à fundamento nec à termino materialitèr sumptis specifican-

cificantur relationes. Probatur ant. quia ad eandem albedinem terminatur relatio similitudinis & dissimilitudinis, sed istæ sunt relationes specie diversæ; ergò ad eundem terminum materialitèr sumptum plures relationes specie diversæ terminari possunt.

III. *à pluribus specificari possunt.*

Dico 2. *Relationes specificæ, quæ non petunt essentialitèr terminari ad plures terminos diversæ speciei, specificari possunt à fundamento proximo, vel termino proximo, vel ratione fundandi.* Hæc apud authores sic non proponitur, in re tamen est cum tertiâ sententiâ, & Probatur quoad singulas partes. Quia quando sunt duæ relationes talis naturæ, quòd una respiciat essentialitèr aliquid, quod non respicit essentialitèr altera; distinguuntur essentialitèr & specie; ergò benè desumi potest differentia specifica à fundamento proximo. Probatur ant. Spiratio passiva essentialitèr distinguitur à filiatione divinâ, sed non ex eo, quòd petant respicere diversum terminum, quia respiciunt eundem terminum, & si per impossibile non haberent diversas rationes fundandi, seu diversas processiones; ergò quando non petunt terminari ad plures terminos specie distinctos, benè desumitur specificatio à fundamento proximo. Sed ne alicui negotium faceſcant relationes divinæ, probo id etiam ex creatis: Relatio diversitatis in homine & equo ad canem est diversæ speciei ob diversitatem fundamentorum præcisè, & eodem argumento probatur etiam secunda pars de illis, quæ respiciunt diversos terminos, verbi gratiâ, dissimilitudo & similitudo hujus albi ad illud album, & illud nigrum. Probatur tertia pars, quia secundum probabilem sententiam cognitio clara & obscura de eodem objecto distinguuntur specie, ex eo præcisè quòd habeant diversam rationem referendi.

IV. Dices: Totum esse relationis est ad aliud habere, id est, ad terminum; ergò non specificatur relatio à fundamento. R. dist. ant. totum esse relationis est ad aliud se habere, id est, tota sua essentia consistit in eo, quòd referat suum fundamentum ad suum terminum; concedo ant. ità quòd nihil respiciat, præter solum terminum; nego ant. & consequentiam simul, quia cum essentialitèr postulat relatio habere aliquid, quòd referat ceu fundamentum, quàm aliquid ad quod referat, scilicet terminum, non est ratio, quare magis sumeret suam specificationem ab uno, quàm ab altero; ergò si nec solus terminus, nec solum fundamentum dat esse relationi, nec etiam unum vel alterum solum dabit specificationem, sed hoc jam, jam illud juxta exigentiam, secundum quam petunt referri, ut conclusione specificavi; si verò casus conclusionis non est, tunc ab utroq; simùl desumere possunt suam specificationem. Et hæc limitatio valet ad occurrendum multis argumentis & ad ea solvenda.

Instabis: Quando producitur calor ab aliquâ causâ in instanti, & alius calor successivè est vera relatio causæ ad effectum in utrâq; productione, eaq; specie distincta sed fundamentum est idem, sicut & terminus, ergò, &c. ergò non benè potest desumi specificatio relationis ab utroq; R. dist. ma. quoad illam partem, quæ dicit, quòd sint diversæ speciei essentialitèr, nego ma. accidentalitèr concedo, ita videlicet, quòd in uno producantur plures partes simùl, in alio non, & sic etiam esset respondendum de aliis effectibus in instanti & successivè productis.

QUÆSTIO VII.

Quodnam sit supremum genus hujus prædicamenti?

Antequàm ad resolvendam quæstionem moveam manum, Prius prænotare oportet modus relativorum & relationum, quos Aristoteles 5. Met. cap. 15. assignat, qui sunt secundùm tres principales. I. *Tres sunt modi relativorum, primus fundatur super unitatem.*

Primus modus est eorum relativorum vel earum relationum, quæ fundantur *super unitatem & multitudinem*, ubi per *unitatem* non intelligitur numerica, sed quamcunque *convenientiam* & unitas aliquorum, sive sit posteà generica, sivè specifica. Triplex autèm est *unitas*, scilicet unitas *in substantiâ*, unitas *in quantitate*, & unitas *in qualitate*; similitèr etiam triplex est multitudo, nimirùm *in substantiâ, quantitate, & qualitate*; Relatio fundata super unitatem in substantiâ vocatur *identitas*, ut est inter hominem & brutum, propter rationem genericam inter Sortem & Cajum, ex specificâ insuper, qui dicuntur eandem habere naturam. Relatio quæ fundatur super unitatem in quantitate, dicitur *æqualitas*, & est quando aliqua duo habent convenientiam in quantitate, ut duo ligna bipalmaria; aliqui huc recensent etiam convenientias in perfectione; verùmtamen cùm non sit hic de quantitate virtutis, sed molis sermo, ex mente Aristotelis simplicitèr sunt excludendi. Relatio, quæ fundatur super unitatem in *qualitate*, dicitur *similitudo*, ut est relatio quâ rosa *A* dicitur, similis rosæ *B* propter albedinem, vel viredinem in utrâq; subjectatam; Econtrà verò relatio, quæ fundatur super multitudinem *in substantia* est ea, quæ habet disconvenientiam in essentiis seu naturis vel totalibus, ut homo & animal; vel partialibus, ut inter vivens brutum & plantam, & dicitur *diversitas*, quæ fundatur in multitudine quantitatis est *inæqualitas*, & quæ in multitudine qualitatis dicitur *dissimilitudo*. *Triplex est unitas.*

Secundus modus relativorum & relationum est earum quæ fundantur *in actione vel passione*, Circa quem modum satis inter se diversificant Authores, quæ diversitas suam habet originem ex multiplici acceptione actionis & passionis; nam primò accipitur pro mero respectu aptitudinali, videlicet pro factivo & factibili, seu pro agente in potentiâ, ad passum in potentiâ; sed in hâc acceptione huc non spectat, quia non est prædicamentalis, sed transcendentalis rei identificata. *Secundo modo* accipi potest actio & passio pro actuali respectu rei transmutantis ad transmutatum, & transmutati ad transmutans, ut est percutientis ad percussum; verùmtamèn nec in hâc acceptione huc inservit, quia est respectus extrinsecùs adveniens, qui particulare constituit prædicamentum, & se hic per modum conditionis tantùm habet, non verò pro ratione fundandi aliquam relationem hujus prædicamenti, quia tantùm durat per illud tempus, per quod durat actio II. *Secundus modus fundatur super actionem & passionem.*

actio, & postmodùm statim desinit, ratio verò fundandi in hoc prædicamento debet semper manere, quamdiù durat relatio. *Tertio denique* modo prout hic de eâ agitur, accipitur actio pro potentiâ activâ in actum reductâ, & passiva pro potentiâ passivâ producti, sicut se habet generatio activa patris ad filium, ubi relatio fundatur in potentiâ generante, & actio requiritur veluti conditio necessariò prærequisita. Et ad hoc genus reducuntur etiam exrelationes, quæ fundantur quasi in actione, ut est relatio discipuli ad Magistrum, Domini ad servum, quæ relationes fundantur in pactis, quæ moraliter censentur manere.

III. *Tertius modus fundatur per mensurari.*

Tertius modus relativorum ab Aristotele assignatus, continet relationes non mutuas, quæ fundantur *in mensura & mensurabili*, quales sunt scientiæ ad objectum, visus ad visibile, in quibus actus sciendi & videndi relationem dicunt ad objecta, objecta verò è contra non referuntur ad actus, hujusmodi autèm relationes censentur à multis transcendentales, & non prædicamentales, & quando eis opponitur Aristoteles; Respondent, eum locutum fuisse ad gustum vulgi, non verò quòd ipse sic senserit; attamèn quia Scotus videtur favere, quasi reverà sint relationes ad hoc prædicamentum spectantes, unde pro explicatione hujus rei, in quâ non modica est difficultas, sequentia subjicio notanda ex Scoto quodl. 13. per totum; Itaq; sciendum præter respectus, quos dicit actus ad potentiam elicientem, verbi gratiâ, intellectio ad intellectum; dicere etiam varios respectus ad ipsum objectum; primò enim dicit ad objectum relationem tendentiæ, quæ vocatur relatio *attingentiæ*, quia per illam potentiâ mediante suo actu, seu ipse actus attingit objectum, & hæc relatio est realis sibi actus, in quo fundatur sit intuitivus, & objectum aliquod reale existens, quia est inter extrema actu existentia; si autèm actus sit cognitio abstractiva realis, non erit relatio, quia objectum vel non est existens, vel saltèm non concurrit, ut existens ad cognitionem. Secundò actus dicit relationem dependentiæ in suo esse ad objectum, tanquàm effectus ad suam causam; & hæc relatio est realis, si objectum est reale, & spectat ad secundum modum, estq; distincta à priori, quia Deus posset in me producere cognitionem sine ullo concursu ipsius objecti, per quem meus intellectus attingeret objectum per cognitionem, quæ non diceret dependentiam ad objectum; ergò distinguuntur istæ duæ relationes, nempè attingentiæ & dependentiæ. Tertiò, dicit actus relationem *mensurabilis ad objectum*, tanquàm ad mensuram ipsum mensurantem, & hujus relationis natura difficultèr investigari potest, maximè tenendo, quòd distinguantur realitèr ab extremis, ut cùm communi teneo. Pro quo sciendum 2. mensurari actu, juxta dicta, supra quam cognoscere perfectionem intrinsecam alicujus rei, per alterius rei perfectionem, in ratione accessûs vel recessûs, ad perfectionem rei perfectioris, ità ut mensurari dicat duplicem respectum, unum ad intellectum, cui notificatur ejus perfectio mensurata; alterum ad rem mensurantem, seu ad objectum, quæ dicitur mensura cognitionis, & certificat intellectum de quantitate perfectionis rei mensuratæ, & hi duo respectus sunt rationis, & nec unus nec alter spectat ad tertium modum relativorum, unde notantèr Philosophus non dixit: relationes hujusmodi consistere in respectu mensurati ad mensuram, sed mensurabilis ad mensuram, quod potest dupliciter accidere, primò ità, ut major vel minor perfectio cognitionis sit apta, cognosci per majorem vel minorem perfectionem objecti, quod objectum in se est essentialitèr perfectius cognitione, & si sic intelligatur mensurari ab objecto, non quælibet cognitio est nata mensurari ab objecto, quia ipsa cognitio sæpè est in se perfectior essentialitèr, quàm sit objectum, verbi gratiâ, cognitio albedinis est essentialitèr perfectior albedine. Secundò potest hoc intelligi ratione majoris perfectionis in objecto, scilicet quia cognitio est imago quædam & similitudo objecti, eatenùs dicitur ab eo mensurabilis, quatenùs imitatur ipsum objectum, tanquàm res participata, illud à quo participat suum esse, seu ut loquitur Scotus: tanquàm idæatam idæam, & quatenùs sic imitatur objectum, potest esse ipso imperfectior, & in quantum dicit qualitatem spiritualem, vitalem, sit perfectior, & in hâc relatione consistit tertius modus relativorum, & quòd ista relatio distinguatur realitèr à cognitione, ex eo patet, quia potest Deus conservare cognitionem destructâ specie intelligibili & objecto simul, quo casu potentia non attingeret objectum, quod clariùs videre est in actibus voluntatis, quia Deus posset ponere actum amoris in voluntate non præsentato objecto, in quo casu nec amaret nec attingeret; ergò attingentia distinguitur realitèr idem dico casu, quo poneret visionem beatam in lapide. His ergò præmissis sat difficilibus, inhâc quæstione quæritur primò, an Relatio habeat aliquod supremum genus? secundò, an hæc tria genera relationum sint hujus prædicamenti propria & adæquata? utrumq; in Scholis sat controversum, Attamèn ad primum

IV. *Datur supremum genus Relationum.*

Dico 1. *Datur aliquod supremum genus* Relationis. Ità Scotus q. 25. prædicam. & in 2. dist. 1. q. 4. n. 16. Cujus authoritate probatur, nam citatus primo loco, dicit: *Generalissimum in genere relationis est unum*, & in secundo asserit, quòd *relatio habet suam distinctionem in suas species, sicut aliud genus habet distinctionem in suas species.* Probatur Conclusio: Quodlibet prædicamentum debet habere aliquod supremum genus, sed relatio est prædicamentum à cæteris distinctum; ergò debet habere aliquod supremum genus. Probatur mi. quia relatio hujus prædicamenti est res à cæteris distincta, sed quælibet talis res distincta constituit aliud prædicamentum ab alio; Ergò. Probatur: Illud verum est genus, quod prædicatur de suis inferioribus specie diversis; sed in relatione ut sic est aliquod, quod prædicatur de inferioribus suis specie diversis; ergò habet verum genus. Probatur mi. quia relatio ut sic de omnibus inferioribus prædicatur, secundùm respectum ad aliud se habere; ergò prædicatur de pluribus inferioribus specie diversis secundùm eandem rationem. Sed in Contra.

Arguitur. Non potest abstrahi ab omnibus relationibus hujus prædicamenti aliqua ratio communis prædicamentalis; ergò non debet assignari aliquod supremum genus hujus prædicamenti. Probatur ant. quia non potest abstrahi ab omnibus fundamentis relationum particularium aliquod fundamentum univocum ipsis; ergò neq; poterit abstrahi à relationibus illis particularibus aliqua ratio univoca ipsis. Probatur consequen. Quia illa relatio deberet habere fundamentum unum abstractum à fundamentis aliarum relationum. R. 1. negando ant. cum suâ probatione, quia licet non possit abstrahi aliquod unum fundamentum commune fundamentis particularium relationum, ratione entitatis, quia sic ad diversa prædicamenta pertinent; potest tamen reductivè aliquod commune fundamentum haberi. R. negando ant. cum consequentiâ suæ probationis; & probationis ejusdem, quia cum relationes possint fundari in rebus primò diversis diversorum prædicamentorum, quæ non conveniunt in aliquo conceptu communi prædicamentali, non est necesse, ut relatio ut sic fundamentum prædicamentale determinatum, sed sufficit, quòd sit aliquod indeterminatum, & idem dicendum est de termino.

Instatur. Omni relationi debet correspondere correlatio; ergò & relationi ut sic & consequentèr non datur aliqua relatio, quæ sit supremum genus hujus prædicamenti. Probatur consequentia; quia relatio quæ est supremum genus hujus prædicamenti est communis omnibus aliis, relatio & superior illis; sed relatio habens correlationem non est superior illâ, ergò. R. negando ant tùm quia solum torquet hæc instantia solos Thomistas, qui asserunt relationem terminari ad suam correlationem; Scotistis verò contrarium sentientibus nihil negotii facescit, quia illa suprema relatio potest terminari ad aliquod absolutum, & sic non debet terminari ad correlativum, & hoc dicendo, licèt illud absolutum haberet correlationem, adhuc relatio illa posset esse ipsa prior pro instanti naturæ, quia ad ipsam non terminaretur, & pro illo instanti, quo prior esset, esset etiam ad eam superior. R. 2. negando iterum ant. quia relationes tertii generis non habent correlationes secundùm communem; ex quo patet, quòd relatio ut sic, quæ est supremum genus hujus prædicamenti, correlationem non habeat, quia si haberet, necessariò omnis relatio contenta, sub ipsâ habere deberet correlationem. R. 3. dist. ant. relationi cuiq; in particulari transeat, relationi ut sic abstractæ ab omnibus inferioribus, nego, & consequentiam.

VI. *Benè enumerantur tres modi relativorum,*

Dico 2. *Præfati tres modi relativorum & relationum sunt sufficienter assignati.* Ita post Doctorem Zerbium &c. plures Scotistas Mastrius: Quia omnes relationes, quæ haberi possunt, in illis tribus comprehenduntur modis, & ad illos reducuntur; ergò sunt sufficienter assignati. Probatur ant. Quia si aliquæ non reducerentur ad istos tres modos, maximè relationes causæ materialis, formalis, & finalis, ad suos effectus, distantiæ, coexistentiæ & propinquitatis, relatio unionis & amoris ad amabile; sed istæ relationes omnes aliquo modo possunt ad eas reduci; ergò. Probatur mi. quia inprimis relationes causarum possunt reduci ad secundum genus, sumendo actionem & passionem in largiori aliquâ acceptione, relationes distantiæ & propinquitatis ad modum primum, sumendo unitatem & multitudinem pro convenientiâ aliquorum, etiam ad locum, undè quemadmodum duæ albedines dicuntur sibi similes, quia habent unitatem in qualitate, sic propinquitas erit convenientia duorum in aliquo loco &c. item unio propter eandem rationem extendendo unitatem entitatis ad unitatem unionis, & omnia sex ultima prædicamenta congruè reducentur ad actionem & passionem, quia in quolibet invenitur aliquid activum & passivum. Relatio denique amoris ad amabile, si non aliâ ratione, saltèm ratione non mutuitatis reduci poterit ad tertium modum relativorum, & insuper, quia est actus vitalis; si verò consideretur veluti effectus ad suam causam, tunc ad secundum modum: ergò &c.

VII. *Non sunt tamen species quam ex illis sumi possint.*

Dico 3. *Species relationis ut sic, prout hoc quantum constituit prædicamentum, non sunt enumerati modi supra in quantum comprehendunt relationes, quæ quoq; modo ad eos reduci possunt, bene tamen ex singulis modis desumi possunt.* Hæc in re est etiam Mastrius.

Probatur prima pars, quia Aristoteles non intendit per enumerationem illorum modorum assignare species hujus prædicamenti, sed solummodò explicare rationes ad quas omnes relationes congruè reduci possent; quòd autèm non intenderit, ex eo patet, quia exempla quæ attulit, nonnulla spectant ad relationes extrinsecùs advenientes, alia planè ad relationes transcendentales.

Probatur etiam secunda pars, quia in omnibus tribus modis reperiuntur relationes intrinsecùs advenientes, ergò non ex uno, sed ex omnibus speciebus desumi debent.

VIII. *Quinq; sit proprietates Relationis.*

Pro Complento hujus materiæ Nota Aristotelem in cap. ad Aliquid, quinque assignasse proprietates relationum. Prima est: habere contrarium, sic dissimilitudo contrariatur similitudini, hoc tamen intelligendum est ratione fundamentorum, quæ se pellunt formalitèr ab eodem subjecto, qualia possunt esse albedo & nigredo, hæc proprietas etiam non convenit omnibus, quia Pater & Filius non contrariantur sibi propriè. Secunda proprietas est susceipere magis & minus, hocq; non formalitèr, sed fundamentalitèr, sed nec hæc omnibus competit; Quia relationes identitatis & diversitatis æqualitatis, & secundi modi non suscipiunt magis & minùs, quia esse ejusdem speciei, vel diversæ esse æquale, vel Patrem aut Filium in indivisibili consistit; sicut etiam relationes similitudinis, quia illa tantum censentur similia, quæ in eodem gradu qualitatis conveniunt, verbi gratiâ, duo alba ut quatuor. Dissimilitudo verò quæ huic opponitur, magis & minùs suscipit, in hunc sensum, quia magis dissimile est, album ut duo, albo ut octo, quàm album ut sex. Item relationes inæqualitatis, quia magis inæqualis est palmus ulnæ, quàm semi-

ulna;

ulna; quo sensu dixit etiam Aristoteles 4. Met. 4. non eodem modo errare eum, qui putat quatuor esse quinque, qui putat esse centum. Tertia proprietas est, quòd ea, quæ sunt ad aliquid dicantur ad convertentiam, id est, quòd valeat ab uno ad aliud, ut, Pater est, ergò Filius, & è contra Filius est, ergò Patris Filius. Quarta est: Quòd relativa sint simul naturâ, id est quòd posito uno, ponatur & aliud, & quòd ablato uno, aufferatur & aliud. Quinta denique quòd sint simul cognitione, id est, quòd ad cognitionem unius, sequatur & sequi possit cognitio alterius.

DISPUTATIO VII.

DE SEX ULTIMIS PRÆDICAMENTIS.

Materiam hanc conabor expedire brevitèr, non equidèm ratione ductûs, quam nonnulli adhibent ex eo, quòd res sit parvi, & non de tantâ difficultate, in quo maximè videntur injurii, sed ex eo, quia in Physicâ tàm de actione, quàm de loco & tempore redibit sermo. De his prædicamentis ex professo fusè scripsit Gilbertus Porretanus, Pictavorum Episcopus, Divi Bernardi coætaneus, contra quem etiam idem sanctus calamum Serm. 90. in Cantica & in Concilio Rhemensi strinxit, qui propter solertiam in explicandis his prædicamentis, à Scholasticis Author sex principiorum intitulari meruit. Suppono autèm cum Scotistis communitèr, sex ultima prædicamenta esse relationes extrinsecùs advenientes, quia non possunt dici, quòd sint denominationes extrinsecæ, quia videtur ridiculum, dicere manum meam calefactam ex applicatione ignis esse extrinsecam denominationem, etsi quæ difficultas fuerit in decursu solvam: sit igitur

QUÆSTIO I.

De Actione & Passione V. & VI. Prædicamento.

Omnia quæ de actione, vel passione in controversiam vocari possunt, in hâc explicabo quæstione. Circa actionem verò potissimùm quæritur, quæ nam relatio constituat hoc prædicamentum? secundò in quo subjectetur? tertiò an semper intercedat inter causam & effectum? Pro Resolutione primi dubii.

Notandum 1. Actionem esse nomen æquivocum, quia significat plura, secundùm diversam rationem; primò enim significat actiones vitales, quibus potentiæ vitales tendunt in sua objecta, ut intellectus in intelligile, voluntas in volibile, visus in visibile; secundò sumitur pro re aliquâ actâ, seu, pro effectu producto, & sic quemadmodum priores sunt immanentes de genere qualitates, ita etiam tales actiones non spectant ad aliquod particulare prædicamentum, sed jam ad hoc, jam illud, juxta diversitatem & exigentiam cujuslibet rei productæ. Tertiò tandem accipitur pro respectu, qui resultat in causam producentem aliquem effectum, & inter ipsum effectum, Verum

Notandum 2. Quòd in productione effectûs ab aliquo agente creato variæ intercedere possint relationes, verbi gratiâ, quando ignis producit aliud ignem, tunc primò passum, verbi gratiâ lignum, primò transmutatur accidentalitèr per requisitas dispositiones ad formam ignis introducendam, si sit subjectum indispositum, & tunc resultat relatio transmutantis ad transmutatum accidentalitèr: posteà reperiuntur duæ relationes aptitudinales, inter agens & effectum proximè producendum, scilicet productivi & producibilis; similitèr duæ actuales, nempè producentis & producti, verbi gratiâ, quando ignis producit formam substantialem ignis in materiam ligni, & talis relatio vocatur in agente generatio activa, productio activa, & actio, &c. & in effectu dicitur generatio passiva, productio passiva, & passio &c. & hanc concomitatur relatio transmutantis & transmutati. Præterea intercedit duplex alius respectus, vel relatio inter agens & effectum à se productum, non infieri, quemadmodum consistebant priores, sed infacto esse, & hæc manet, quamdiù manet utrumq; extremum in tali statu, vocantur iisdem nominibus sicut priores, præterquàm quòd loco illius *infieri* addatur *in facto esse*, & est intrinsecùs adveniens, sive sit illa, quæ terminatur ad solam formam productam, seu ad totum compositum; deindè sunt etiam relationes educentis ad eductum, inducentis ad inductum, de quibus in Physicâ, quæ sunt omnes intrinsecùs advenientes, & à se invicem distinctæ, ex eo, quòd una detur & reperiatur sine alterâ, nam anima rationalis inducitur in corpus, & non educitur de corpore, quia creatur, & quia agens creatum non producit aliquam formam connaturalitèr, nisi dependentèr à subjecto & in subjecto. Tandèm inter agens & subjectum, seu passum in quod introducit formam, resurgit relatio transmutantis ad transmutatum in facto esse, sicuti superius dicebam, resultare relationem transmutantis ad transmutatum infieri, post activam generationem & activam productionem in fieri, quæ relatio transmutantis ad transmutatum est relatio extrinsecùs adveniens, ut docet Scotus 4. d. 13. q. 1. n. 11. his verbis: *ille autem respectus, qui est, ad passum est, extrinsecùs adveniens, quia bene possibile est activum & passivum esse, & etiam approximata, & tamen non habere istum respectum, quòd agens sit illud, à quo transmutatur, nec subjectum illud sit, quòd transmutetur, utpote si est aliquod impediens actionem &c.* De quâ ratione ad resolvendam primam partem hujus quæstionis circa actionem

Dico 1.

III. *Relatio transmutantis ad prædic. actionis spectat.*

Dico 1. *Ad prædicamentum actionis spectat relatio transmutantis ad transmutatum.* Est Scoti sæpissimè, & maximè cit. sup. n. 11. ubi ait: *Sic ergò* (loquitur de actione, prout distinguitur ab aliis respectibus) *cùm sit respectus extrinsecùs adveniens, ut prius est deductum, erit habitudo agentis ad passum transmutatum.* Hæc conclusio est etiam conformiter ad mentem Gilberti Authoris sex principiorum, qui sic actionem definit: *Actio est secundum in illud, quod subjicitur, agere dicimur*, id est, passum illud transmutando. Et Probatur breviter conclusio, Quia illud maximè spectat ad hoc prædicamentum, quod propriè vocatur actio, sed ex omnibus respectibus prædictis nihil magis propriè vocatur actio, quàm illa relatio, per quam agens agit in aliud, illud transmutando, ergò, &c. Sed

IV. Dices: Unio hypostatica non est actio, sed illa spectat ad hoc prædicamentum; ergò nomine actionis non intelligitur actio transmutantis ad transmutatum. R. negando consequentiam, quæ non sequitur, quia dum dico, quòd relatio transmutantis ad transmutatum sit actio, per hoc non excluditur, quò minùs etiam aliæ relationes possint ad hoc prædicamentum spectare, sed tantùm adstruit actionem illam principaliter huc spectare, ad quam postea eæ relationes reducuntur, quæ ejus rationem participant; quando enim per actionem producitur in subjecto transmutato forma aliqua, sive accidentalis sive substantialis materialis: tunc resultant etiam relationis inhærentiæ, dependentiæ unionis, quibus in subjecto correspondet receptio passiva & alia unio, quæ sunt omnes relationes extrinsecùs advenientes. R. 2. Quòd licet ab Authore prædicamentorum in puris naturalibus constituto non fuerit agnita illa unio hypostatica, ipsa tamen poterit congruè ad actionem reduci, ut habet Scotus 3. d. 1. q. 1. quia habet maximam affinitatem ad relationem actionis ad subjectum, quia sicuti actio sustentatur à subjecto, & dependet ità illa unio à Verbo, esto illi non inhæreat, actione tamen unitivâ non est de genere actionis, quia est divina.

V. *Actio est in agente.*

Dico 2. *Actio subjectatur in agente, & passio in passo*: ita Doctor: ita supra Doctor n. 9. &c. Et Probatur primò. Ex inconvenienti quod Scotus adfert, Irrationabile est, dicere: passum est agens; ergò irrationabile est dicere: passionem esse in passo. Probatur consequentia: Quæcunq; forma, quæ in aliquo est, constituit subjectum esse informatum ab ipsâ, sed si actio esset in passo, constituet passum formaliter agens, sed hoc est irrationabile dicere; ergò etiam quòd actio sit in passo. Probatur 2. Illud per quod Pater denominatur & dicitur generare filium, est in patre, & non in filio; ergò id, per quod denominatur creatura generare & agere, est in ipso; probatur ant. quia si non esset in Patre sed in filio, non esset necesse, ponere in divinis paternitatem; sed hoc repugnat fidei & bonis moribus; ergò. Probatur: sola filiatio posset denominare generantem & genitum; ergò non esset necesse ponere paternitatem. Probatur ant. quia si actio generativa esset in filio, verè posset ipsum denominare generantem, & genitum etiam, quia constitueret filiationem divinam. Probatur tertiò: Quia respectus & fundamentum proximum & ratio fundandi sunt in eodem, sed fundamentum proximum seu ratio proximè activa est in agente; ergò etiam ipse respectus. Major est certa, sicut & minor; ergò consequentia est quoq; optima. Probatur quartò. Nullæ duæ relationes oppositæ sunt in eodem, sed actio & passio sunt relationes oppositæ; ergò non sunt in eodem; subsumo: sed passio est in passo; ergò actio erit in agente: quia in passo esse non potest, cùm sit ibi passio. Probatur consequentia, quia cùm sit accidens, necessariò petit in aliquo subjectari, in nullo potiùs, quàm in agente, ergò.

VI. *Aristotelis intelligitur de actione prædicti.*

Opponitur Authoritas Aristotelis, 4. Met. t. 16. ubi ait: ædificationem esse in ædificato, & omnem actionem transeuntem esse in facto, & universaliter omnem motum esse in eo, quod movetur; ergò actio non subjectatur in agente sed in passo. R. Aristotelem intelligendum in omnibus illis dictis de actione, prout sumitur, pro re actâ, non verò prout sumitur pro illo modo, & illâ entitate, quâ agens formaliter producit ipsam rem; quando verò expressè dicit: *nullum movens movetur*; benè dicit, sed nihil contra me, quia per ly *movetur*, intelligit motum proprium propriamq; mutationem, quâ mutaretur movens, quod verum est, & etiam supra dixi, ad relationem non dici motum per se & propriè dictum.

Instatur. Aristoteles benè divisit actionem in immanentem & transeuntem; sed si omnis actio esset in agente, malè divisisset; ergò non vult Aristoteles intelligere in superioribus locis per actionem rem actam. Probatur mi. quia omnis actio esset immanens. Sed R. dist. ma. benè divisit actionem in immanentem, & in transeuntem ratione terminorum; concedo, ratione formalis actionis, nego ma. & mi. & distinguo similiter ejus probationem, omnis actio esset immanens, id est, sumpta pro formali entitate, à quâ denominatur agens tale, concedo; esset omnis actio immanens ratione termini producti, nego ant. & consequent. Itaq; quando Aristoteles divisit actionem in immanentem & transeuntem, aliud non voluit, quàm quòd terminus productus aliquando recipiatur in ipso agente, & ideò dicatur actio immanens, id est, immanenter producens terminum suum, & quòd iterum aliquando producat suum terminum non in se ipso, sed in alio; exemplum primæ actionis sunt omnes actiones vitales & intellectuales; exemplum secundæ, est frigefactio, calefactio, ædificatio, &c.

Urgetur. Illa actio immanens seu ille terminus immanenter productus, non erit distinctus ab actione formali; ergò illa actio immanens erit in termino veluti insubjecto. Probatur: quia ipsi identificabitur. R. negando ant. cum suâ probatione, nam licet sint in eodem subjecto, non sunt tamen cum eo identificatæ, ut patet ex supra dictis. Replica, quæ de Deo ad creaturas affertur, in quo actio non est, sed in passo non subsistit, quia Deus ob immutabi-

mutabilitatem suam est incapax omnis novæ formæ. Ad tertium Dubium.

VII. *Causam secundam non semper sequitur actio*

Dico 3. *Inter Causam secundam, & ejus effectum in creatis, semper intercedit aliqua actio, à quâ dicitur formaliter producere suum effectum.* Est communis contra Nominales. Probatur, quia non potest dari denominatio realis absq; causâ reali, à quâ proveniat, sed denominatio actu causantis vel producentis & agentis est denominatio realis; ergò debet dari aliqua causa, unde proveniat, sed absq; aliquo intermedio, inter ignem & calorem productum non daretur ulla causa, unde oriretur illa denominatio agentis in igne; ergò datur aliquod intermedium. Probatur mi. quia illa denominatio non provenit ab ipso igne, nec à calore, nec ab utroq; solo, nec ab utroq; simul; ergò, quia omnia illa possunt esse absq; illâ denominatione; ergò. Confirmatur, quia impossibile est in creatis transire de novo à contradictorio in contradictorium absq; mutatione extrinsecâ vel intrinsecâ.

VI. *Aristotelis sententia de actione prædicta*

VIII. *Explicatur ipsa.*

Passio Ut constituit hoc prædicamentum, sumitur pro respectu oppositio actioni subjectivè residente in passo, sicut actio in agente; undè eam Scotus in 4. d. 13. definit, quòd sit respectus passi ad agens, seu transmutati ad transmutans. Cùm autèm actio & passio sint relationes mutuæ, quæritur, cur passio distinctum prædicamentum constituat? quia relativa mutua ordinariè in eodem prædicamento collocantur; Tartaretus dicit hoc tantùm esse verum de relationibus intrinsecùs advenientibus, non verò de relationibus extrinsecùs advenientibus, contra tamen facit, quòd ubi activum & passivum sint relationes extrinsecùs advenientes, & tamen ponantur in eodem prædicamento, quare dicendum puto, quòd quandoquidem hæc divisio est artificialiter inventa, pro faciliori captu ad evitandam confusionem, duo prædicamenta constituere, & fortè etiam, quia reliqua quatuor non participant propriam rationem actionis & passionis.

QUÆSTIO II.

De Ubi & Situ VII. & VIII. Prædicamento.

I. *Ubi varie sumitur.*

Hic pauca de *Ubi dicam*, quia ejus genuina tractio prout supra insinuavi ad Physicam spectat. Notandum est ergò, quòd ubi de quo hic est sermo sit illud, per quod formaliter aliquid est in loco, & ideò dividitur in ubi activum & passivum, seu in extrinsecum & intrinsecum; ubi activum, seu extrinsecum est respectus fundatus in re ambiente, locante, & ubicante, & terminatus ad rem ubicatam, locatam, & ambitam; Passivum è contra est respectus fundatus in re ubicatâ, locatâ, & ambitâ, & terminatus ad rem ubicantem, locantem, & ambientem. Ubi adhuc potest dividi in ubi naturale, quod exigit res, & violentum, à quo avertitur, ac neutrum ad quod se habet indifferenter, nec exigendo, nec recusando. Utrumq; in definitivum & circumscriptivum; definitivum propriè loquendo est à quo res habet esse in aliquo loco cum penetrabilitate, non expellendo aliud ab eodem loco, sive res sic ubicata habeat partes extra partes in loco, sive non habeat. Ubi circumscriptivum est à quo res habet esse in loco cum impenetrabilitate, expellendo alia ab eodem loco. His suppositis quæritur in quo nam consistat ubi? ad quod

II. *Ubi est respectus extrinsecùs adveniens.*

Dico 1. *Ubi consistit in respectu extrinsecùs adveniente, subjectato in re locatâ & terminatâ ad locum.* Ita Doctor 2. d. 2. q. 6. Probatur primò directè: Quia omnis actio nova & realis debet habere terminum novum & realem, per ipsam ab agente productum, sed Titius, verbi gratiâ, ponitur in loco per veram actionem realem; ergò per illam aliquid de novo producitur, ratione cujus dicatur jam locatus & ante non, sed non est aliud assignabile, nisi respectus realis & extrinsecùs adveniens, ergò. Probatur secundò: si non esset respectus realis extrinsecùs adveniens, esset fortè denominatio aliqua extrinseca; sed in eâ non consistit; ergò in illo respectu; ma. est advers. Probatur mi. Quia potest esse locus & res locata in rerum naturâ, absq; eo, quòd res locata sit in illo loco, denominetur ab eo, ergò res illa non habet esse in loco, per denominationem extrinsecam; probatur consequentia, quia locus præcisè determinat rem loca tam ad esse in loco.

III.

Dices 1. Locum determinari ad dandam denominationem, locata per actionem causæ efficientis, sed Contra ex hâc ipsâ responsione sequitur, quòd sit actio nova, quando ponitur res in loco, sed non potest esse actio nova, quin per eam aliquid de novo producatur, ergò debet aliquid fieri de novo per actionem locantem, illud autèm debet esse vel in loco vel in locato, & sic non desumetur tantùm denominatio extrinseca præcisè à loco.

Dices 2. Quando res ponitur formaliter in loco, accipit solam indistantiam ipsius ab hoc loco, Sed Contra: Illa indistantia vel consistit in aliquo positivo, vel tantùm negativo; si primum, cur idem non potest dici de ubi? si secundum; ergò dabitur negatio negationis. Deindè impossibile est, quòd per motum realem ponatur per se primò negatio. Sed adhuc magis principaliter

Dices 3. Potest aliquis habere ubi reale intrinsecum sine ullo respectu reali; ergò. Probatur ant. si solus unicus angelus existeret, & nullus locus esset, sed essent tantùm spatia imaginaria, in hoc casu posset terminare actionem realem locomotivam, posset enim à Deo transferri de unâ parte spatii imaginarii ad alteram partem, ità ut si crearetur mundus, sicut defacto est, Angelus ille haberet locum suum Cisterciì, verbi gratiâ, cùm præsupponatur, quòd prius haberet locum suum Assisii, sed tunc haberet ubi intrinsecum; ergò. Pro solutione hujus difficultatis Notandum ex Mastrio: duplex adhuc esse ubi, unum locale, alterum præsentiale; locale attenditur in ordine ad locum, qui est terminus ejus; præsentiale verò attenditur in ordine ad partes diversas, non quidèm formales, sed virtuales substantiæ divinæ ubiq; diffusæ, cùm enim hæc sit virtuali-

tèr divisibilis, habet consequentèr virtutem terminandi diversas præsentias, ut patet ex Scoto 1. d. 2. q. 7. dicitur autèm hoc ubi præsentiale simpliciter, & non locale, quia divina substantia non est locus corporum; nunc R. cum Mastrio: Angelum in tali casu habiturum suum ubi intrinsecum præsentiale tantùm, & non locale, & per illam translationem de spatio in spatium imaginarium acquirere præsentias, quæ pro termino respicerent diversas partes virtuales divinæ substantiæ, per spatium imaginarium ubiq; diffusæ.

IV. *Situs, seu positio dupliciter accipitur.*

Pro Altera parte tituli Advertendum, quòd situs alio nomine à Scoto 4. d. 10. q. 1. n. 14. 15. & 16. vocetur *positio*, quæ dupliciter potest considerari; una positio est dispositio partium alicujus rei inter se, ità quòd hæc pars determinatè uniatur illi parti, & non alteri, & quòd utraq; sit extra alteram entitativè, verbi gratiâ, ut caput uniatur collo, & non pedibus, & dispositio coincidit cum extensione entitativâ, de quâ supra, quam dispositionem potest res habere, esto, sit extra omnem locum, ut si esset aliquis in spatio imaginario, vel in loco indivisibili, ut est corpus Christi in Eucharistiâ. Alia positio est dispositio partium, quæ hoc prædicamentum constituit, in quâ non attenditur dispositio secundum se tantùm, sed etiam in ordine ad locum, ità ut si res poneretur in loco, secundùm hanc positionem, possent dici stare, sedere, ambulare, decumbere; quòd autèm hæ duæ positiones inter se distinguantur, patet ex eo, quia una potest mutari non mutatâ alterâ, nam prima semper manet, quamdiù manent partes inter se unitæ; secunda verò potest mutari, verbi gratiâ, statio in sessionem & è contra, itèm quia Christus habet primam & non habet secundam in Eucharistiâ. Hoc præmisso & præexplicato.

V. *Describitur situs.*

Dico 2. *Bene describitur situs, ut hoc constituit prædicamentum, quòd sit ea dispositio partium in ordine ad se, ratione, cujus si res ponatur in loco, dicitur sedere, vel stare, quæ dispositio est respectus extrinsecùs adveniens.*

Probatur prima pars: Quia per illud benè aliquid explicatur, per quod describitur & exprimitur ejus natura, & ab omni alio distinguitur; sed per hanc descriptionem benè ab omni alio distinguitur, & explicatur ejus natura, quia est aliquid reponibile in prædicamento; ergò probatur mi. quia si non distingueretur ab omni alio, maximè non distingueretur ab ubi; sed ab ubi distinguitur, ergò. Probatur mi. Quia Christus Dominus in Eucharistiâ habet ubi, & non habet situm; Itèm, quia remanente eodem situ potest variari ubi, verbi gratiâ, in ambulante, in stante, sedentéve super navim &c. Deniq; res spirituales habent ubi, & tamen non habent situm.

Probatur secunda pars: Quia non est absolutum dicens respectum transcendentalem, nec denominatio extrinseca, ut patet ex dictis, ergò.

VI. Dices: Eadem potest esse dispositio partium in ordine ad se, dum jacet aliquis, & dum stat; ergò situs non consistit in tali ordine partium. R. dist. consequens, prout est quid distinctum, à prædicamento ubi, nego consequentiam, prout dicit etiam respectum ubi consequentiam. Ut autèm hæc distinctio melius percipiatur, advertendum situm posse capi pro formâ illâ, à quâ res habet esse sedens, vel stans in loco, & sic includit ipsum ubi, & non potest variari, nisi varietur etiam ipsum ubi, & è contra; Alio modo potest sumi situs pro illâ dispositione partium præcisè, quæ in priori situ includitur formalitèr, vel materialitèr, quæque est indifferens ad hunc, vel illum locum, & hoc modo sumptus non includit ipsum ubi ullo modo. Hinc collige, situm ab ubi per hoc distingui, quòd ubi sit respectus totalis rei locatæ ad superficiem locantem, & è contra, unde potest mutari situs, qui est respectus determinatæ partis locati ad determinatam partem loci, & è contra, non variato ubi: ut si aqua agitetur in vase, semper eundem retinebit locum, non tamen eundem situm, Itaq; situs est modus quidam ubi, quia ubi dicit absolutè præsentiam rei in loco; situs verò specificat modum præsentiæ, sic vel sic stando, verbi gratiâ, vel sedendo, quod sufficit ad distinctionem illorum.

QUÆSTIO III.

De Prædicamento Quantitatis & Habitus IX. & X. Categoria.

Cùm res non solùm dicatur in loco, verùm etiam in tempore hoc vel illo, hodie vel heri, sic quemadmodum per ubi constituitur res in loco, & est particulare prædicamentum, ita etiam per quando res constituitur esse in tempore, quod est etiam particulare prædicamentum Quantitatis, seu quando in concreto. Tempus autèm est duplex, aliud enim est intrinsecum, & nihil aliud est, quàm ipsa duratio, per quam res se ipsa durat quocunq; extrinseco mensurante ablato; extrinsecum est, quod comparatur ad mensuram motus primi mobilis, quod etiam hoc prædicamentum constituit, de quo I.

Dico 1. *Quando est respectus extrinsecùs adveniens, subjectatus in re existente, & terminatus ad rem cui coexistit.* Patet, quia non potest intelligi, nisi per modum respectûs & non præsupponit aliquid ex parte fundamenti & termini, ad quod sequatur, præter actionem, quâ producitur, quæ actio non necessariò inexistit fundamento & termino, ergò *Quando respectus extrinsecus adveniens.*

Dices: Quando necessariò sequitur, posito fundamento & termino simul existentibus, ergò est tàm intrinsecùs adveniens, sicut similitudo. R. negando ant. quia ipsum quando est ratio formalis ponens extrema simùl, & ideò non potest sequi ad extrema simùl posita. Vel concedatur ant. & negetur consequentia, disparitas est, quòd ipsa similitudo non constituat extrema simul existentia, sed præsupponat illud, per quod constituantur, & eo posito, necessariò sequitur coexistentia nihil præsupponit ex parte extremorum, ratione cujus sequeretur necessariò. Cætera & plura in Physicâ. II.

Habitus

Habitus ut est prædicamentum distinctum ab aliis, sumitur pro illâ formâ, à quâ dicitur aliquid esse vestitum, vel armatum: de quo

III. Habitus est respectus extrinsecùs adveniens.

Dico 2. *Habitus est respectus extrinsecùs adveniens, subjectatus in re vestitâ, vel armatâ & terminatus ad vestes, vel arma, à quibus aliquid dicitur formaliter vestiri, vel armari.* Probatur, quia quando aliquis vestitur, vel armatur, intercedit aliquid positivum distinctum tàm à re vestitâ, vel armatâ, quàm ab armis, vel vestibus: sed non est quid absolutum, nec relatio intrinsecùs adveniens; ergò erit quid respectivum & extrinsecùs adveniens.

Dices: Eo ipso, quòd arma dicant præsentiam localem ad rem armatam, illa res dicitur armata; ergò non datur aliquis respectus inter rem armatam & arma. R. negando ant. quia ut res aliqua dicatur armata, debet habere talem respectum ad arma, quo mediante possit ire de loco in locum cum armis, quod tamen non habet per illam nudam præsentiam ad arma; ergò esse armatum, distinguitur ab illâ præsentiâ. Et hæc de prædicamentis in specie sufficiant, quæ ut utar D. Augustini verbis, Cat. 15. *ut nullius* (scilicet fusioris pro hoc loco) *tractatu indigas has categorias Aristoteles quoq; transgressus est, quod nos etiam fecimus.*

DISPUTATIO VIII.

DE POST PRÆDICAMENTIS.

A Capite decimo usque ad finem sui libri de prædicamentis agit Philosophus, de quibus rerum affectionibus, comparatq; res illas, quas in prædicamento collocavit ad se invicem, secundùm oppositionem, priorit atem, simult atem, ostendendo quænam simul opponantur, quæ priora sint, quæq; simul & quot modis aliquis dici posset rem habere, de quibus pro coronide etiam brevitèr aliquid agam, sit igitur

QUÆSTIO I.

De Oppositis.

1. Oppositio varie sumi potest.

Oppositio variè sumi potest, sicut & oppositum, quod est illius concretum; oppositum enim primò accipitur pro eo, quod est ex adverso positum, sic dicitur: *platea plateæ, domus domui, exercitus exercitui opponi;* secundò pro eo, quod adversatur alicui, sic fortuna dicitur opponi, seu adversari homini infortunato: tertiò opponi idem est, quod objici, sic dicuntur crimina reo opposita in judicio, id est, objecta: quartò oppositum sumitur pro subjecto, seu fundamento relationis, quæ vocatur oppositio: quintò, & maximè propriè pro ipsâ relatione oppositionis, quo sensu dicimus esse tantùm quatuor opposita id est quatuor oppositiones; res autèm illæ dicuntur oppositæ, quæ quandam habent ad invicem repugnantiam, ita ut sese non compatiantur, ut albedo & nigredo, non opposita autèm sunt, quæ talem repugnantiam non habent, sed sese compatiuntur, ut albedo & dulcedo in saccharo: Opposita autèm communitèr post Boethium describuntur: Definitio oppositi. *Quòd sint duo extrema simplicia, quæ in eodem respectu ejusdem, & secundùm idem verè affirmari non possunt simul:* dicitur *respectu ejusdem*, quia non implicat imò congruè sit, respectù diversarum, nam potest aliquis esse pater Titii, & filius Caji; dicitur secundùm idem, quia albedo & nigredo possunt inesse eidem, secundùm diversa, ut nigredo in capite, albedo in dentibus: dicitur *simul*, quia benè albedo & nigredo possunt in esse eidem successivè. Oppositionem verò in abstracto describunt quidam etiam Scotistæ, *quòd sit relatio diversitatis, seu distinctionis inter aliqua extrema simplicia*, sed malè, aliàs albedo & dulcedo, item albedo & quantitas esset oppositum, quod nemo dicet: Connimbricenses verò asserunt: *esse relationem inter duo extrema simplicia, quæ de eodem verè affirmari non possunt*; sed etiam malè, quia actio & passio sunt relationes oppositæ, tamen de eodem intellectu agente & patiente verè affirmantur; quare videtur mihi, quòd melius exprimi possit dicendo, quòd sit *relatio inter extrema simplicia, quibus repugnat secundùm eandem rationem formalem verè prædicari de eodem simul*, & patet, quia omni & soli competit, comprehenditque etiam oppositiones disparatas scilicet ligni & lapidis. Oppositio verò prout huc spectat & prout de eâ hic agit Aristoteles, ab eodem dividitur *in contrariam relativam, privativam, & contradictoriam*: de quibus singulis aliquid specialitèr proponam plus vel minùs, prout materiam exigere judicavero. Et inprimis occurrit

Oppositio quadruplex.

II. Oppositio contradictoria.

Oppositio Contradictoria, quæ maxima est, quoad repugnantiam extremorum, quæ in nullo prorsus conveniunt, Est ea, *quæ reperitur inter aliquam rem positivam ejusq; negationem*, seu *inter affirmationem & negationem*, ità ut quòd res necessariò unum vel alterum debeat habere ut, verbi gratiâ, homo non homo, doctus non doctus, quæ oppositio distinguitur à privativâ, quia hæc necessariò connotat subjectum commune, illa verò præscindit. Itaq;

III. Oppositio privativa ad eam tria requiruntur.

Oppositio Privativa est *oppositio inter duo extrema, quorum unum habet se per modum habitus, alterum per modum privationis*; ubi per *habitum* non intelligitur qualitatis prima species, sed quælibet forma, ità quòd idem sit ac esse oppositionem inter formam & ejus privationem. Ad hanc oppositionem tria requiruntur: Primò ut sit circa idem subjectum, defectu hujus visio & surditas non opponuntur. Secundò ut subjectum sit utriusq; capax, & propter hoc visio & negatio ejus non opponuntur in lapide. Tertiò, quòd fiat tempore à naturâ determinato, & ideò catulus ante nonum diem

non videns, visio & negatio ejus non opponuntur, ex eo quòd ipsi pro illo tempore non debeatur visio; Addit Aristoteles, quòd licet possit dari regressus à formâ ad privationem, non potest tamen dari à privatione ad formam, ut ex vidente potest esse non videns, non tamen è contra; non est autèm hoc intelligendum universalitèr, sed tantùm de aliquibus, quia aër non solummodò ex lucido fit tenebrosus, sed etiam ex tenebroso fit lucidus.

IV. *Oppositio relativa.*

Oppositio Relativa est *relatio diversitatis inter duo extrema relativa, seu correlationes, quatenùs repugnat eu, competere posse uni eidemque sub eodem respectu*; & talis est oppositio inter Patrem & Filium, seu inter paternitatem & filiationem respectu ejusdem; dixi notanter sub eodem respectu, quia idem intellectus potest fundare relationem actionis & passionis, respectu intellectionis, quam producit & recipit, non tamen sub eodem respectu, sed diverso propter diversas rationes fundandi.

V. *Circa oppositionem contrariam est difficultas.*

Circa Oppositionem contrariam explicandam major videtur esse difficultas, pro quo itaq; Notandum: opposita contraria in duplici esse differentiâ; nam aliqua sunt mediata, alia immediata; Mediata sunt, quorum alterum necesse est semper inesse omni susceptivo, id est, capaci utriusq;: ut sanitas & ægritudo respectù animalis, non tamen respectu lapidis: Immediata è contra ut albedo & nigredo, quæ possunt ambæ abesse à pariete, verbi gratiâ, rubro. Contraria mediata quædam rursum sunt, quæ habent medium per participationem, ut illa, quorum medium habet, aliquid de relatione utriusq;, ut rubedo respectu albedinis & nigredinis; quædam alia quæ non habent medium, sed tantùm per negationem utriusq; extremi, ut actus indifferens respectu boni & mali, qui nihil participat bonitatis vel malitiæ, ab utroq; extremo; alia tamen habent medium unum tantùm, ut est inter majùs & minùs est æquale; alia è contra habent plura media, ut albedo & nigredo, quæ habent flavedinem, rubedinem, & viredinem. Notandum secundò Contraria alia esse propria, alia impropria; impropria sunt omnes qualitates diversorum ut qualitas materialis & spiritualis, quæ non possunt saltèm naturaliter esse in eodem subjecto simul. Contraria propriè dicta sunt ea, quæ non sunt diversorum generum, sed sub eodem genere maximè distant. Notandum tertiò, Contraria alia esse, quæ ex suis propriis naturis & principiis opponuntur & repugnant, qualia sunt contraria omnia propria dicta, ut albedo & nigredo: alia sunt, quæ non ex propriis naturis, sed ratione primo contrariorum repugnant, talia sunt subjecta primarum qualitatum contrariarum, verbi gratiâ, siccitatis & humiditatis, frigiditatis & caliditatis. Notandum quartò etiam aliqua dici contraria, quia nata sunt causare contrarias qualitates, ut ignis, quia est calefactivus, dicitur contrarius nivi, quæ est frigefactiva; Itaq; de Contrariis propriè dictis, de quibus hic est sermo, ut continuetur

VI. *Describuntur oppositа contraria.*

Dico 1. *Ea benè describi, quòd sint illa, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subjecto vicissim insunt, à quo mutuo se expellunt, nisi alterum eorum insit à naturâ.* Ita Aristoteles 10. Met. cap. 6. Probatur: Quia omni & soli convenit; ergò. Probatur ant. explicando omnes ejus particulas; Particula itaq; *Ea* denotat ipsa opposita & habet rationem generis, *quæ sub eodem genere maximè distant*, id est, quæ essentialitèr & specificè distinguuntur, licet in genere conveniant, ut albedo & nigredo, & potest etiam nonnunquàm intelligi de genere remoto, ut vitium & virtus. Per ly *Eodem subjecto* denotatur repugnantia contrariorum in eodem subjecto tantùm, & hoc ipsum in gradibus intensis. Additur *nisi alterum*, &c. quia calor ab igne, & frigus ab aquâ non potest saltèm naturaliter expelli, quia connaturales sunt. Advertendum autèm, quòd per ly ab eodem subjecto non intelligatur subjectum informationis, quia à tali subjecto sese invicèm mutuo expellunt etiam formæ substantiales.

VII.

Dices: Albedo & nigredo sunt contraria Aristotelica, sed non expellunt se mutuò ab eodem subjecto, ergò malè describuntur. Probatur mi. quia albedo & nigredo simùl reperiuntur in corpore rubro & cæruleo, quia colores medii participant aliquid de extremis. R. albedinem & nigredinem se expellere ab eodem subjecto tantùm in gradibus intensis, non verò in gradibus remissis. Sed

Instabis: Scotus 1. d. 43. q. un. n. 2. dicit: repugnantiam quamcunq; extremorum esse ex suâ ratione formali & per se essentialitèr circumscripto, quocunq; alio respectu utriusq; extremi ad quodcunq; aliud, scilicet album & nigrum sibi contrariantur per se ex suis rationibus formalibus. Idem d. 36. q. un. n. 14. ait sic; *quidquid repugnat alicui formaliter ex se repugnat*, ergò secundum Scotum illa non sunt contraria quam se ullo modo compatiuntur, etiam in gradu remisso. Probatur consequentia, quia cuicunq; de se & ex naturâ suâ competit aliquid, illud ipsi competit, ubicunq; reperitur, sed natura albedinis & nigredinis reperiuntur in colore rubro & cæruleo, & consequentèr albedo & nigredo. R. Scotum tantùm loqui de illis, quando perveniunt ad talem gradum intensionis, quia tunc ex naturâ ipsius intensionis repugnat. R. 2. In colore medio non misceri colores extremos totalitèr, quòd duo gradus illorum sint simùl vel plures in eâdem parte subjecti, sed quòd in hâc parte subjecti sint tot gradus albedinis, & in istâ parte tot nigredinis, & quia istæ partes sunt valdè minutæ, & isti duo colores valdè intimi, apparet color cæruleus. Respondet tertiò ipse Scotus q. 30. in prædicamenta, in colore medio non reperiri colores extremos formaliter, sed tantum virtualitèr.

Urgebis. Scotum, cujus medietas est alba, & medietas est nigra, est simpliciter coloratum; ergò vel album, vel nigrum, vel affectum aliquo colore medio. Probatur consequentia ex Philosopho 2. Topicor: dicente sic: *Quidquid denominatur à genere, denominatur à specie aliquâ ejusdem generis.* R. cum Scoto q. 4. sub lib. 4. Met. ubi tres modos ponit explicandi illud Philosophi; quidquid denominatur

ab

ab aliquo genere, denominatur ab aliquâ ejus specie, secundùm inesse concedo, secundùm inesse determinatè ab hâc unâ scilicet specie, nego; undè ℟. 2. negando consequentiam, quia tantùm sequitur quòd sit medietas colorata colore hujus speciei, & medietas colore istius speciei, & hoc ideò, quia species istius generis natæ sunt afficere subjectum integralitèr extensum, aliud est de speciebus animalis.

VIII. Ista solutio non est.

Dico 2. *Divisio in prælegata quatuor membra oppositionum benè & sufficienter est allegata.* Ita Doctor 5. Met. cap. 9. n. 78. ubi idem sic probat: Opposita vel ponunt vel excludunt, si ponunt se sunt relativa, quæ ratione mutuæ dependentiæ simul sunt, & non sunt; si excludunt se vel utrumq; (scilicet extremum oppositionis) ponit aliquid vel nihil; si utrumq; ponit aliquid, sunt contraria, quæ sub eodem genere dicunt duas naturas maximè distantes; si verò utrumq; non est aliquid positivum, sed alterum negativum vel negatio simplicitèr, sic sunt contradictoria, vel est negatio in subjecto apto, nato & determinato, & sic sunt opposita privativè, ergò sufficienter enumeratur divisio oppositionum. Inter has oppositiones maxima est contradictoria, quæ in nullo prorsùs conveniunt, huic vicinior privativa, quæ admittit aliquod medium, verbi gratiâ, visio & cæcitas in ligno non sibi opponuntur, quia petit subjectum aptum, natum & determinatum, non sic contradictio, quæ in quocunq; subjecto repugnat. Tertia est contraria, quæ adhuc minor est, quia extrema ejus conveniunt in aliquo genere etiam proximo, ut albedo & nigredo, omnium minima est relativa, cujus extrema se compatiuntur in eodem scilicet paternitas & filiatio.

QUÆSTIO II.

Quot modis unum dicitur alio priùs & posteriùs?

1. Philosophus assignat quinq; species & modos, quibus aliquis alio dicitur prior. *Primò* dicitur aliquis alio prior tempore, si pro aliquo tempore existat, antequàm ille alius extitit, & sic homo, qui generat alium hominem, est prior illo alio. *Secundò* dicitur aliquid alio prius consequentiâ, si scilicet talis sit naturæ, ut ab ipsâ non valeat consequentia ad alterum, & sic animal dicitur prius homine, vocaturque hæc prioritas aliquando prioritas naturæ, & prioritas illorum, à quibus non convertitur subsistendi consequentia. *Tertiò* dicitur aliquid alio prius ordine, ex eo, quòd debeat priùs collocari & ordinari in aliquo ordine, sive sit priùs tempore, sive non; & sic dicitur exordium in oratione esse priùs narratione. *Quartò* dicitur aliquid alio priùs ob dignitatem majorem, & sic substantia est prior accidente, & Deus prior creaturâ, & in hoc sensu intelligunt aliqui prioritatem illam, quâ dicitur Deus concurrere priùs ad productionem effectus, quàm causa secunda. *Quintò* dicitur aliquid alio prius naturâ, ex eo quòd licet convertibiliter dicatur cum altero, hoc est, ita quòd ab alio ad aliud valeat consequentia, & econtra est tamen causa aliquo modo & principium alterius, sic homo est priùs risibilitate. Tot modis autèm, quot dicitur aliquid unum priùs altero, tot modis dicitur etiam esse posteriùs. Omnes hic quinque modi comprehenduntur hoc disticho:

Tempore naturâ, prius ordine, dic & honore,
Causâq; causato, dicitur esse prior.

QUÆSTIO III.

Quot modis dicatur aliquid simul esse cum altero?

1. Quamvis tot modis possit dici aliquid simul cum alio, quot modis dicitur aliquid alio priùs & posteriùs, Philosophus tamen de tribus tantùm fecit mentionem, tanquàm de magis necessariis modis simultatis. *Prima* simultas est temporis & hanc habent ii, qui eidem tempori & durationi coexistunt, ut *Castor & Pollux, Hector & Achilles, Jacob & Esau. Secunda* est naturæ & talem habent ea, quæ dicuntur ad convertentiam, cùm tamen unum non sit causa alterius, & sic correlationes sunt simùl, ut *paternitas & filiatio. Tertia* simultas est specierum & differentiarum æq; immediatè contrahentium aliquod superius, & sic *homo & brutum, rationalitas & irrationalitas* sunt simul, quia æq; immediatè contrahunt animal, & hi tres modi sequentibus comprehenduntur versibus:

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est,
Quæ convertuntur, dicimus esse simul:
Suntq; simul species, genus, unum distribuentes.

QUESTIO ULTIMA

Quot modis dicitur aliquid aliud habere?

1. Postquàm Philosophus egit de modis prioritatis, posterioritatis, & simultatis, egit etiam de speciebus motûs, scilicet de generatione & corruptione, de accretione & decretione, de alteratione & latione, seu motu locali; sed quia de his omnibus agam copiosè in Physicâ, hic abrumpo filium, & brevitèr explico, quot modis aliquid aliud dicatur habere, idq; verbis D. Augustini in terminis Categ. 16. ubi sic eos enumerat: *Non uno modo aliquid habere dicimur, quantùm enim tractando colligimus sub hoc verbo, sunt octo, quasi quædam species; Prima est, quoties animo habemus aliquid, ut justitiam, castitatem, injustitiam, vel libidinem; Secunda, quoties in corpore aliquid habere dicimur, ut albedinem & nigredinem, varietatem, vel cætera, quæ per qualitatem corpori insident; Tertia, de quantitate descendit, quoties quatuor, vel quinque pedum habere dicimur longitudinem; Quarta, cum non in toto corpore, sed in parte corporis aliquid habere affirmamus, ut in digito annulum, in pede calceos, vel cothurnos; Quinta species est, cum non in corpore, sed circa corpus habere aliquid dicimur, ut est vestimentum atq; indumenta omnia; Sexta, quoties ipsas partes corporis habere narramur: ut manus, pedes, caput, aut reliqua, quæ sunt in compagnie membrorum.* Septimus verò *locus est, quoties far vel vinum vas aliquod habere di-*

citur; Octavus habendi gradus, qui possessionem nostram, vel Dominum videtur ostendere, cùm ædes, vel rus quis habere dicitur, vel sepulchra majorum; qui modi sequentibus versibus benè explicari possunt secundùm meum videri:

Affectum, varium, cum quanto dic velut aurum,
Vestitum, membrum, contentum, rura vel ædes.

Et quamvis Doctores alii communitèr & ordinariè apponant modum habendi, *quo vir habet mulierem*, id tamen non rectè dici, sequentibus declarat Sanctus Augustinus supra cit. *Hi sunt*, dicens: *modi habendi, quos designato numero comprehendimus, extra quem si quis potuerit invenire, desidiæ nostræ culpa non erit, cùm Philosophus ipse liberum dimiserit arbitrium inquirentibus.* Sanè illud verbum multi Doctorum respuunt, atq; impropriè proferri confirmant, cùm mulier habere maritum dicitur, vel vir uxorem, vel pater filium, vel filius genitorem, propterea quòd asserant, nihil habere posse quod habentem habeat, sed rectiùs dici autumant: *esse mulieri virum, vel viro uxorem, &c.* siquidem hujus verbi vim *in hoc esse contendant, ut significare non possit & habere aliquem, & haberi.* Quemadmodum explicandi & recensendi ordinem S. Augustini, Ambrosius Peuplus videre non debuit, qui enumerans octo modos habendi, ponit locò qualitatis habendi modum, eum quo vir habet mulierem, & adhuc tamen asserit, D. Augustinum asserere: eos octo esse habendi modos, sanè quamvis sic Sanctus Pater incipiat, in progressu veldè variat ordinem ab Ambrosio & communi proposito, sed de his sicut & totis prædicamentis dicta sufficiant, unde ut cum eodem memorato Theologo & Philosopho nostro claudam dicens: *Tandem, quasi magni æquoris freta transgressi categoriarum numerum terminavimus.*

PARS

PARS IV.

TRACTANS LIBROS PERIHERMIAS, SICUT ET DE PRIORI ET POSTERIORI ANALYSI ARISTOTELIS.

QUæ hactenus tractavi, ad primam ſpectant mentis operationem, in hác ergò parte comprehendam ea, quæ tam ſecundam, quam tertiam concernunt, & ea, quæ ſecunda ſibi vendicare poſſit, præſtabit liber Perihermenias, ſeu de interpretatione ſic dictus, quia agitur in eo de propoſitionibus, earumq; veritate & falſitate, quæ ſunt mentis noſtræ interpretes, conceptus noſtros proponentes, nam quia anima mortalis corporis carcere clauſa, privata Angelorum felicitate, qui ſuos conceptus ad ſe invicem dirigendo ſumma expeditione ad ſe invicem loquuntur, & anguſtiatus ſpiritus inter vaſa carnis ſicut nihil, niſi per ſenſuum miniſterium & ſervitium intelligit, ita nihil niſi his concurrentibus de intellectis manifeſtare poteſt; Unde non agitur hîc de vocibus ſimplicibus, quia licèt hæ aliquid interpretari poſſint, id non faciunt completè, & in quantum voces ſunt, ſed valdè imperfecto modo, qui nunquam ſufficienter quietat intellectum audientis interpretationem, & quamvis Ariſtoteles de iis etiam hîc egerit aliqualitèr, id tamen non fecit alio fine, quàm quia inſerviunt propoſitionibus veluti materia. Suppono autem contra Andronicum Radium, qui ob nonnullas frivolas rationes contrarium ſentit, Authorem Libri de Interpretatione eſſe Ariſtotelem (hoc opus apud Græcos uno complectitur libro, apud latinos duobus) quia ſic nunc & defacto ſentiunt Boëthius, D. Thomas, Scotus, Amonius, & etiam dicendi methodus, ſtyli comitas, proponendi gravitas, Peripateticorum principem Authorem clamant. Quæ verò tertiam mentis operationem concernent, præſtabunt libri de priori & poſteriori Analyſi, qui cur ſic intitulentur, dicam, cùm de iis ſpecialitèr acturus ſum. Quia tamen plura jam in ſummulis tetigi, ideò brevitati conabor ſtudere, & à ſuperflua dictorum repetitione abſtinebo. Præmittam tamen Diſputationem de ſigno, tùm quia S. Auguſtinus dicit lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. *Res per ſigna dicuntur*, & 12. ſupra Geneſin inquit: *Cùm loquimur utiq; ſigna rerum dantur*; tùm quia ſignorum notitiam plurimùm juvat ad plenam materiæ hujus notitiam aſſequendam. Sit igitur

DISPU-

DISPUTATIO I.

DE SIGNO.

QUÆSTIO I.

Quid & in quo consistat significatio formalis?

I. *D. Augustinus variè definit signum.*

Divus Aurelius Augustinus lib. de Magistratu cap. 4. & alibi sæpè definit signum, *quòd sit illud, quò aliquid significatur*, nam capite supra citato ait: *Dicimus ea signa universaliter omnia, quæ significant aliquid*, vèrumtamèn hæc est valdè impropriè acceptio, nec sufficientèr explicat naturam signi, cùm non sit notius, quid sit significare, quàm quid sit signum esse? nec etiam est intentio Sancti Doctoris, per illud dictum definire propriè signum, sed in communi vulgi acceptione, quare notantèr dicit: *Dicimus universaliter*, quemadmodum solet is, qui applicat ignem ad domum comburere domum, dici & significari, cùm tamen significetur, cùm reverà non comburere sed ignem. Secundò adhuc accipitur signum in laxiori acceptione aliquâ pro omni eo, quod aliquid potentiæ cognoscitivæ repræsentat, sive illud sit spirituale, sive materiale, & in hâc acceptione definit Magister sententiarum Sacramentum, quòd *sit invisibilis gratiæ visibilis forma*, id est, *visibile signum*; frustrà enim adderetur visibile, si nullum daretur insensibile singnum, hoc est, signum quod nihil repræsentet sensibus, benè tamen potentiis insensibilibus & spiritualibus, ut sunt cognitio, character baptismalis, &c. Tertiò tandem accipitur propriè, prout ea compræhendit, quæ sub sensum cadunt, cùm enim omnis nostra cognitio oriatur à sensibus, ea signa appellare solemus, quæ sensum movent, & in hâc acceptione definit S. Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. 1. *Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire*, seu ut alii & Oviedo legunt, *est quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*, quas definitiones signi in tertiâ acceptione bonas esse, dubium non est & signum in primâ acceptione solet vocari formale, in secundâ instrumentale, nec de hoc controvertitur, benè tamen, an hæc signi definitio competat signo? prout ab utrâq; acceptione præscindit, seu prout præscindit à signo formali & instrumentali, & communitèr rejicitur; Attamen etiam prout sic abstrahit ab eis.

II. *Signum ab Augustino bene definitur.*

Dico 1. *Benè definitit S. Augustinus signum per datam supra definitionem.* Hæc est, credo, paucorum & nullius, quem apud me habuissem; Pontius exiguam tàm universalis Doctoris reverentiam habens, planè eam rejicit; Attamen

Probatur Conclusio primò.

Illa est bona definitio alicujus, quæ omni & soli competit absq; superfluitate; sed hæc competit omni signo secundùm rationem communem; ergò est bona. Probatur mi. si esset aliquod signũ, cui non competeret maximè, essent characteres sacramentales, & alia si quæ dantur signa spiritualia, sed hæc signa sub hâc definitione comprehenduntur; ergò competit omni & soli, & quòd competat signis materialibus, est extra controversiam. Probatur mi. si non competeret, esset ideò, quia signa spiritualia & characteres non possunt cadere sub sensum, sed cadunt; ergò. Probatur: Quia cadunt sub intellectum; sed intellectus est sensus; ergò. Probatur mi. illud verè dicitur esse sensus cui competit sentire; sed intellectui competit sentire & opinari, unde dicere solemus in sano vel pravo sensu, ut quilibet explicet suum sensum, id est judicium; ergò; Et si sic accipiatur ly sensibus in definitione. Augustini verè competet cuilibet signo, prout etiam sentit Doctor 4. d. 6. q. 10. n. 5. nec in ullo est inconvenientia, & sanè si hanc definitionem proposuisset Aristoteles, credo quòd crepantibus buccis ab omnibus proponeretur & defenderetur, ut patet in pluribus aliis, ubi per fas & nefas, si non in re, verba circumulant, ut vel leve aliquod dictum Aristotelis tueantur, & eidem apparentiam faciant. Confirmatur ex D. Bernardo, qui Serm. 10. & alibi frequentèr intellectum sensum vocat, ergò.

III.

Dices: Quamvis per sensum possit intellectus intelligi, aliquando non posse tamen hic, quia faceret sensum, quòd signum sit illud, quod præter speciem quam ingerit intellectui, aliud facit incognitionem venire, nam tunc eidem ingereret, & eundem faceret venire in cognitionem. R. quòd sensus erit disjunctivus, ita quòd tàm huic quàm illi & tertiò sensui aliquam ingerat speciem, & si sit spiritualis, quòd etiam eundem faciet in cognitionem venire, non tamen secundùm idem sed secundùm aliud puta secundùm species impressas, quas Adversarii dicunt esse signa formalia, nec est inconveniens etiam, quòd idem seipsum repræsentet sibi ipsi cognoscendum, prout evenit in cognitionibus reflexis, & etiam in aliquibus signis instrumentalibus, nam ly *vox Verbum Nomen, &c.* non modò alias voces, verba, nomina, &c. repræsentant sed etiam seipsa. Sed ut hæc Doctrina magis confirmetur & solidius stabiliatur, Nego pro isto statu alia esse signa quàm instrumentalia, quo probato definitio omninò rejici non poterit, adeoq;

IV. *Species impressæ non sunt signa nec expressæ.*

Dico 2. *Nec species impressæ, nec species expressæ sunt signa propriè dicta.* Hæc solummodò patrocinium habet à Barone, & Probatur de speciebus impressis: Quia secundum communem sententiam objectum non est signum; ergò nec species impressa; probatur consequentia: quidquid impedit objectum esse signum, impedit etiam speciem impressam; sed objectum ex concessis non potest; ergò nec species: probatur ma. quia species impressa supplet vices objecti ergò. Confirmatur habitus, qui se tenet ex parte potentiæ ad producendam cognitionem, non habet rationem signi; ergò nec species quæ se tenet ex parte objecti.

Proba-

Probatur etiam de speciebus expressis: Omne signum debet esse medium ad cognitionem, sed species expressa non est medium ad cognitionem; ergò species expressa non est signum; probatur mi. quia species est ipsa cognitio; ergò non est medium, *dices*: cognitionem esse posse medium ad aliam cognitionem; ergò potest esse signum; probatur ant. quia potest Astrologus cognoscere solem, cujus cognitionem cognoscens Angelus deveniret in cognitionem solis; ergò species expressa potest esse medium cognitionis. R. dist. ant. cognitio est potest medium ad aliam cognitionem, in eodem intellectu; nego ant. in diverso concedo ant. & nego consequentiam; vel si tibi hoc displicet R. 2. potest esse medium ad cognitionem directè, nego ant. reflexè transeat ant. & nego consequentiam; dico notanter transeat, quia etiam quando reflexè cognoscitur, non videtur habere rationem signi, sed potiùs objecti, nisi fortè quis per cognitionem reflexam vellet ipsum objectum cognoscere. Verumtamen contra Primam Conclusionem sic Ex Barone

V. *Species facultatum appetitivarum non sunt signa.*

Arguitur: Præmissæ faciunt in cognitionem venire conclusionis, sicut & alii effectus in cognitionem suæ causæ, ut est Eclypsis lunæ in cognitionem terræ oppositæ, inter solem & lunam, risibilitas in cognitionem hominis; sed tàm præmissæ quàm Eclypsis, aut risibilitas sunt signa hujusmodi cognitorum; ergò non obstante priori explicatione & exclusione specierum impressarum à ratione signi malè adhuc definietur. R. dist. ma. movent, vel faciunt venire in cognitionem discursivam, concedo ma. in cognitionem apprehensivam, & concessâ mi. nego consequentiam; signum autèm non debet me deducere in quancumq; cognitionem, sed in eam, quæ sequitur ex cognito signo veluti medio. Nihilominùs

Instatur: Cognitio discursiva maximè est cognitio; ergò si signum debet facere venire in cognitionem, faciet venire in discursum etiam; ergò in priori solutione malè excluditur: R. negando consequentiam, quia licet discursus sit potissima species cognitionis, signum tamen abstrahit ab illâ ex eo quòd deprehendantur etiam in pluribus signa, in quibus non reperiuntur discursus, ut patet in Angelis, qui sibi per signa loquuntur, & in probabili sententiâ non discurrunt, imò manendo inferiùs, animantia discursûs & rationis incapacia sunt, apud ea tamen vigent signa, constat etenim experientiâ, quòd feles & etiam canes ad pulsum campanæ compareant in Refectoriis Regularium & plura alia.

Urgetur: Signa plura imò omnia faciunt venire in cognitionem per discursum; ergò non præscinditur ab eo. Probatur ant. Quia iste est verus discursus diversus: si quis videret hæderam ante fores pendentem & diceret: hic hædera est; ergò vinum vendibile; fumus est; ergò ignis, vel calor latens &c. ergò R. negando ant. ad cujus probationem dico: in istis & similibus casibus non esse verum discursum, sed tantùm simplicem illationem, quæ æquivalet cuicunq; propositioni convertibilis.

Replicatur. Dantur signa etiam respectu propriè dictorum judiciorum & discursuum; ergò: probatur ant. quia possumus proposito signo recordari propositionum & discursuum; ergò. R. negando ant. cujus probationem distinguo, in quantum habent rationem judiciorum & discursuum, nego; in quantum simplicitèr apprehenduntur, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; quando proposito aliquo signo recordamur, & devinimus in cognitionem alicujus discursûs olìm habiti, tunc ille discursus apprehenditur simplicitèr, non verò consideratur veluti formalis discursus.

VI. *In quolibet signo duo inveniuntur respectus.*

Quantum ad alteram partem quæstionis, in quonam videlicet, ratio consistat signi, non exigua est controversia, nam ut ex D. Bonaventura colligitur 4. d. 1. q. 2. in quolibet signo duo interveniunt respectus & relationes, una ad rem, quam significat, altera ad potentiam cognoscentem & percipientem, verbi gratiâ, ad intellectum, vel alium sensum, cui rem significatam repræsentat, unde si fumus non respiceret latentem ignem, quem prodit, & aptus esset hoc potentiæ repræsentare, nunquàm haberet rationem signi. In quâ materiâ resolvendâ Connimbricenses dicunt utrumq; respectum esse de ratione formali signi. Ecntra verò D. Thomas, Scotus, D. Bonaventura constituunt ejus rationem formalem in respectu ad signatum, & ad potentiam esse veluti, verbi gratiâ, passionem, aut aliquam proprietatem, cum quâ etiam

VII. *Ratio signi consistit in relatione ad rem.*

Dico 3. *Si ulla ex relationibus illis duabus est signo essentialis erit illa ad rem significatam.* Ita secunda sententia. Et Probatur Authoritate tùm S. Augustini, qui expresè docet signum significare rem, seu dicere respectum ad rem, nam supra Gen. 12. supra dicit: *Cùm loquimur signa utiq; rerum dantur.* Item Magistri sententiarum 4. d. 1. qui definit sacramenta ex eodem S. Aug. 10. de Civit. cap. 5. *Signum rei sacræ.* Et Scoti 4. d. 1. q. un. ubi ait: *relationem signi esse simplicem,* ubi intelligit eam, quæ est ad signatum, ut ex antecedentibus patet.

Probatur Conclusio etiam Ratione: Illud quod est in aliquo prius, quàm aliquod aliud, potius statuendum est pro essentiâ, quàm illud posterius; sed prius convenit signo relatio ad signatum, quàm relatio ad potentiam; ergò si ulla relatio ex istis duabus sit essentialis, illa erit relatio ad signatum; ma. est certa: minor etiam, ergò consequentia est evidens, quæ ulterius probatur: quando habetur relatio repræsentationis alterius, à se habetur ratio formalis signi; sed hæc habetur in proposito per ordinem ad signatum, ergò. Probatur ma. quia ad relationem sufficit ratio fundandi & terminandi cum externis coëxistentibus; sed hæc omnia habentur, ut patet ante relationem ad potentiam; ergò habetur ratio formalis signi. Probatur etiam minor adhuc, quia posset Deus instituere hæderam, quòd esset signum belli, vel pacis, absq; eo quod aliqua potentia id cognosceret, sed tunc veram rationem signi haberet, ergò; Quare respectus ad potentiam ad summum erit propria passio, idq; secundum aptitudinem, quam habet ad deducendum ali-

quam potentiam in cognitionem alterius; dixi ad summum secundum habitudinem, quia actualis deductio est merum accidens, nam sopitis omnibus potentiis & sensibus naturaliter fumus significat ignem. Sed pro Conimbricensibus.

VIII. *Non omnia quæ ponuntur in definitione sunt de essentiâ definiti.*

Arguitur: Illa quæ ponuntur in definitione, sunt de essentiâ definiti, sed uterq; respectus ponitur in definitione; ergò uterq; erit de essentiâ. R. negando ma. nam non omnia, quæ essentialia sunt tantùm in definitione exprimuntur, sed etiam nonnunquàm & sat frequentèr ea, quæ sunt propria propter majorem claritatem & meliorem intelligentiam.

Instatur: Illa debent censeri poni essentialiter in definitione, quorum unum sine altero intelligi nequit, sed unus respectus sine altero intelligi nequit; ergò directè uterque ponitur in definitione. Probatur mi. unus sine altero referri nequit; ergò nec unus sine altero intelligi nequit. R. negando mi. cum suâ probatione, & ratio patet ex dictis. Deinde sequeretur, quòd signum esset ens per accidens, nimirùm compositum ex duabus relationibus diversæ speciei, quæ non habent se per modum actûs & potentiæ; quia certum est, signum & signatum esse correlativè opposita; ergò fundamentum adæquatum correlationis, quæ vocatur significatio passiva, est res significata, sicut & significationis activæ fundamentum adæquatum est ipsum signum, oppositorum enim eadem est ratio. Sed

Urgetur. Dantur multæ aliæ relationes, quæ essentialiter diversa respiciunt; ergò etiam signum poterit essentialiter diversa respicere, scilicet signatum & ipsam potentiam; probatur ant. quia relatio generis essentialiter respicit diversas species, spiratio passiva respicit Patrem & Filium, veluti duos spirantes; ergò. R. negando consequentiam: Quia non ex eo quòd aliqua relatio possit plures respicere terminos, dicitur præcisè signi rationem formalem esse respectum ad signatum, sed quia per hunc respectum completur inesse signi adeoq; superfluè additur alter respectus ad potentiam, tanquàm esset essentialis.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit signum?

I. *Signum primò multipliciter dividitur.*

Scotus 4. d. 1. q. 2. D. Thomas 4. d. 1. q. 1. a. 1. Ricchardus & Theologi communiter signum primò dividunt *in Rememorativum, Demonstrativum & Prognosticum.* Item *in Practicum & Speculativum.* Signa *rememorativa* appellant ea, quæ aliqua præterita in memoriam revocant, hujusmodi est, quod Deus statuit in iride Geneſis 6. ubi dicit: *Ponam arcum in nubibus cœli & recordabor fœderis mei*: Signa demonstrativa ea sunt, quæ præsentia demonstrant, ut fumus ignem, gemitus dolorem: *Prognostica* verò sunt, quæ futura & ventura denuntiant, ut visio Iridis denuntiat nobis nunquàm futurum Catalysmum, & venturam pluviam, & talia sunt etiam varii colores, tum in lunâ tum in sole. Juxta illud Poëtæ: *Cæruleas pluvias denuntiat igneus Eurus*, & alterum *Pallida luna pluit, rubicunda fluat, alba serenat.* Signa *Practica* ea dicuntur, quæ non modò aliquid significant, sed etiam illud quod signant, efficiunt, & talia sunt Sacramenta, quæ sunt invisibilis gratiæ visibilia signa, eamq; efficiunt & causant, an Physicè vel moraliter? non est hujus fori; *Signa speculativa* sunt, quæ signatum suum non efficiunt sed tantùm ad ejus cognitionem ducunt, imò & plura alia adferri solent, verumtamen quia vel ad propositum non spectant, vel ad ea de quibus hîc agam reducuntur, ideò enumerationem eorum omitto. Quantum pertinet ergò ad præsens institutum, aliqui signum ut sic dividunt *in formale & instrumentale; formale* vocant *rationem cognoscendi non cognitam*, & sunt species tàm expressæ quàm impressæ; *Signum* instrumentale appellant *rationem cognoscendi cognitam*, id est, quæ prius cognita, postea ducit in cognitionem alterius, sed quia in quæstione præcedenti exclusi signa formalia à ratione signorum, nihil amplius de iis agendum restat. Signum itaq; propriè & primò dividitur in *naturale & adplacitum*, seu ut D. Augustinus loquitur lib. 2. Doct. Christ. cap. 1. *Signorum alia sunt naturalia, alia data*: Naturalia sunt, quæ sine voluntate atq; ullo appetitu significandi præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicut est fumus significans ignem, non enim volens significare id facit sed rerum expertarum animadversione & notatione cognoscitur, ignem subesse, etiam si fumus solus appareat; sed & vestigium transeuntis animantis ad hoc genus pertinet, & vultus irati, seu tristis affectionem animi significat, etiam nullâ ejus voluntate: id est absq; aliquâ institutione & cap. 2. ait: *Data verò sunt, quæ sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantùm possunt motus animi sui vel sensa aut intellecta quælibet*: Nec ulla causa est nobis significandi, id est, signum dandi, nisi ad depromendum & trajiciendum in alterius animum, id quod in animo gerit is, qui signum dat. Brevitèr, *signum naturale independenter ab institutione, & adplacitum dependenter significat.* De hâc ergò divisione quæritur, primò, an bona sit & adæquata? secundò, an Relatio signi ad suum signatum sit realis, vel rationis? non quæritur autèm de relatione signi adplacitum, quia de hâc communiter sentiunt, quòd sit denominatio extrinseca, aut si est relatio, quòd ea vel erit rationis vel aliqua moralis. Quantum ad primum, duplex est sententia, Affirmativa una, altera negativa; negativa putat, quòd dentur aliqua signa, quæ nec sunt naturalia, nec ex institutione, & tale vocant signum ex consuetudine, quale dicunt esse illud, quod canis domum rediens significet adventum Domini, &c. Attamen contra hanc sententiam

II. *Bene dividitur signum in naturale & adplacitum.*

Dico 1. *Divisio signi in naturale & adplacitum est adæquata.* Hæc est communior Scotistarum & in Scholis & Probatur, tùm authoritate D. Augustini sic dividentis, tùm ratione. Quia omne signum vel ex institutione hominum, vel est independenter ab institutione hominum; si est ex institutione hominum, est adplacitum; si autèm est independenter à tali institutione, erit naturale; ergò adæquatè divide-

dividetur signum in naturale & adplacitum: Major patet, quia non est assignabile aliquod aliud signum, ergò. Probatur ant. si esset aliquod aliud, maximè esset illud, quod Adversarii vocant signum ex consuetudine, sed tale est signum naturale, ergò ma. est authorum. Probatur mi. quia adventus canis ante adventum Domini, vel pulsus quo audito canis, aut felis ad mensam accurrere solet, est naturale, quia est independenter ab hominum institutione; ergò naturale, parum enim est an aliquid sit signum intrinsecè alteri connexum & adnexum, an verò extrinsecè ad hoc, ut sit signum naturale, nam omnia signa naturalia dico dummodò non dependeant ab institutione.

III. *In quale sit signum?*

Dices: Iris est signum nunquàm deinceps futuri Catachlysmi 9. Gen. sed illud nec est naturale, nec est adplacitum; ergò non est adæquata divisio in signum naturale seu natum & datum. Probatur mi. quòd non significet ex institutione, quia tale definitur, quòd sit significans ex voluntate hominum, sed hoc non significat ex voluntate hominum, nec naturale, quia quod est naturale, semper idem debet significare; sed iris ante diluvium non significabat idem, ergò. R. concessa ma. negando mi. pro secundâ parte, scilicet quòd non sit adplacitum, unde ad probationem dico, quòd quando signum adplacitum describitur, quòd sit illud, quod significat ex hominum institutione quodque illi instituerunt, non verò universalitèr, quasi non posset etiam Deus instituere signa ad placitum. Ad secundam probationem dico, quòd idem manens idem sine ullâ variatione, non quidem possit aliud significare, si tamen variari intrinsecè potest per aliquam denominationem extrinsecam, sicut contingit in iride, quæ sub alio & alio respectu aliud & aliud significat, ex institutione fœdus inter Deum & genus humanum, ex naturâ venturam pluviam.

Instabis, Illud signum, quod habuit Cain, Genesis quarto, ex institutione vel naturale fuit, sed hoc nec potest dici fuisse ex instituto nec naturale. Probatur mi. non ex instituto & adplacitum, quia alioquin nullus agnovisset ipsum signum, nisi à Deo fuisset revelatum, de quâ revelatione non constat, nec potest dici naturale, quia sic quilibet homo haberet illud, quod est figmentum, ergò R. Etiam illud signum fuisse adplacitum seu ex institutione, quale autèm fuerit, controvertitur nec in scripturâ aliquid determinatè statuitur, & Judæi de hoc plurima fabulantur inania, quare puto hoc signum fuisse gemitum & crebra ejus suspiria, ut tectatur D. Hieronymus epist. 115. Nam ubi in vulgari editione legitur: *Ero profugus & vagus*, Septuaginta habent: *Ero gemens & suspirans*, unde ex illo gemitu & suspiriis hominum commovebantur, ne illud occiderent, quare in formâ respondeti potest sicut supra.

IV. *Signum est naturale conventionale.*

Quoad alterum dubium resolvendum prænotandum est, quòd signum sit nomen concretum, cujus forma est semper relatio significationis ad suum signatum; subjectum autèm est illud in quo fundatur talis relatio, & vocatur signum fundamentalitèr, sicut significant Sacramenta gratiam, & vox homo respectu naturæ humanæ est signum fundamentalitèr; relatio verò per quam significatur Sacramentum & natura humana dicitur, signum formalitèr: hoc prænotato ad dubium resolutivè

V. *Signum naturale non semper consistit in relatione reali.*

Dico 2. *Signum naturale ut sic formalitèr sumptum, non semper consistit in relatione reali, aliquando tamen sic consistit.* Probatur 1. p. Essentia divina est signum naturale respectu omnium possibilium & contingentium, sed essentia divina non dicit relationem realem ad creaturas, ergò. Confirmatur: Iris est signum naturale futuræ pluviæ; sed iris non dicit realem relationem ad pluviam; ergò. Probatur: quia ex Scoto, ut sit relatio realis, requiritur, ut etiam ejus terminus sit existens, sed tunc non est terminus existens, quia denuntiat primò venturam pluviam. Probatur etiam secunda pars: Quia fumus respectu ignis existentis habet omnes conditiones requisitas ad relationem realem, item bruta cognoscunt multa mediantibus nonnullis signis & speciebus inpressis, sed bruta nihil cognoscunt per relationem rationis, quia institutionem non apprehendunt; ergò per signa naturalia realia, quod est intentum.

VI.

Dices: Falsum esse, quòd ad terminum non existentem non detur relatio realis, ergò fundamentum conclusionis ruit. Probatur ant. quia aptitudo in me ad ridendum est relatio realis, sed hæc refertur ad terminum non existentem, verbi gratiâ, ad actum ridendi; ergò falsum est dicere: relationem realem necessariò prærequirere terminum existentem. R. Illam relationem aptitudinis esse realitèr eandem cum illo, cujus est aptitudo, adeoq; esse realem ex parte fundamenti, esse tamen relationem rationis ex parte termini, neq; hoc majorem patitur difficultatem, quàm quòd relatio dependentiæ creaturæ ad Deum, quæ juxta Scotum est eadem realitèr cum fundamento, sit relatio rationis ex parte termini, scilicet ex parte Dei, qui nullam dicit relationem realem ad creaturam, & sic intelligenda est conclusio, quòd quantùm est ex parte rei significatæ seu termini significationis activæ, quæ est in signo naturali relatio significationis passivæ sit tantùm rationis, licèt ex partè ipsius signi naturalis sit relatio realis aptitudinalis significationis. Sed pro Complemento

VII. *Non omnes causæ sunt signa effectuum.*

Quæres: An Causa possit esse signum respectu sui effectûs? R. Plures esse causas, quæ sunt etiam signa suorum effectuum, non tamen omnes. Probatur quoad primam partem: Quia nubes gravida est signum futuræ pluviæ, & tamen etiam est ejus causa, si non efficiens saltèm materialis; Cometæ sunt signa effectuum extraordinariorum & tamen etiam sunt eorum causæ; Item Sacramenta gratiam & significant & causant, quod verò non omnes patet: quia materia & forma sunt causa compositi, & tamen non sunt signum, alioquin esset quid relativum, item Pater est causa Filii & tamen non dicitur ejus signum; Et Deniq; Deus Optimus maximus est Causa prima omnium rerum creatarum, & tamen non dicitur esse earum signum.

QUÆSTIO III.

Quid significent voces, an res vel conceptus, an verò utrumq;?

I. Voces esse signa eaq; ex institutione seu ad placitum ut docet D. Aug. lib. 6. Musc. cap. 9. dicens: *De vocabulis nihil satagas, res in potestate est, beneplacito enim non naturâ imponuntur*, quibus repræsentamus nobis invicem, quid in mente cujuslibet lateat? non est dubium; unde hic in quæstionem vocatur, an quando aliquis vocem aliquam vel plures profert, an tunc voces illæ significent res? an verò conceptum loquentis seu cujuslibet intellectionem & actualem cognitionem? Pro cujus rei faciliori perceptione Notandum primò, per rem impræsentiarum aliud non intelligi, quàm ipsum objectum; per conceptum verò cognitionem, seu ipsum mentis partum; nec est sermo de vocibus non significativis, sed significativis, & hoc non de vocibus institutis ad significandos solos conceptus, ut sunt vox *Conceptus, cognitio, intellectio. Notandum secundò*, Vocem ordinariè describi, *quòd sit sonus articulatus ab ore animalis procedens, naturalibus instrumentis formatus.* Dicitur *sonus*, per quam particulam convenit cum aliis sonis quarumcunq; rerum inanimatarum, ut est sonus tubæ, rympani, & aliorum instrumentorum, &c. alia autèm ponuntur loco differentiæ; dicitur *articulatus*, per quam distinguitur vox á gemitibus & suspiriis, & aliis sonis, quæ frequentèr retrorsum fiunt; dicitur *ab ore animalis*, per quod excluduntur omnes soni ab instrumentis musicalibus formati; additur deniq; *naturalibus instrumentis*, quæ instrumenta octo recensentur & comprehenduntur hoc disticho:

Per rem intelligitur hic objectum.

describitur vox.

Instrumenta novem sunt guttur, linguæ, palatum,
Et quatuor dentes, & duo labra simul.

Aliqui ad definitionem vocis datam addunt adhuc aliam aliquam particulam, videlicet *cum imaginationis significatione*, unde excludunt voces picæ, psyttaci, &c. aliarum avium, quæ voces humanas solent addiscere; Verùmtamen mihi non videtur hoc necessarium, quia etiam homines frequentèr voces proferunt sine aliquâ imaginationis significatione, ut patet in dormientibus, amentibus, imò etiam ipsi vigiles, quia certum est, quòd obligati ad breviarium recitandum & psallendum teneãtur voces proferre, sed quotusquisq; est, qui non frequentèr magnam breviarii partem orando decurrit absq; eo, quòd habeat aliquam imaginationis significationem, quod adhuc clarius liquet in iis, qui cantant, qui frequentèr cantantes ob distractionem nihil sibi imaginantur. Deinde certum est, ut etiam dicam infra, quòd audiens perfectiùs posset percipere voces, quàm eas proferens, ut contingit iis, qui ignari linguæ, verbi gratiâ, Hibernicæ verbum aliquod proferunt, quod Hibernus perfectissimè intelliget, cùm tamen proferens non habebit aliquam imaginationis significationem. Quidquid tamen sit de hoc hic quæstio procedit, de iis vocibus, quæ proferuntur verè ad aliquid significandũ. Circa quam materiam triplex est sententia: Prima est Boëthii, Ammonii, Alexandri, Averoës &c. qui dicunt: voces solos significari conceptus. Secunda huic è diametro opposita, dicit: quòd voces solas significent res, quam sententiam Conimbricenses etiam attribuunt Scoto, sed perperam, nam in 1. d. 27. q. 3. n. 19. ex quo loco ipsum citant, totus est problematicus usq; ad finem quæstionis, ubi dicit: *Primam opinionem secundum authoritatem esse probabiliorem; secundam verò probabiliorem esse secundùm rationem.* Tertia sententia est Recentiorum, communitèr asserentium: voces primariò, principalitèr & directè ac immediatè significare res, mediatè verò & minùs principalitèr conceptus loquentis. Ita Occhamus, Gabriel, & Nominales communitèr, ac Scotistæ, ut Pontius, Cavellus, Baro &c. Cum quâ sententia etiam tenendo Contra primam.

II. Dico 1. *Voces non significant solos conceptus.* Est conformis ad secundam & tertiam sententiam.

Voces non significant solos conceptus.

Probatur Conclusio primò authoritate S. Augustini libro de Magistratu cap. 14. ubi hæc habet: *Num hoc Magistri profitentur? ut cogitata eorum ac non ipsæ disciplinæ, quas loquendo se tradere putant, percipiantur atq; teneantur? nam quis tam stultè curiosus est, qui filium suum mittat in Scholam, ut quid Magister cogitet, discat?*

Probatur secundò authoritate Aristotelis 1. Elenchorum cap. 1. ubi ait: *quia res ad Scholas adducere non possumus inter disputandum, ideò nominibus (seu vocibus) pro rebus utimur.*

Probatur tertiò ratione, primò: Si voces significarent solos conceptus, sequeretur omnes propositiones de secundo adjacente esse veras, & omnes de tertio adjacente esse falsas; sed hoc asserere est inconvenientissimum, ergò. Probatur sequela ma. Quia istæ propositiones essent veræ, *Antichristus est, Chymæra est* & sexcentæ aliæ, quia earum sensus esset: quòd conceptus AntiChristi & conceptus chymæræ sint, quod est verum, quia tales conceptus de AntiChristo habemus; ergò omnes propositiones de secundo adjacente essent veræ. Probatur etiam sequela quoad alteram partem: Quia hæc propositio, *homo est animal*, esset falsa, quia hunc sensum constitueret: quòd intellectio hominis esset intellectio animalis. Secundò: si voces solos conceptus significarent, sequerentur multa inconvenientia contra rationem & justitiam, sed hæc sunt quàm maximè cavenda, ergò. Probatur sequela, quia ubicunq; committuntur peccata mendacii & furti, admittuntur inconvenientia contra rationem & justitiam, sed hoc fieret, ergò. Probatur mi. Sit Casus, quòd Titius accedat Mævium, ab eoq; petat ut sibi vendat bonum & dominium aliquod, verbi gratiâ, pro centum millibus, assentit Mævius postulatis Titii, qui eidem statim enumerat dictam & promissam pecuniam, quam Mævius suscipit, alterâ tamen die venienti Titio & traditionem dominii postulanti recusat, allegans se tantùm Titio vendidisse, quod significabant hæ voces: *Domine Titi ego vendo vobis dominium pro centum millibus*; quia hæ voces non significant rem vel bonum, sed tantùm conceptum, quem promisit

promisit se daturum Titio pro centum millibus; conceptum autèm dare non potest, quia nullum accidens naturalitèr de subjecto in subjectum transit; ergò nihil dare tenetur, quod probo: quia nihil promisit nisi conceptum; ergò si illum non potest, nihil præstare tenetur, & si casus iste contigisset Boëthio reverà frivolam excusationem rejecisset & se â tali noxâ per sententiam Judicis liberasset. Idem argumentum formari potest de aliis casibus puta Matrimonii, sponsalium &c.

III. **Dices:** Voces duobus significare modis conceptus, primo modo in quantum conceptus talia entia sunt, nempe qualitates; secundo modo in quantum signa sunt; voces autèm significant conceptus in posteriori acceptione, non verò in priori, adeoq; illa inconvenientia non sequuntur. Sed Contra primò: Species impressæ & expressæ non sunt signa; ergò non possunt dici, quòd conceptus significentur per voces veluti signa. Contra secundò: Ergò malè asseritur in sententiâ Boëthii, quòd voces significent solos conceptus. quia si significant conceptus, ut signa significant etiam eorum signata. Contra tertiò, quòd si forrè (dico notanter *forte*, quia etiam deduci potest, quòd eadem absurda sequantur) illa absurda in probationibus allegata non allequantur, sequi tamen alia, nempè quòd voces nihil significent, nisi meras relationes, & mera relativa; quod etiam absurdum est, & sic voces essent tantùm signa signorum, quia si conceptus signa sunt, & voces etiam sunt signa, erunt signa signorum & consequentèr nihil significabunt nisi solas relationes.

IV. *Voces sunt signa conceptuum, sed naturalium.*

Opponitur Contra Conclusionem directè Authoritas Aristotelis 1. Perihet. 1. ubi sic habet: *sunt ergò quæ sunt in voce earum, quæ sunt in animâ passionum notæ*, ubi per notas signa, per passiones conceptus indicat, ergò voces ex mente Aristotelis significant solos conceptus. R. 1. distinguendo & explicando authoritatem, sunt earum quæ in animâ sunt, passionum seu conceptuum formalium notæ; nego authoritatem & ant. conceptuum objectivorum, concedo ant. & nego consequentiam, etsi Boëthius etiam nihil aliud vellet, quàm Aristoteles eodem modo sic explicari posset; quòd si quis tamen vellet prætendere etiam Aristotelem, ibi intelligere conceptus formales & non objectivos, tunc R. secundò sunt passionum seu conceptuum formalium notæ tantummodò nego, etiam concedo; vel aliter: sunt conceptuum notæ arguitivè & concomitantèr concedo ant. per se & immediatè nego ant. & consequentiam. Sed

Instatur. Illud per se & immediatè ac tantùm significatur per voces, quod per se immediatè ac tantùm intelligitur, sed hoc est conceptus seu species intelligibilis; ergò species intelligibilis seu conceptus primò & per se significatur; probatur mi. per se immediatè intelligibile est in intellectu, sed species intelligibilis est intellectu & non ipsa res, ergò. Probatur mi. ex Aristotele 3. de animâ ubi ait: *Lapis non est in intellectu, sed species lapidis.* R. negando mi. cujus probationis minorem quoad alteram partem distinguo, lapis non est in intellectu secundùm esse reale, concedo mi. res seu lapis non est in intellectu secundùm esse intentionale & cognitum, nego mi. & consequentiam, quia non tantùm species lapidis est in intellectu, sed etiam ipse lapis non quidèm ut accidens in subjecto, sed ut cognitum in cognoscente.

Urgetur. Lapis non est in intellectu nisi mediante specie; ergò tantùm etiam intelligitur mediante specie, & consequentèr ad minus habebimus, quòd si voces significarent res, quòd eas non significarent immediatè; probatur consequentia ex illo vulgato, *propter quod unum quodque est tale, est illud magis tale*; sed res est per speciem in intellectu; ergò illa magis erit ibi, & consequentèr immediatius intelligetur. R. negando consequentiam, ad cujus probationem dico, quòd illud axioma non sit universalitèr verum, sed tantùm vel de causâ efficiente aliquando ut est, verbi gratiâ, si quis dicat, propter corpus vestes sunt calidæ; ergò ipsum corpus est magis calidum; propter ignem est calidum refectorium; ergò ipse erit magis calidus, vel de causâ finali respectu mediorum, quæ non habent tantam amabilitatem, quantam finis, unde species non debent dici magis vel primò intelligi, quia non habent rationem causæ finalis, sed efficientis & tantùm intentionalis, quæ semper est minor quàm Physica. Et universalitèr loquendo, quidquid aliàs contra Conclusionem afferri potest, non probat voces solos significare conceptus, sed conceptus, quod non nego, imò

Dico 2. *Voces significant conceptus & res simul, principalitèr tamen & immediatè res, minùs principalitèr conceptus.* Hæc est tertiæ sententiæ, & habet tres partes, prima dicit quòd significent conceptus, secunda quòd res simul, tertia quòd res principalitèr. V. *Voces significant res principaliter.*

Probatur Conclusio quòad Primam partem, quòd significent conceptus, tùm ex Authoritate Aristotelis supra adductâ, ubi ait: *voces esse passionum notas*, id est, conceptuum, tùm D. Augustini 15. de Trinit. cap. 11. ubi ait: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet*, sed verbum quod intus latet, est cognitio & conceptus, quem vocat S. Doctor sæpè verbum, ut patet ex illo 1. Trinit. cap. 10. sic dicente: *Formata cogitatio de re quam sumus, Verbum est.* Et lib. 3. Consens. Evang. cap. 2. *Propter sententiam verba proferuntur* & cap. 4. *In quorum diversitate verborum salubriter dicimus, non aliud in verbis ad audiendam veritatem, quàm sententiam loquentis esse requirendam.* Addo etiam authoritatem D. Basilii humil. in cap. 1. Joan. ubi inquit: *Verbum nostrum totius nostræ cognitionis imaginem refert, quod enim secundum cor novimus, hoc verbo proferimus.*

Probatur hoc ipsum etiam ratione; Quia ex sermone vocali docti hominis evidenter colligimus, ipsum habere de materiâ propositâ subtiles & arduos conceptus, eò quòd pulchrè discurrat, & hoc præcisè colligimus ex vocibus, quibus ille conceptus suos manifestat; ergò voces significant conceptus; probatur consequentia, quia auditis vocibus & non ante

devenimus in cognitionem subtilium conceptuum hominis subtiliter loquentis.

VI. **Probatur Conclusio**, quoad alteram partem primò, ex scripturâ Genesis 2. ubi legitur, quòd Deus adduxerit omnia animantia terræ & volatilia cœli ad Adam, ut eis nomina imponeret, ubi posteà subditur: *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia*; ex quo sic argumentor: Illud significant voces & nomina, ad quod significanda sunt instituta; sed sunt instituta ad significanda animantia res utique; ergò voces significant res. Item Joan. 1. ait Christus ad Petrum: *Vocaberis Cephas*; ubi non dicit, quòd conceptus Petri debeat vocari *Cephas*, sed ipse Petrus.

Probatur secundò authoritate D. Augustini, tùm supra, tùm cap. 5. in Epistolam 2. ad Corint. *Non opinor putandum esse tres istas literas, quas enuntiamus, cùm dicimus EST, fuisse in Christo, sed illud potiùs, quod istis tribus literis significatur.*

Probatur tertiò authoritate Aristotelis lib. 1. Periher. cap. 8. ubi ait: *Ex eo quòd res est vel non est, oratio vera est vel falsa; non potest autem dici orationem esse veram vel falsam ex eo, quòd res est vel non est, nisi rem significet.*

Probatur quartò Ratione: Illud significant voces quod homines intelligunt dum proferuntur; sed homines intelligunt res; ergò eas significant. Confirmatur: Quia auditâ hâc voce, *lapis*, devenio in cognitionem rei, quæ vocatur *lapis*, & non in cognitionem conceptûs, quem habet is, qui profert hanc vocem. Confirmatur secundò: Sequeretur quòd Græcus audiens propositionem Græcam prolatam ab aliquo, qui ignoraret linguam Græcam, ipsam non intelligeret, quia non intelligeret conceptum loquentis & proferentis. Et quibus etiam fiunt argumenta pro probandâ tertiâ parte Conclusionis, scilicet illud principalius significant, in quod intellectus principaliter fertur auditâ voce, sed, &c. ergò; quòd autèm conceptus secundariò patet inde, quia postquàm jam res cognovimus, tunc tandem devenimus etiam in cognitionem conceptuum, quos aliquis habet de propositâ materiâ, ut dixi supra. Sed hæc ipsa argumenta assumunt etiam adversarii, pro probando suo intento. Unde

VII. **Arguitur.** Primò probando per voces principaliùs significari conceptus. Illud voces principaliùs significant ad quod sunt principaliter institutæ; sed voces sunt institutæ ad significandos principaliter conceptus; ergò probatur minor, quia ideò instituerunt homines voces ut declararent mediantibus illis, quid quisque in mente habeat & sentiat; ergò Probatur ant. tùm ex authoritate D. Augustini lib. de fide & Symbolo cap. 3. ubi sic loquitur: *Verbis nobis id agimus, cùm verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, & quidquid secreti in corde gerimus, per hujusmodi signa ad alterius cognitionem proferatur*: tùm à sensu contrario, quia ideò angeli non instituerunt voces ex eo, quòd suos conceptus sine illis manifestare possint; ergò ideò homines instituerunt voces, ut suos conceptus significant aliis. R. transeundo ma. & distinguendo mi. sunt institutæ ad significandos conceptus immediatè, nego mi. mediatè, concedo mi. & nego consequentiam, similiter distinguo probationem ejus ac utriusque probationis consequens, nec enim aliud vult S. Augustinus, quàm quòd voces deserviant ad significandos conceptus, quod verum est, licèt id non immediatè præstent.

Instatur: Nutus immediatè significant conceptus, assensum scilicet, & dissensum, sed nutus supplent vices verborum; ergò si nutus conceptus significant, significabunt etiam verba. R. negando ma. quia surdi & muti etiam nutibus significant res & non conceptus, ut patet in Zacharia Lucæ 2. qui postulavit pugillarem, *postulans pugillarem*, ait Sacra Scriptura: tunc non postulavit suum conceptum, quem utique habuit antequàm postularet, ergò nutu postulans pugillarem. rem postulavit, & sic etiam nutus res significant. Sed

Urgetur: Ad minus regerit: Nequit Sanctus Augustinus sic simpliciter explicari; quia dicit notanter: *cùm verum loquimur, ut noster animus innotescat*, sed si tunc significat conceptum, mediatè, sequetur, quòd, quando non loquemur verum, quòd non significet conceptum mediatè, sed immediatè, ergò non erit verum, quòd voces universaliter, significent res. Probatur sequela, quia aliàs nullum daretur mendacium, quod sic probatur: quia tunc mentimur, quando vocibus significamus conceptum in mente nos habere, quando non habemus; ergò si voces significarent in mentiente res, non mentiretur, quia verè significaret res. R. negando, quòd S. Doctor non possit sic explicari, quia licèt ibi dicat, quòd, quando verum loquimur, denotemus nostrum conceptum, non sequitur in loquelâ mendacii, denotari conceptum immediatè, quia tunc planè nullo modo manifestatur, quare solùm vult Sanctus Pater, quòd in verâ loquelâ etiam mentem & sentimentum nostrum aperiamus, non autèm in mendaciosâ, quia tunc tantùm manifestantur sola verba sine conceptu, unde instantia est pro Conclusione, quia in mendacio nullo modo significatur conceptus audienti, sed tantùm nudæ res, ut si dicam: me Parisiis fuisse, non declarabo meum conceptum, sed solummodò rem, quam significant ista verba & voces. Ad sequelam probationis nego sequelam, quia etsi voces non significarent conceptus, adhuc daretur mendacium, ut si dicam ego inimico meo: *Remitto tibi injuriam*, sine voluntate internâ remittendi, tunc reverâ mentior, quia verba non sunt conformia voluntatis actui, sed tunc voluntatis actus correspondet vocibus tanquàm res & non tanquàm conceptus.

Dices: Saltem particulæ: *si, utrum, an*, non possunt denotare res immediatè, ergò voces non significant immediatè res. R. has & similes particulas seorsim sumptas nihil significare, minùs quòd significent conceptus.

Arguitur 2. Probando, quòd voces VIII. solummodò significent res, & nullo modo conceptus. Illud solùm significatur per subjectum, cui tantùm competit prædicatum; sed prædicatum in hâc propositione: *homo ambulat*, tantùm

tantùm competit rei & non conceptui; ergò res solummodò significatur per illam propositionem. R. dist. ma. Illud solùm significatur suppositivè, cui competit prædicatum, id est, pro illo tantùm præsupponit subjectum; concedo ma. Illud solùm significatur manifestativè, nego ma.

Instatur. Prædicatum semper competit subjecto in quantum intelligitur. R. esse verum de prædicatis rationis, quando scilicet subjectum est ens rationis, si verò intelligi velint adversarii de prædicato reali, tunc distinguo assumptum, reduplicativè, id est, in quantum intelligitur præcisè, nego; specificativè, seu quod intelligitur, concedo. Quia clarum est, quòd paries sit albus, esto nullus intelligat ipsum esse album, aut de ipso prædicet albedinem. Sunt & aliæ multæ objectiones ac authoritates Sanctorum Patrum tàm pro, quàm contra conclusionem, quæ, in quantum probare volunt, per voces significari conceptus, explicandæ sunt, quòd tantùm Sancti Patres velint eas conceptus significare secundariò & mediatè, quando autèm erunt authoritates dicentes significari res, intelligendæ sunt de significatione principali.

QUÆSTIO IV.

An voces significent naturaliter res & conceptus, an ex instituto?

I. Suppositio. Suppositi hactenus voces significare res ex institutione, seu esse signa adplacitum, sed puto me operam nequaquàm perditurum, si id etiam ex professo examinavero; Pro quo præmittendum Arriagam disputatione 13. Logicæ Sect. 3. referre se quendam legisse libellum, (Authorem non nominat) in quo demonstratur tantam esse inter voces latinas & res sympathiam & convenientiam, ut naturaliter sine ullâ, vel Dei revelatione, vel Dœmonis arte posse aliquem, qui eam linguam ante prorsus ignoraverat, ex solâ & rectâ humorum organorúmque dispositione eam linguam intelligere, quam rem miratur Arriaga, & ego cum illo, in eo maximè, quòd ab origine mundi nullus homo tàm bene disposita organa habuerit, ut eam linguam sine Magistro medio didicisset & locutus fuisset, ordo quòd Adamus perfectissima habuerit organa, eaq; debitè disposita, attamen ut testatur D. Augustinus lib. 8. in Genesin ad lit. cap. 15. Deus inspiravit ei omnium institutionem vocum, & hoc videtur valdè rationi consentaneum, alioquin inter tam breve tempus omnium recordari non potuisset, & si Adamus hoc habuit ex debitâ organorum dispositione, non meliores invenit nominum convententias ad res, quid enim Leo qui interpretatur suavis & brevis sympathiæ cum ferocitate & generositate. Imò quam sympathiam habet Lucus derivatus ad lucem, cùm magis tenebrosus sit, sicut etiam bellum, & fœdus, nemo est, qui nesciat bellum rem bellam non esse, nec fœdus rem fœdam esse; ubi ergò conventientia & sympathia? existimo hunc Authorem pressum à copiâ & multitudine divitiarum, alioquin certè à tàm inutilibus sumptibus abstinuisset. Communis sententia dicit voces significare res ex instituto, an autèm etiam significent sic conceptus, lis est inter Scotistas, negant aliqui, affirmant alii, cum quibus etiam tenendum existimo. Interim

II. *Voces significant ex institutione.*

Dico 1. *Voces significativæ articulatæ significant res ex beneplacito & institutione hominum, & nullo modo naturaliter.* Hæc est communis sententia si prætactum somniatorem excipias, &

Probatur primò. Authoritate Sacræ Scripturæ Gen. 2. ubi legitur: Adam imposuisse nomina rebus, & quamvis ibi fortè omnibus non imposuerit continuis temporibus, omnibus imposita fuêre.

Probatur secundò. Authoritate D. Augustini. lib. de catech. rudib. cap. 2. & ex locis supra citatis.

Probatur tertiò ratione: Si voces naturaliter significarent, surdi à nativitate loqui possent, sed hoc nemo dicet; ergò nec id ex quo sequitur; probatur sequela ma. Ideò surdi à nativitate possent edere fletus, gemitus, &c. quia ipsis ista à naturâ insunt; ergò si voces etiam ipsis à naturâ insunt, loqui poterunt. Sed in contra

III. Arguitur. Voces brutorum significant naturaliter; ergò & voces hominum. Probatur ant. quia mugitus, boatus &c. significant naturaliter, sed hæ sunt voces, ergò. R. negando consequentiam, quia natura & ejus Author Deus, in naturâ humanâ profusior fuit, unde eis non modò dedit voces inarticulatas, sed etiam articulatas, articulatæ autèm significant ex institutione & de his etiam est resolutio quæstionis, inarticulatæ autèm æque in homine ac in bruto significant naturaliter.

Instatur. Perfectiùs est significare naturaliter quàm ex institutione; ergò si bruta animantias naturaliter significantes voces edunt, poterunt etiam homines maximè cùm non repugnet vocibus sic significare. R. 1. Naturam humanam habere utrumque, ut & voces naturaliter significantes edere possit, in quo cum brutis convenit, ea verò excedit, quia etiam potest edere voces articulatas. R. 2. significare naturaliter præcisè non arguere perfectionem in signo, quod patet in adventu canis respectu adventûs Domini, nullam enim perfectionem arguit in cane, quòd naturaliter significet adventum Domini, plùs, quàm si significaret ex instituto.

Urgetur. Quòd essentia divina sit signum naturale, maximam arguit perfectionem; ergò si voces significarent res naturaliter, maxima esset perfectio; ergò sic dicendum est, maximè cùm faveat authoritas Aristotelis 1. Polit. cap. 2. ubi docet, sermonem esse homini naturalem; ergò. R. negando consequentiam, quia quòd in Essentiâ divinâ arguat maximam perfectionem, non arguit præcisè ex eo, quòd sit signum naturale, sed quia naturale est continens formaliter, vel eminenter quidquid significat, idque ratione suæ infinitæ perfectionis. Ad Aristotelem Respondeo, eum intelligendum per ly *naturale*, id est, ex naturâ proclivem ad loquelam propter societatem, sicut etiam dicit ibidem: *Civitates esse à natura*, id est

ex

ex inclinatione & proclivitate, quam habent omnes ad societatem, propter quam incernunt modum sic cohabitandi.

Replicatur: Vox Eheu significat naturalitèr mœrorem, item vox Cæsar significat quibusdam avibus in Germaniâ saltum seu ipsis esse saltandum, quare ad probationem illius vocis statìm incipiunt saltare, sed aves non norunt institutionem; ergò præcisè significat eis naturalitèr. ℟. 1. ad primum: Illam vocem Eheu esse institutam ad significandum mœrorem, quòd verò significet mœrorem etiam homini non intelligenti linguam latinam, hoc non est ex vi vocis præcisè, sed ex circumstantiis & modo proferendi, nimirum quia profertur cum ejulatu aut emphasi aliquâ dolorosâ, aut cum suspirio. Ad secundum ℟. similitèr, quòd vox Cæsar non præcisè, quà vox est, significat avibus illis esse saltandum, ut probat ratio facta, sed ratione circumstantiæ actionis internæ scilicet saltationis, quam homines frequentèr exercere consueverunt coram avibus ad probationem talis vocis; Imò hoc videtur mihi magis nostrum suadere, quòd hoc non habeant, quælibet aves, sed illæ tantùm, quæ sub Magistro aliquo, diuturniore tempore exercitatæ fuerunt, quemadmodum etiam contingit & evenire solet in canibus, quibus, si sæpè aliqua nomina imprimantur, cum demonstratione exercitii, quod addiscere eos cupimus, quod postmodum statim ad prolationem illius vocis exercitium suum præstent, quod, si quispiam ignoraret, & tale exercitium eis imperaret, propriis significando verbis, id nequaquam faceret, ut patet in iis qui venationi sunt dedeti, aut aliis canum amatoribus, qui ex professo eos sic instruunt, ut ab alio seduci aut uti nequeant. Sed per Historiam

IV. Dices: Plinius lib. 7. hist. cap. 14. narrat: Attidem Cræsi filium à nativitate mutum, dum videret militem stricto gladio adversus Patrem suum sævientem, in hæc prorupisse verba: *Miles noli Crœtum ferire*, sed mutus cùm sit etiam surdus à nativitate, non posset hæc pronuntiare verba, cùm de significatione aut institutione earum nihil unquam audivisset; ergò significarunt ipsi naturalitèr. Item quidam pueri jussu Regis Ægyptiorum Biennio post nativitatem in sylvis procul ab omnium hominum societate educati, & post Biennium ad Phrygiam reducti, statim petierunt *Becor*, quod linquâ phrygiâ significat panem, & tamen nihil ante audiverunt de vocum institutione & significatione. ℟. ad primum, id posse fieri, ut aliquis sit mutus, licèt non sit surdus, quia nisi læsio fiat in neruis propè cerebrum, seu potentiam auditivam, si autèm fiat læsio infra potentiam auditivam, & supra potentiam loco motivam, mutus erit & non surdus, prout potuit accidisse filio Cræsi, quæ mutitas propter vehementiam commotionis viscerum, ad imminentem Patris peremptionem, soluta fuit, per neruorum extensionem & rectificationem, sicut contigit etiam frequentèr podagrosis aut aliis gravibus morbis laborantibus, qui ad evitandum gravius aliquod periculum, omnis infirmitatis doloris; obliti, ambularunt & sanati sunt. Ad secundum ℟. & dico: illos pueros vel habuisse illam vocum significationem per revelationem, vel per hominum consortia ante, vel in actuali exilio, aut illas voces similitudinariâ proportione fuisse ad voces Phrygias, aut probabilitèr ex frequenti ovium caprarumq; balatu per *be*, & sæpè reiteratam crocitationem coruorum per *cor*, unde illi pueri suas voces combinantes pronuntiare noverunt *becor*, & hoc sat esse probabile inde colligo, quia nihil constat, an aliquid ultra sciverunt loqui nec ne? si non, tunc sanè apparentissimum, si sic, recurre ad revelationem. Facilìs responderi potest totum hoc esse fabulosum, nam ut Connimb. in cap. 1. Perihe. q. 4. a. 2. referunt Rex Achebar magni Tamerlani pronepos 1599. puerum in sylvâ à nutrice mutâ educari fecit, qui post Biennium reductus, nihil omninò loqui scivit. VII.

V. Dico 2. *Voces ex instituto significativæ rerum sunt, etiam ex instituto significativæ conceptûs proferentis de re significatâ per voces.* Conclusio est contra aliquos Scotistas est tamen Scoti. 1. Met. 5. ubi sic ait: *Vox audibilis, quæ movet auditum, est significativa conceptum mentis, quia ex institutione vox facta est signum conceptûs, si enim eædem formarentur voces, quæ modò, & non essent signa instituta ad significandum conceptum, auditio earum nihil juvaret.* Probatur etiam authoritate D. Augustini supra cap. 13. Ezech. dicentis: *Verba instituta sunt, per quæ in alterius notitiam quisque cogitationes suas proferat.* Probatur etiam authoritate Platonis in Tymæo, ubi hæc habet: *Propterèa ordinata est sermonis communicatio, ut præstò fiant mutuæ voluntatis indicia*: idem Post Platonem docet Aristoteles in Politicis, ubi *Humanus*, inquit: *sermo est institutus ad hominum commercium & societatem, quæ secundum omnes consistit in mutuâ conceptuum manifestatione.* *Significativa etiam rerum ex instituto significativa conceptus.*

Probatur Conclusio Ratione primò: Sic se habent voces ad significandos conceptus, sicut se habent ad significandas res, sed res significant ex institutione; ergò etiam conceptus. Probatur ma. Quia si hæc vox *homo* non esset instituta ad significandam naturam humanam, utiq; non significaret illam, sicut de facto vox *blictri* eam non significat, sed si non significaret naturam humanam, nec possem habere conceptum de naturâ humanâ auditâ tali voce, sicut nec defacto habeo auditâ voce *blictri*; ergò quòd modò habeam auditâ voce *homo* conceptum, de naturâ humanâ, hoc est, dependentèr ab institutione hominum.

Secundò, Si voces significarent conceptus naturalitèr, relatio significationis ad conceptus esset realis, sed hoc est falsum; ergò. Probatur ma. quia relatio ex naturâ rei inter duo extrema realitèr existentia est realis, ergò. Probatur mi. antequàm voces instituerentur ad significandam rem, nulla erat relatio realis inter vocem & conceptum; ergò nec modò. Probatur consequentia: Quia modò nihil est in voce, quod anteà non fuit præter institutionem passivam, quæ vel est ens rationis, vel denominatio extrinseca, nec est causa, nec conditio à quâ dependeret relatio realis. VIII.

Probatur

Probatur tertiò. Signa naturalia apud omnes homines & rationes significant, sed voces non significant eosdem conceptus apud omnes homines & nationes; ergò non significant naturalitèr conceptus, patet ma. de vestigio, fumo, imagine, probatur mi. tùm ex Authoritate Sancti Augustini lib. de catechi. rudib. cap. 2. *Non omnes gentes intelligunt, dicit, cùm quisque dicit: Iratus sum, sed latini tantùm; at si affectus excandescentis animi exeat in faciem vultumq; faciat, omnes sentiunt, qui intuentur eum, tùm* quia hæc vox *Su*, latinis significat poreum, Hebræis equum, Flandris silentium, ut notat Cornelius à lapide in cap. 11. Gen. Item vox *Tam* Germanis aggerem significat, Latinis adverbium est; & sic de pluribus aliis passim obviis; ergò non significant naturalitèr.

Dices Vox hebræa שַׂק *sac* idem apud omnes nationes significat scilicet saccum item vox קֶרֶן Keren idem ubiq; significat, scilicet cornu, ergò naturalitèr hoc habent ut illud significent; Videatur ibidem citatus Cornelius. Sed R. quòd, quamvis sac apud plerasq; nationes idem videatur significare, non est tamen ita, quia tantùm secundùm initiales literas in omnibus linguis convenit, postmodum tamen vel in desinentiâ vel in scriptione vel pronuntiatione variat, nam Latini dicunt saccus, Itali sacco, sicut etiam Hispani, nec plus vel aliud dicit à Lapide, imò nec illud nomen est omnibus nationibus commune, nam Poloni illud non adhibent ad significandum, sed toto cœlo diversum. Ad secundum dico: Illud esse potius pro conclusione, nam si benè inspiciatur, videbitur, quòd *Keren* in linquâ germanicâ non significabit cornu, sed scopationem. Alii dicunt, quod Deus nomen saccus speciali gratia reliquerit in confusione linguarum, ut saltem quantùm ad panem petendum se intelligere possent, quem in saccis ferebant.

Probatur quartò. Possent homines omnes voces significativas facere non significativas, solùm aufferendo ab eis institutionem, quo casu nullum significarent conceptum rei; ergò ex institutione habent quòd significent conceptus. Probatur consequentia, quia possent homines omnes voces non significativas instituere, ut essent significativæ, & tunc significarent conceptus, & certè meo videri, hoc manifestè probat, voces dependentèr ab institutione significare conceptus formales rerum, quia illâ positâ significant, & illâ ablatâ non significant, quod est propriissimè significare ex institutione, seu dependentèr ab instituto.

Dices. Posset ergò vox *Deus* instituta esse ab hominibus ut significaret diabolum, & vox *diabolus* ut significaret Deum, sed hoc est Scandalosum dicere, ergò. R. concessâ ma. negando mi. quia si universalitèr sic reciperetur, scandalum nullum esset, quamvis esset, si aliquis privatus ex partiali capritio institueret, ut hæc vox Deus significaret Diabolum. Sed principalitèr contra Conclusionem.

Arguitur, Seclusâ omni institutione, naturalitèr cognoscimus proferentem aliquam vocem illum habere conceptum in mente tali voci correspondentem; ergò naturalitèr significant conceptum. R. negando ant. quod non facilè probari potest, quia sæpè non habet conceptum correspondentem, cùm enim mentitur, aliud habet in mente, & aliud loquitur, quia mentiri est contra *mentem ire*. Deinde cùm certò scimus, aliquem mentiri, & scimus ipsum scire se mentiri, tunc non cognoscimus illum habere conceptum correspondentem vocibus, quas profert. Sed

Dices: Hoc esse per accidens. Sed R. etiam esse per accidens, quòd habeat conceptum in mente, quia nulla est necessaria connexio conceptûs, seu verbi interioris cum verbo exteriori, ut patet in distractis, & in illis, qui proferunt verba ignoti idiomatis. Sed

Instabis: Voces ex naturâ suâ esse significativas conceptuum, licèt hic & nunc non significent; Verùmtamen R. negando ant. quia ut inquit Scotus, si vox non esset instituta, ut signum conceptus, nihil audientem juvaret; ergò hoc non habent ex naturâ suâ, quia eandem semper habet naturam hæc vox *homo* ante & post institutionem, & planè est ipsi per accidens, quòd significet rem & consequentèr conceptum.

Dico 3. *Voces significativæ, licèt ex institutione significent conceptus determinatos, naturalitèr significant conceptus indeterminatos.* Hanc conclusionem non credo sic fuisse anteà propositam. IX. *Voces naturaliter significæ conceptus indeterminatos.*

Probatur tamen; Quandocunque audimus aliquem discurrentem & verba proferentem naturalitèr, cognoscimus eum habere conceptum; ergò naturalitèr voces significativæ prolatæ significant mihi conceptum indeterminatum. Probatur ant. Ideò dicimus naturalitèr fumum significare aliquem ignem ibi latere, quia omnibus nationibus & gentibus constat, sed si aliquis voces significativas proferat, omnes nationes cognoscunt, cum habere aliquem conceptum; ergò. Probatur mi. Si aliquis Prædicator ex Indiis huc adventaret, nobisque loqueretur verbis & vocibus in linguâ suâ significativis, quilibet cognosceret ipsum habere conceptum aliquem, sicut etiam contingit iis omnibus, qui peregrinantur per Regna & provincias ignoti idiomatis, ubi loquentes sæpè respondent ferunt, quid tamen respondens dixerit nesciunt, cùm tamen sciant, eum suum conceptum manifestâsse; ergò indeterminatè significant res, conceptus naturalitèr.

Probatur secundò: Ex naturâ & non ab institutione habèt homo proferre voces articulatas, sicut habet etiam proferre voces non articulatas, ut patet, quia hoc est omnibus omninò hominibus commune, sed voces inarticulatæ, ut gemitus, & suspiria, naturalitèr significant; ergò voces etiam articulatæ significabunt mihi aliquid naturalitèr, nihil aliud quàm res & conceptus; sed hæc non significant determinatè naturalitèr, quia hæc vox, quæ modò significat mihi hominem, posset significare mihi equum; ergò significabit mihi indeterminatè saltem conceptus.

Tertiò. Si voces non significarent conceptus naturalitèr, sequeretur eum non peccare, qui in conversatione humanâ eas profert sine conceptu, sed hoc est falsum; ergò significabunt naturalitèr. Probatur ma. Quia non peccat is, qui facit vel omittit id, ad quod naturalitèr non tenetur; ergò probatur minor quoque, quia mentiens peccat ex eo, quòd proferat voces absque eo, quòd velit significatum suum conceptum, aut quòd contra conceptum proferat, item distractus peccat inter orandum divinum officium, quia tenetur habere conceptum conformem vocibus, ergò. Et hæc ratio si non probat voces significare conceptus naturalitèr determinatos, ad minùs probat eos significare indeterminatìm.

QUÆSTIO V.

Utrum Voces perfectiùs & distinctiùs possint significare, quam imponens vel loquens intelligat & percipiat?

I. *In significatione vocum duplex potest attendi perfectio.*

Ante resolutionem. Notandum primò in significatione vocum duplicem posse attendi perfectionem, videlicet veritatem & falsitatem, distinctionem & confusionem, nam sicut cognitio potest præsentare objectum verè vel falsum, distinctè vel confusè, ita etiam potest vox significare verè vel falsè, distinctè vel confusè, & sicut cognoscere verè & distinctè perfectionis est, ita cognoscere falsè & confusè imperfectionis est. In præsenti quæstione non agam de veritate & falsitate significationis, quia de hâc re fusiùs tractabitur disputatione sequenti per totam, sed solùm de distinctâ & confusâ significatione, ita ut sensus sit, utrum aliquis audiens vocem, non quamcunque, sed significativam possit clariùs & distinctiùs rem, per vocem significatam, cognoscere, quàm ipse proferens, vel instituens cognoscat? Circa quam materiam duplex est extrema sententia, prima dicit, mensuram significationis sumendam esse ex conceptu loquentis vel instituentis, & ideò non posse distinctiùs significare audienti quàm loquenti vel instituenti; hæc sententia tribuitur D. Thomæ, quem plurimi Recentiores sequuntur, Fonseca, Suaretz, Hurtadus, Amicus. Secunda sententia est Scoti in d. 22. q. un. cum universâ suâ Scholâ, qui omnes docent, posse voces distinctiùs significare rem audienti, quàm significent loquenti vel instituenti, hanc sententiam sequitur Occham Gregorius & ex Recentioribus Molina, Vasquetz, Tannerus, pro quâ sententiâ intelligendâ

II. *Sensus quæstionis exponitur.*

Notandum secundò. Eam debere intelligi talitèr, quòd si audiens præhabuerit clariorem absque hoc rei cognitionem vel speciem rei significatæ, si enim non præhabuit, tunc voces æque confusè & fortè etiam confusiùs rem audienti significabunt, ut patet; si enim Titius nunquam vidisset Romam vel Sibilliam, & Mævius de eâ, qui etiam eam nunquam vidit, vel de eâ aliquid cognovit, narraret, tunc certè Titius æque obscurè & confusè ipsam conciperet, si non confusiùs ac ipse Mævius, si Mævius Titium in subtilitate & velocitate ingenii superaret, quamvis è contra, si Titius excelleret in donis naturalibus, ex tali narratione posset perfectionem in aliquo conceptum habere. Ad quod

Dico 2. *Possunt voces clariùs & distinctiùs rem significare audienti, quàm loquens intelligat, vel instituens in vocis impositione rem ipsam cognoverit.* III. *Voces possunt clariùs significare audientem quàm loquentem &c.*

Probatur Conclusio primò, authoritate & ratione Scoti d. 3. q. 3. Quantùm ad secundùm hæc habet: *Si non posset distinctiùs significari, quàm intelligi, nullum nomen impositum à victore significaret aliquam rem de genere substantiæ, sed sicut præcisè concipitur ab intellectu victoris aliqua proprietas, à quâ imponitur nomen, quæ proprietas communiter exprimitur per etymologiam nominis, ita præcisè talis proprietas significaretur per nomen, puta per hoc nomen lapis non significaretur aliquid de genere substantiæ, sed tantùm aliquid de genere actionis, puta læsio pedis, quam exprimit etymologia hujus nominis, & fuit ratio à quâ imponebatur nomen, & ita potest argui de omnibus aliis nominibus impositis rebus de genere substantiæ, vel oportet dicere, quòd distinctiùs nominabat substantiam quàm intelligit*, ergò.

Probatur secundò. Quandocunque voces aliquid significant, intendunt & debent rei nominatæ cognitionem in mente audientis gignere, sed talis cognitio non solùm per vocem, sed mediante specie, quam in intellectu vel phantasiâ audientis renovat & excitat, vel de novo producit; ergò si in audiente sint perfectiores species rei cognoscendæ, vel si sit perfectioris & sagacioris ingenii perspicaciorisq; judicii, quàm loquens vel imponens, vox prolata, perfectionem producet speciem, & consequentèr perfectiorem cognitionem; ergò vox potest clariùs & distinctiùs percipi ab audiente, quàm à loquente vel imponente. Confirmatur 1. Quò perfectior est potentia auditiva, eò perfectiùs percipit sonum perfectiorem, priùs producendi soni speciem; ergò quò perfectior est intellectus, prolatâ voce perfectiorem producet intellectionem. Confirmatur secundò, si Prædicator vel Lector ex Cathedrâ pro Concione dicat, certè ex illis audientibus alii aliis perfectiùs, distinctiùs, & clariùs percipiunt; sed hoc non est ex ratione dicentis, qui clariorem & confusionem haberet vel proferret cognitionem; ergò est ex parte audientientum; ergò si audientes sint subtilioris ingenii, perfectiores formabunt vocibus perceptis de rebus conceptus, & secundùm meum videri hoc manifestum est, nam si rusticus loquatur sibi simili & Philosopho, certè Philosophus perfectiùs percipiet quàm rusticus sermonem proferens, & fortè etiam perfectiorem habebit cognitionem quàm alter villanus, si major esset Coridon.

Probatur tertiò, Rex à nativitate cœcus, authoritate, quâ summus princeps est, posset, ex auditis quòd in suâ ditione regni decem solemnes inveniantur colores, singulis singulas imponere voces & nomina, quo facto, quicunq; illos colores videret intuitivè, perfectiùs eos cognosceret quàm Rex, qui illis nomina imposuisset. Similitèr si Arnulphus

agat

agat oratorem Catholici Regis vel imperatoris apud Catholicum Regem, cui ex Beru vel Brasiliâ deferretur aliquod monstrum hactenus nunquam visum, nec nominatum, quod monstrum referret Arnulphus se vidisse, nesciret tamen illud nominare, quod Imperator statim posset vocare Clestarus, ubi ad prolationem hujus vocis Arnulphus perfectiorem haberet de illo monstro conceptum, quàm ipse Imperator, qui nomen illud indiderat, & omnes alii de eo colloquentes; ergò voces possunt perfectiùs significare, quàm loquens vel imponens intelligat, & quamvis hoc non sit universalitèr verùm, ita quòd voces dentur, ad quarum prolationem res perfectiùs concipi non potest quàm loquens proferat, hoc non obstat quidquam conclusioni, quæ non procedit universalitèr, sed tantùm posse contingere, & hoc frequentèr, ut voces audiens perfectiùs rem cognoscat, quàm loquens &c. Sed

Dices incontra. Nomina agunt vices conceptuum, & in tantùm vim habent significandi, in quantum substituuntur; ergò non clariùs nec distinctiùs significabunt rem audienti quàm loquenti. R. negando consequentiam: Quia in agente perfectiorem invenit vox concausam, quàm inveniat in instituente & loquente, nempè perspicacitatem intellectûs, perfectiorem speciem, &c.

Instabis. Si quis loqueretur eo modo, quo angeli nunc & defacto loquuntur, in sententiâ Theologorum, manifestando scilicet alteri immediatè suos conceptus, ita res exprimerentur conceptibus, & tam distinctè quàm distincti sunt ipsi conceptus; ergò etiam per voces, si exprimuntur. R. negando consequentiam, tum, quia voces sunt institutæ ex benè placito hominum, conceptus verò in tali casu se naturalitèr manifestarent, quod semper fit æqualitèr, tum etiam, quia nomina tantùm secundariò conceptus exprimunt, & primariò res, adeoq; ubi perfectior species erit, perfectior potest generari cognitio.

Dico 2. *Voces etiam sunt signa ipsis utentibus, ita ut aliquis, cum se ipso loqui possit.* Et Scot. l. d. 22. q. un. ubi ait: *quòd perfectè uti nomine, sit uti ipso ut signo conceptûs proprii expressivo,* & ibidem explicans verba Augustini supra Ezech. 1. 13. *Verba instituta sunt ut signa, quibus in alterius notitiam, vel quasi,* inquit Doctor, *alterius, quando aliquis seipsum alloquendo efficaciùs ducit in intelligendo per rememorationem.* Et hoc fieri posse: probatur ex scripturâ, nam D. Paulus se suosq; ad Hebræos cap. 4. ita alloquitur: *Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ.* Quid simile narratur de Arsenio, qui sibi ipsi frequens existens Admonitor & virtutis æmulator sic se affatum refertur: *Arseni ad quid venisti?* Sic D. Franciscus, & plures alii Sancti seipsos corrigebant, excitabant, & ad altiora stimulabant.

Probatur secundò Ratione: Vox est instituta ad significandum; ergò significabit omni & etiam ipsi utenti; probatur consequentia, quia vox semper significat, ad quod significandum est instituta, intelligenti eam, sed ipse loquens tàm benè intelligit eam (supponeo enim esse alloquutionem in linquâ vernaculâ, vel tali, quàm quis novit) quàm alius ab eo distinctus; ergò tàm benè significabit ipsi ac cuicunq; alteri. Sed Incontra

Arguitur. Vox præsupponit conceptum signati in utente, quia, antequàm utatur, habet conceptum de re significatâ; ergò voces non sunt signa utenti, quia causatum manens causatum, non potest recausari, nec aliud simile, quia non possunt duo accidentia ejusdem rationis esse simul respectu ejusdem in eodem subjecto. R. ant. esse plerumq;, verum, quare nego consequentiam, cum altera probationis, quia non est de ratione signi semper actu significare, sed esse aptum natum significare, si nullum sit impedimentum ex parte passi, sic Sacramenta, quæ sunt signa gratiæ, non semper actu significant gratiam, quando ponitur obex ex parte suscipientis, sunt tamen semper signa gratiæ, quia quantùm ex se est, sunt apta nata significare gratiam seu causare. VI.

Instatur. Non datur aptitudo in signo etiam quantùm est de se ad significandum illud, quod est impossibile ipsum significare, sed impossibile est, quòd causet ut instrumentum cognitionem significati in utente, ergò. Probatur mi. quia impossibile est causare effectum præexistentem & actu permanentem; ergò. R. negando ma. quia datur potentia in aliquo, quantùm est de se, ad causandum aliquid, quod tamen propter repugnantiam vel indispositionem ex parte effectûs causandi causari non potest, sic Deus, quantùm est de se, propter suam omnipotentiam, omnia causare debet posse, non potest tamen defacto producere chymæram, non quòd non sit omnipotens, sed propter repugnantiam ipsiusmet chymæræ, quia ipsa talis est naturæ, ut ipsi ex principiis intrinsecis repugnet, habere verum aliquod & reale esse.

Urgetur. Sequeretur quamlibet vocem significativam esse, tàm benè signum respectu psittaci, vel asini, quàm respectu utentis; sed hoc est absurdum dicere; ergò etiam illud ex quo sequitur. Probatur sequela, quia quantùm est de se quælibet vox significativa, est apta nata ipsis significare; ergo. R. negando sequelam, Ratio disparitatis est, ex eo quòd signum, seu vox significativa non significet conceptum rei significatæ in psittaco vel asino, est propter indispositionem, seu incapacitatem essentialem asini & psittaci, quia ex naturâ suâ repugnat illis cognoscere significatum, vel institutionem; quòd autèm non causet in utente est propter accidentalem tantùm indispositionem, seu propter præhabitam cognitionem rei, quod est purè per accidens utenti, & hoc patet inde, quia si eadem vox prolata ab illo produceretur iterum à Deo, in ipso causaret cognitionem rei significatæ, aliud autèm est in asino & psittaco. Et quamvis hæc omnia benè solvant difficultatem pro contrariâ sententiâ motam, attamen videtur mihi, quòd faciliùs & ad eruendam ulteriorem instantiam ad primam & principale argumentum responderi possit, dist. ant. Vox præsupponit conceptum modo recto productum, concedo ant.

modo reflexo productum, nego ant. & dist. similitèr consequens; ergò non sunt signa utenti ad causandum conceptum in recto, concedo; ad causandum conceptum in reflexo, nego consequentiam. Itaq; quamvis voces præsupponant jam conceptum illum, qui in recto producitur, tamen possunt esse signa ad causandum conceptum reflexum.

VII. *Ordinariè respondetur negativè.*

Quæres, An animalia rationis expertia loqui possint, & an homines eos intelligere valeant? Ad hoc dubium & quæsitum ordinariè respondetur negativè, & dicunt rationem hujus esse, quia soli homini competit loqui. Verumtamen hæc ratio petit principium, nam quod in quæstione versatur, est: an alicui competat præter hominem? & respondetur negativè, quia soli homini competit, manifestum est principium: Unde videtur mihi, quòd non debeat ipsis omnis denegari loquela, & patet, nam aves, brutaq; alia quadrupedia certis garritibus suos conceptus sibi invicem insinuant, tales formando voces, ut non semper æquales adhibeant, quia aliâ voce provocant pullos ad escam, aliâ fugam & periculum insinuant, aliâ ad accubitum invitant, aliâ deniq; diurno, aliâ quoq; nocturno tempore musitant, quæ diversitas secundùm elevationem & depressionem facit veram articulationem cum aliquâ materialis imaginationis significatione; Idem constat in vaccâ, quæ aliam vocem edit vitulum requirens fœta, aliam dum tauri est cupida. Deinde constat ex Historiis, quòd Julius Cæsar, in piscinâ quâdam murænam habuerit, quæ ad nomen suum prolatum subitò comparuit vocanti, & ad modum respondentis vocem formaverit. Denique narratur quoq; Apollonium Thyanæum nonnunquam cum pluribus suis commilitonibus in hörto deambulando confabulantem, in quo multitudo erat passerum, ad quam advolavit aliquis aliunde, qui garritu suo alios admonuit, in portâ saccum cujusdam villici frumento plenum perforatum esse, multumq; frumenti excidisse in terram, admonendo omnes ne moram traherent, sed quanto ocyùs advolarent; quem garritum Thyanæus commilitonibus totum recensuit mysterium inuitans socios, ut vaticinium experientiâ visûs comprobarent, qui omnes lubentèr id, à passere insinuatam accedentes januam ita in rei veritate esse deprehenderunt, quòd, quamvis à nonnul is reputetur pro fabulâ, non video tamen, quare reverà id non posset contingere, nec obstat, quòd ordinariè homines aves colloquentes non intelligant, quin ipsæ inter se ipsas intelligant & colloquantur, aut quo minùs intelligi possint, nam si Peruvanus aliquis in nostras veniret partes, reverà nullus nostrum ipsum intelligeret, quem tamen benè caperet alius ejusdem nationis, quare non videtur aliqua ratio denegandi animantibus brutis loquelam secundùm imaginationem materialem, sicut nec ipsis denegari potest aliquis intellectus materialis, ita ut licet non sit tàm perfecta, sicut est in homine, non sit tamen nulla. Et si dicas, esse aliquam metaphoricam, nihil dicis, quia aves plùs loquuntur propriè & verè, quàm loquatur cœlum & terra; sed cœlum & terra dicuntur loqui solùm metaphoricè; ergò animantia bruta non loquuntur solùm metaphoricâ loquutione, sed aliquâ verâ, quamvis minùs perfecta. Videtur hoc sentire Plato in Polit. 10. S. Basilius, Josephus, &c. alii ut refert Cornelius à lapide, qui alitèr refutare nequit, quàm asserendo, hoc esse paradoxum; & si ita esset, sufficit mihi illud esse verum.

Bestiæ possunt loqui.

QUÆSTIO VI.

Quid sit Scriptura & quid primariò significet?

Post examinationem, quid & qualiter vox significet? supereſt ut etiam ostendam, quid sit scriptura seu scriptum, & quid significet? Et quantùm ad primum, Scriptura ordinariè & benè definitur quòd sit *figura visibilis ordinata ad repræsentandam vocem*, ut hæc scriptura *Felapton*, quæ est ordinata ad repræsentandam illam vocem Felapton; dicitur ordinata ad repræsentandam vocem, quia scriptura distinguitur à picturâ propriè dictâ, quæ repræsentat, verbi gratiâ, hominem, aut aliquam aliam rem à voce distinctam, licèt scriptura interdum pictura vocetur nomine picturæ generaliùs sumpto, scripturam autèm dicere particularem ordinem ad significandam vocem, constat ex D. Augustino lib. 2. Doct. Christ. 4. ubi ait: Quia verberato aëre verba transeunt, nec diutiùs manent, quàm sonant, ideò instituta sunt per literas signa verborum; & lib. 2. de Ord. inquit: Audiri verba absentium non poterant, ratio peperit literas; quòd etiam significent res, patet inde, quia legendo in chartâ, etiamsi nullum verbum, quis proferat, intelligit quid legat: quòd denique etiam significent conceptus, probatur, quia sicut voce prolatâ intelligo proferentem habere conceptum, sic etiam intelligo scribentem habere conceptum rei scriptæ, aliàs frustra essent scripta tot volumina à Sanctis Patribus & Doctoribus, tum frustra sacra Scriptura, quæ codicibus committeretur. Ex his ergò tribus, quæ Scriptura significat, pro secundâ parte tituli quæritur, an primariò significet voces? an res? an conceptus? Quare ad dubium quæstionis resolutivè

I. *Definitio Scripturæ.*

Dico: *Scriptura primariò significat voces, postmodum res, & tandem conceptus.* Ita Doctor in secundo opere Perihermias; Estq; etiam D. Augustini tum supra, tum cap. 5. Dialecticæ. Quid enim aliud literæ scriptæ, quàm scipsas oculis, & præter se animo voces ostendunt? sed voces postmodum primariò significant res, & secundariò conceptus; ergò ex mente D. Augustini, Scriptura primò vocem, secundò rem, & tandem conceptum significat, imò lib. 15. Trinit. cap. 10. expressè hoc adstruit, nam ait: *Inventæ sunt etiam literæ, per quas possumus etiam cum absentibus colloqui, sed ista signa sunt vocum, cum ipsæ voces in sermone nostro earum, quas cogitamus signa sint rerum.* Vidén qualitèr edisserat literas primò significare voces, voces esse signa rerum, & non quarumcunque, *sed quas cogitamus?* & tract. 24. in Joannem. *Aliter videtur pictura, aliter videntur literæ; picturam cum videris, hoc est totum*

II. *Scriptura primariò significat voces.*

tum vidisse laudasse; literas cum videris, hoc non est totum, quoniam commoneris & legere. Etenim dicis cum videris literas, si forte eas non novisti legere; Quid putamus esse, quod hic scriptum est? interrogas quid sit? cùm jam videas aliquid, aliud tibi demonstratum est, a quo quæris agnoscere quod vidisti. Alios ille oculos habet, alios tu. Nonne similiter apices videtu? sed non similiter signa cognoscitu, tu vides & laudas, ille videt & laudat, legit & intelligit. Ex quâ authoritate desumo etiam primam rationem pro Conclusione, ex quâ eam sic probo: Aliter significant Scripturæ literis exaratæ, & aliter notæ, quibus olim utebatur antiquitas ægyptiaca, item aliter, quàm notæ nunc & defacto Medicis, Astronomisque familiares, verbi gratiâ, ♈, ☿, ♊, ☾, ♉, ♀, sed ista signa significant immediatè res; ergò literæ non significabunt immediatè. Probatur major, quia aliter significant mihi hæc nomina scripta: *Aries, Taurus, Gemini, Luna, Mercurius, Venus*, quàm illæ notæ, quia illæ notæ possunt hominem deducere in cognitionem sui significati absque eo, quòd sciat latinè loqui & latinè nominare, nam sunt signa indifferentia ad omnem linguam, sed voces scriptæ non sunt sic indifferentes; ergò aliter & aliter significabunt, & consequenter quia illa signa res ipsas significant, Scriptura significabit voces.

Probatur secundò: Si Scriptura immediatè significaret res & non voces, posset aliquis qui nosset, verbi gratiâ, tantùm Scripturam legere latinam, intelligere ipsam rem significatam; sed hoc est ridiculum, ut literas noscat & quas nunquam didicit, secundùm significata intelligat; ergò. Probatur ma. quia nullam haberet Scriptura connexionem ad illas voces, sed tantùm ad res; ergò posset eas immediatè intelligere, vel si non potest, dicendum, hoc ideò esse, quia videlicet Scriptura necessariam dicit connexionem ad vocem, quod Confirmatur.

Primò, quia ly Ensis & gladius, Dominus & herus, bestia & brutum, idem significant, seu sunt synonima; sed si significarent scriptæ ipsam rem, non esset ratio, cur lectæ potiùs exprimeretur bestia quàm brutum, herus quàm Dominus? ergò.

Secundò voces non significativæ scriptæ, verbi gratiâ, *blitiri buf baf, &c.* significant aliquid; sed non res, quia non sunt institutæ ad significandum aliquid; ergò saltem significabunt illam vocem. Et ex hinc

Probatur Conclusio tertiò. Omnis significatio scripturæ habet suam significationem ex significatione vocum; ergò scriptura habet necessariam & immediatam connexionem cum vocibus, quæ alia non erit, quàm signi cum suo signato; ergò. Probatur ant. Quia si tolleretur significatio hujus vocis *homo*, ut non significaret amplius naturam humanam, etiam hæc vox *homo* Scripta eam amplius non significaret, etsi elevaretur vox *blitiri* & instituteretur, ut significaret naturam humanam, etiam hæc vox *blitiri* scripta eam significaret; ergò significatio scripturæ habet suam significationem à significatione vocum, & consequenter scriptura primariò significabit voces. Sed in Contra

Arguitur. Nemo scribens alteri, intendit ipsi significare voces, sed factum vel Historiam aut aliquam quamcunq; rem, de quâ alteri suum conceptum manifestat; ergò scriptura non significat voces, sed ipsam rem immediatè. Sed ℟. negando consequentiam, quia ex illo antecedente non sequitur, nec sequi potest, quia aliud est, quod quis intendit, veluti suum finem, & aliud quod quis ad attingendum finem quis adhibere debet, quia aliud est finis, aliud medium necessarium, sic licèt aliquis intendat tantùm rem gestam, verbi gratiâ, alteri manifestare scripto, attamen pro medio debet adhibere voces, quas scriptura immediatè significat, sicut dum aliquis colloquendo intendit alteri manifestare vel narrare Historiam, debet adhibere voces, item angelus nolens alteri significare rem quampiam, debet etiam notificare conceptum, &c. & sic de aliis.

III. *Scribens licèt intendat significare conceptum, Scriptura tamen significat vocem primò.*

Instatur. Si scriptura significaret immediatè voces, posset oculus tendere extra sic objecti latitudinem, sed hoc est implicatorium, ergò. Probatur sequela, quia posset tendere in perceptionem soni, sed hoc est extra latitudinem objecti oculi; ergò. Probatur, quia voces sunt soni articulati; ergò posset tendere in sonum. Sed ℟. negando sequelam ma. cum probatione, cujus probationis ant. distinguo: voces sunt soni articulati, si considerentur prout sunt qualitates, & quædam actiones animasticæ, concedo ant. si considerentur sub ratione signorum, nego ant. & consequentiam. Itaque quòd scriptura dicitur significare vocem, non intelligitur, quòd debeat significare entitatem vocis materialis, sed rationem signi in quantum talibus & talibus exprimitur characteribus.

Urgetur. Sequeretur omnes propositiones scriptas esse falsas, sed hoc non est admittendum; ergò. Probatur sequela: Quia si scripta sit hæc propositio, *Petrus est Doctus*, vox *Petrus*, quæ est significatum subjecti, non est vox *Doctus*, quæ est significatum prædicati, & sic de aliis; ergò hæc propositio erit falsa, & consequenter omnes aliæ. ℟. negando sequelam ma. cujus probationis ant. dist. si utraq; vox *Petrus* scilicet, & *Doctus*, sumantur pro se, concedo, si sumantur pro rebus, nego ant. & dist. similiter consequens; erunt falsæ, si pro se accipiantur, concedo; si pro rebus accipiantur, nego consequentiam, unde in talibus propositionibus scriptis non habetur affirmatio vel negatio absoluta, antequàm deveniatur ad ipsas res, unde præclarè ad propositum nostrum D. Augustinus cap. 5. dialect. dicit. Quæ ligimus igitur non verba sunt sed signa verborum, sed ut ipsa litera, cùm sit pars minima vocis articulatæ, abutimur tamen hoc vocabulo, ut appellemus literam etiam cùm scriptam videmus, quamvis omninò tacita sit, neq; ulla pars vocis, sed signum partis vocis appareat. Et hoc benè notandum est ad evitandas multas æquivocationes.

DISPUTATIO II.

DE VERITATE ET FALSITATE PROPOSITIONUM.

Inter omnes mentis nostræ Interpretes solemniores sunt propositiones, ideò earum examen maximè huc spectat, quamvis alii de veritate & falsitate agant in Animasticis, ex eo quòd plurimum conducant ad actuum intellectûs cognitionem, nihilominùs Logica hoc simpliciter favendum, quia est Magistra & Scientia veritatis. Alii solent hîc multùm præmittere de Verborum & Orationis significatione, de Propositionum divisione & oppositione, sed quia puto id satis fuisse declaratum in Summulis, ideò nihil repetendum duco. Sit igitur ad propositum

QUÆSTIO I.

An veritas & falsitas sit de essentiâ Propositionis?

I. *Triplicem dedit Aristot. propositionis definitionem.*

In Summulis disputatione secundâ q. 3. adduxi ex libro primo Priorum Aristotelem duas assignasse propositionis definitiones, unam per affirmationem & negationem, alteram per veritatem & falsitatem, ubi etiam primam amplexatus sum veluti bonam, reperi tamen nunc in nonnullis manu scriptis, Aristotelem etiam tertiam attulisse definitionem, quòd scilicet *sit oratio enuntiativa unius de alio*, quod si ita esset, alitèr absq; dubio esset Philosophandum, ita scilicet ut Oviedi & Pontii sententiæ non sint reprobandæ, quamvis nec ipsi approbandi, quòd Aristotelis definitiones planè rejiciant; Unde in hâc quæstione quæritur, an illæ definitiones datæ supra bonæ sint, & quænam sit essentialis? Circa quam materiam triplex est sententia, prima dicit veritatem & falsitatem esse de essentiâ propositionis, ita quidam Recentiores, quos tacitis nominibus citat Rubius 1. Periherm. q. 3. secunda asserit affirmationem & negationem esse de essentiâ propositionis, ita quidam antiqui & multi Recentiores citati in summulis. Tertia deniq; asserit, nec affirmationem & negationem, nec veritatem & falsitatem esse de essentiâ propositionis. Ad quod Resolvendum

II. *Benè describitur propositio per affirm. & negation.*

Dico 1. *Benè definitur propositio per affirmationem & negationem à posteriori veluti per primas & essentiales qualitates.* Hæc sufficienter probata manet ex Summulis, ubi etiam inconvenientias, quæ contra adduci possunt solvi. Est tamen hæc Conclusio etiam de mente D. Augustini lib. Magist. cap. 5. ubi ait: *Pronunciatum est plena sententia, quæ affirmari negari possit.*

III. *Etiam per veritatem & falsitatem.*

Dico 2. *Benè describitur etiam propositio per veritatem & falsitatem, veluti per qualitates accidentales.* Hanc puto futuram extra controversiam, quia etiam multa alia per accidentales qualitates describuntur, cur ergò non possit etiam sic describi propositio?

IV. *Non sunt tamen essentiales.*

Dico 3. *Loquendo de propositione ut sic, & considerando affirmativam & negativam, veluti ejus proximas species, nec affirmatio, nec negatio est de essentiâ propositionis ut sic.* Hæc est conformis ad tertiam sententiam. Probatur Ratione: Nullæ duæ species sunt de essentiâ generis, sed affirmatio & negatio statuuntur, veluti duæ species propositionis; ergò si sic considerantur, non possunt esse de essentiâ propositionis ut sic, major est communis, minor patebit ex infra dicendis; ergò conclusio tenet.

V.

Dices: Aristoteles definivit propositionem per affirmationem & negationem, quam definitionem defendi etiam in Summulis veluti bonam; ergò modo hoc negando contradico mihi. R. concesso ant. negando consequentiam, quia nec in Summulis defendi definitionem datam esse per essentialia & à priori, sed tantùm à posteriori, ut patebit ex responsione ad argumentum pro contrariâ opinione; Deinde defendi ibi tantùm tanquam bonam, licèt sit data per species, sicut etiam allegavi, bonam esse definitionem animæ, quâ dicitur, quòd sit illud, quo vivimus, sentimus, loco movemur & intelligimus, licèt sit etiam data per species, nunquam tamen dixi, ibi esse purè quidditativam & essentialem, seu propositionis ut sic, in quantum affirmativam & negativam habet pro proximis & primis speciebus.

VI. *Nec veritas, nec falsitas sunt de essentiâ propositionis ut sic.*

Dico 4. *Nec veritas, nec falsitas sunt de essentiâ propositionis ut sic.* Hæc est etiam communis Recentiorum contra primam sententiam.

Probatur primò authoritate Aristotelis cap. de substantiâ, ubi docet, eandem propositionem numero posse esse jam veram, jam falsam, ex quo sic argumentor, & probo Conclusionem ratione: Eadem propositio immutata permanet sub veritate & falsitate; ergò veritas & falsitas non est de essentiâ propositionis. Probatur consequentia: hoc non est de essentiâ alicujus rei, sinè quo res illa potest esse; ergò si propositio eadem potest esse sine veritate, vel falsitate, veritas & falsitas non erunt de essentiâ propositionis.

Probatur secundò. Si veritas & falsitas pertinent ad essentiam propositionis; ergò propositio vera & falsa distinguuntur specie, sicut veritas & falsitas specie diversæ sunt, sed differentiæ specierum essentiales non pertinent ad essentiam generis, sed extra eam sunt, quemadmodum differentiæ rationalitatis & irrationalitatis non pertinent ad essentiam animalis; ergò veritas & falsitas extra essentiam propositionis ut sic esse debent.

Probatur Conclusio tertiò. Verum & falsum significare si est de essentiâ propositionis, vel est de essentiâ ejus determinatè, vel indeterminatè, non determinatè, quia propositio ut sic non est determinatè vera, nec determinatè falsa, sed abstrahit ab utroque; aliàs quælibet propositio in particulari esset determinatè vera, vel determinatè falsa, quod probo,

probo, quia quidquid est de essentiâ superioris, est de essentiâ inferioris; ergò si de essentiâ propositionis in communi, erit etiam de essentiâ cujuslibet propositionis in particulari; Et quamvis istæ probationes bonæ sint intelligendo, posteriorem quòad nos, & priorem secundum aliquam probabilem sententiam de quâ infra agam.

Attamen probatur adhuc universaliùs: Illud non est essentia & alicujus ratio formalis præcisè constitutiva, quò datur aliquid prius, sed veritate & falsitate datur aliquid priùs; ergò. Probatur mi. unum de alio dicere est priùs, quàm unum de alio dicere verum vel falsum; ergò. Sed

VI. Opponitur Authoritas Aristotelis, qui supra definit propositionem per veritatem & falsitatem; ergò veritas & falsitas erunt de essentiâ propositionis; ant. est certum. Probatur consequentia: Quia definitio debet fieri per essentialia; ergò si Aristoteles definivit propositionem per veritatem & falsitatem, veritas & falsitas erunt de essentiâ probationis. R. concessò ante. negando consequentiam, cujus probationis ant. distinguo. Definitio debet esse per essentialia strictè sumpta, concedo ant. laxè sumpta, nego ant. Unde Aristoteles non verè definivit propositionem per veritatem & falsitatem, sed tantùm descripsit eam, tanquàm per accidentia nobis notiora, unde veritas & falsitas non sunt nisi accidentia propositionum.

VII. Dico 5. *Propositio ut sic describitur benè, quòd sit oratio perfectè unius de alio enuntiativa, ita quòd enuntiatio sit de essentia propositionis ut sic.*

Probatur: Quia omni & soli convenit, & declaratur: Ponitur *oratio* loco generis *perfectè enuntiativa unius de alio*, locò differentiæ; ergò est bona.

Probatur secunda pars: In illo consistit essentia propositionis, quod est radix & principium formale proprietatum ejus, videlicet affirmationis & negationis, veritatis & falsitatis, sed enuntiatio est tale principium; ergò ma. patet. Probatur mi. ideò enim est propositio affirmativa, quia enuntiat unum de alio per affirmationem, & ideò est negativa, quia enuntiat unum de alio per negationem, &c. ergò.

VIII. Dices: Plùs debet habere propositio, quàm oratio, sed essentia orationis consistit in eo, quòd unum de alio dicatur; ergò propositio nõ est oratio enuntiativa, quia nihil habebit plus ab ipsâ oratione; Probatur ma. omnis species debet habere plùs, quàm habeat genus, homo enim habet plùs in se, quàm animal; sed propositio est species orationis ut est certum; ergò debet habere plùs; subsumo: sed nihil potest habere plùs quàm veritatem & falsitatem; ergò veritas & falsitas erunt de essentiâ propositionis. R. concessâ ma. dist. mi. Essentia orationis consistit in eo, quòd unum de alio dicatur perfectè, vel imperfectè, concedo mi. perfectè semper, nego mi. propositio verè non enuntiat unum de alio quomodocunque, sed tantùm perfectè, unde etiam ex proposito in definitione datâ particulam *perfectè* addidi, hoc ergò proposito addit supra orationem, hinc negatur assumptum.

IX. Dices: Adhuc Enuntiatio & propositio sunt idem; ergò definitio propositionis non est bona; ant. patet. Probatur consequentia: Illa definitio non est bona, quæ est identica, quia hæc non est bona definitio hominis, *homo est homo*, sed hæc est identica; ergò non est bona: R. negando ant. nam definitum & definitio non sunt idem, quia aliàs syllogismus, in quo ponitur definitio pro medio, non esset bonus, quia non haberet nisi duos terminos, verbi gratiâ, iste: Omne animal rationale est homo; Petrus est animal rationale, ergò Petrus est homo, quod tamen falsum est; & nego etiam consequentiam, ad cujus probationem dico verum esse, ideò illam definitionem hominis non esse bonam. Primò quia est identica. Secundò quia explicat ignotum per æquè ignotum, in casu autèm dato, nec est identica, licèt idem significet definitum & definitio, nam hoc non sufficit, ut dicatur propositio identica, sed requiritur etiam ut eodem modo significet, hinc licèt homo & animal rationale idem significent, tamen quia non significant eodem modo, nam primum significat confusè, alterum distinctè, ideò non est identica hæc propositio, homo est animal rationale, sic quoque se habet se res in proposito.

QUÆSTIO II.

Quid sit veritas & falsitas Propositionum & in quo consistatur?

Antequam progrediar ad resolvendam quæstionem, *Advertendum primò*: Quòd triplex reperiatur veritas, *una in essendo, altera in significando*, & tertia *in repræsentando*; *In essendo* est ea, quæ rebus omnibus existentibus & non existentibus convenit, quæ proinde tanscendentalis appellatur, estque passio entis, ac proinde etiam falsitati competit & mendacio. *Veritas in significando* est illa, de quâ egi disp. præcedente. Veritas denique *in repræsentando* est, quando unum aliquod objectum repræsentatur, prout est in se, & de hâc veritate, quæ etiam cognitionis dicitur, hìc erit sermo. *Advertendum secundò*, quemlibet actum intellectûs duplex habere esse, unum Physicum, & est ipsa qualitas, quæ producitur ab intellectu, alterum intentionale, & est ipsa conformitas intellectionis ad rem intellectam, unde non requiritur ad veritatem repræsentationis conformitas cum objecto in essendo, sed tantùm in repræsentando, quia objectum aliquando est substantia, imò etiam ens infinitum; actus autèm semper est finitus & accidens, actus semper est quid spirituale, cùm tamen objectum frequentèr sit res materialis. *Advertendum tertiò*: In quolibet intellectu duplicem esse rei cognitæ, seu intellectæ conceptum, unum objectum alterum formalem, formalis conceptus dicitur actus ille, quò intellectus rem aliquam concipit, qui ideò vocatur conceptus, quia est proles mentis, & dicitur formalis, quia formalitèr exprimit & repræsentat objectum, seu ipsam rem; Conceptus verò objectivus est ipsa res cognita, quatenus

I. *Triplex est veritas.*

Quilibet actus intellectûs habet duplex esse.

Duplex est conceptus, unus objectivus alter formalis.

tenus actu ab intellectu per formalem conceptum attingitur, diciturq; conceptus denominatione extrinsecâ à conceptu illo formali, quem terminat, sicut paries denominatur visus extrinsecè ab actu videndi ad eum terminato: deindè denominatur etiam objectivus, quia objicitur intellectui ipsum intelligendo. Differunt autèm iste duo conceptus inter se, quia formalis est semper entitas realis vera à parte rei de prædicamento qualitatis intellectui inhærens, objectivus verò non semper est realis, ut patet, dum intelligimus entia rationis. Itaque in hâc quæstione controvertitur, an veritas sit conformitas conceptûs formalis cum ipsâ re, an verò sit conformitas conceptûs objectivi cum ipsâ re, cujus rei ille est conceptus objectivus? Circa quam materiam duplex est sententia, prima dicit: quòd veritas sit conformitas conceptûs objectivi cum ipsâ re, ut est in se; Ita Durandus, Hervæus, Jandunus, Soncinas, Vulpes &c. Secunda sententia dicit veritatem in repræsentando, seu cognitionis esse conformitatem conceptûs formalis cum re secundùm se, & absolutè spectata, & hæc sententia est, Magni D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 11. asserentis: *veritatem esse in verbo interno.* D. Thomæ hic lectione 3. Ægidii, Cajetani, Smising, Mastrius, Comptonii &c. Cum quâ etiam

II. *Veritas non dicit conceptum objectivum.*

Dico 1. *Veritas non est conformitas conceptûs objectivi cum ipsâ re prout est in se.* Hæc est Contra primam sententiam. Et probatur 1. Veritas propositionis vocalis non consistit in conformitate rei ut significatæ ad se ipsam, ut in se existentem, sed consistit in immediatâ conformitate vocis significantis ad rem significatam; ergò & veritas propositionis mentalis consistet in conformitate ipsius propositionis mentalis ad rem in se existentem. Confirmatur, quia tunc vera imago Petri dicitur, quando repræsentat Petrum, prout est in se, unde veritas illius imaginis non consistit in conformitate inter Petrum in aliquo esse repræsentato & objectivo respectu imaginis ad ipsum Petrum in se existentem, sed in conformitate immediatâ inter repræsentationem imaginis, & rem ipsam repræsentatam.

III. *Veritas dicit conceptum formalem.*

Dico 2. *Veritas est conceptûs formalis conformitas cum ipsâ recognita & repræsentata.* Hæc est Doctoris 1. d. 3. q. 1. C. ubi habet hæc verba: *Quòd potentia cognoscens assimilatur cognito, verum est per actum suum cognoscendi, qui est quædam objecti similitudo.* Ex quo

Probatur etiam Conclusio:

Veritas imaginis non potest melius explicari, quàm per conformitatem ad suum prototypon, nec veritas similitudinis nisi per ordinem ad terminum, sed conceptus formalis seu cognitio est imago & similitudo rei cognitæ; ergò ejus veritas non poterit melius describi, quam per conformitatem ad rem.

IV. Dices 1. In contra. Inter cognitionem & rem cognitam debet esse conformitas, sed inter cognitionem formalem & rem cognitam nulla est; ergò ma. est certa, probatur mi. quia cognitio formalis est quid spirituale, res cognita frequentèr res materialis, cognitio formalis accidens de genere qualitatis, res cognita frequentèr est substantia; ergò R. dist. ma. Inter cognitionem & rem cognitam debet esse conformitas in essendo, seu entitativa; nego ma. in repræsentando, concedo ma. & dist. simil. mi. nego consequentiam. Quia alias cognitio lapidis deberet esse lapis, si requireretur conformitas entitativa, quare sufficit conformitas in repræsentando.

Dices secundò: Objectum intellectûs est verum, sed objectum præsupponitur cognitioni; ergò veritas prius est in objecto, & consequentèr malè dicitur, quòd consistat in conformitate cognitionis ad objectum Sed R. dist. etiam ma. Objectum intellectûs est verum formalitèr sumptum, nego ma. fundamentalitèr seu causalitèr sumptum concedo ma. Verum autèm fundamentalitèr sumptum est res ipsa, quæ ut cognita potest causare veritatem in cognoscente, itaq; veritas est in objecto veluti in causâ, à quâ derivatur in cognitionem, quemadmodum sanitas à medicinâ causatur in animali, & proinde sicut sanitas medicinæ non est nisi efficientèr sanitas, nec tollit sanitatem formalem, quæ in animali est, ita licèt objectum fundamentalitèr sit verum, & veritatem causet formalem, non tollit tamen, quò minùs veritas insit conceptui formali,

Ex his facilè patet, quidnam sit falsitas? videlicèt, quòd sicut veritas cognitionis nihil aliud est quàm conformitas cognitionis ad rem cognitam, ita falsitas nihil aliud est, quàm difformitas cognitionis ad rem cognitam; Et quamvis hoc communitèr concedatur, adhuc tamen inter Authores controvertitur, an ista conformitas sit quid absolutum, an verò aliquid respectivum, similitèr an difformitas sit aliquid reale positivum, an verò solummodò aliquod privativum?

V. *Veritas dicit relationem realem formalem.*

Dico 3. *Veritas dicit relationem realem conformitatis ad objectum, falsitas verò relationem realem difformitatis ad objectum.* Hæc est Doctoris 6. Met. q. 3. §. *Sed quid est utrag; veritas*, ubi etiam innuit, quòd sit relatio realis, ut paulò post probabo.

Probatur Conclusio:

Quia quod pro formali dicit ordinem ad aliud ita, ut nec esse nec concipi possit, sine illo ordine est formalitèr relatio, sed hæc conformitas dicit formalitèr ordinem ad aliud, ita ut nec esse nec concipi possit sine tali ordine; ergò est formalitèr relatio; Probatur mi. quia hæc conformitas est quædam intentionalis similitudo & imago repræsentans objectum, sicuti est, sed omnis similitudo est relatio pro formali; ergò etiam conformitas. Quòd autèm hæc relatio sit realis, probatur tum ex Doctore supra, ubi de veritate simplici seu incomplexâ sic subdit: *Prima est relatio actûs simplicis seu apprehensionis ad suum objectum, & est realis*, de veritate verò complexâ sic ait; *Si autèm placet, quod ille actus comparativus extremorum compositionis immediate correspondeat vel adæquetur rei, cùm ille actus sit vera res, sicut & primus, qui est unius absolutè, tunc veritas secunda est relatio realis sicut & prima*, per quæ loca Doctor insinuat tàm veritatem, quæ est simplex

simplex apprehensio, quàm eam, quæ est judicium, esse relationem veram, quia etiam utraque est veritas & conformitas, ut in quæsito secundo hujus quæstionis resolvam.

VI. **Probatur hoc etiam ratione,** nempè quòd sit relatio realis; Quia est independenter ab operatione & negatione cujuscunq; potentiæ potentis fingere vel comparare.

Probatur etiam secunda pars principalis Conclusionis: Veritas est relatio realis; ergò etiam falsitas: Probatur consequentia, Relationes primi modi, scilicet identitatis & diversitatis, similitudinis & dissimilitudinis, &c. sunt relationes reales & positivæ; sed relationes conformitatis & difformitatis, sunt primi modi; ergò. Probatur mi. Relatio conformitatis est intentionalis similitudo, & difformitatis est intentionalis dissimilitudo, sed similitudo & dissimilitudo sunt primi modi, ergò. Sed

VII. **Arguitur.** Contra illam partem quòd sit relatio realis. Cognitio divina repræsentans me actu existentem, non dicit ad me relationem realem; ergò malè dicitur, quòd cognitio seu conformitas sit relatio realis, etiamsi versetur inter extrema realia, consequentia patet. Probatur ant. tùm quia nulla relatio resultat in Deo, quæ non sit ab alterno in ipso, tùm quia juxta omnes Theologos Deus nullam dicit relationem ad extra, quia hoc argueret in ipso magnam imperfectionem. R. quòd totum hoc argumentum nihil contra dictam concludat assertionem, quæ solùm loquitur de conformitatibus creatis, non verò de divinis, unde ubi in creatis ponitur relatio realis, in divinis ponitur rationis. Sed

Instatur. Actus intellectûs non potest immutare objectum realiter, aliàs posset immutare Deum; ergò nec in creatis poterit esse relatio realis, quia alioquin objectum mutaretur realiter. R. dist. ant. actus intellectûs non potest immutare objectum realiter verâ mutatione Physicâ concedo, verâ mutatione impropriè dictâ & relativâ, nego ant. cum consequentia, & probatione ante; Quia licèt actus intellectûs possit mutare objectum mutatione impropriè dictâ, seu negativâ, quæ fit per resultantiam, non potest tamen immutare Deum, qui est simpliciter immutabilis realiter; dico notanter realiter, quia potest Deus in tempore fundare relationem rationis, ut verbi gratiâ, quando in tempore creat, & similiter terminare, quando à me intelligitur, & hoc nullam in eo arguit imperfectionem, nec propterea dici potest vel debet, quòd mutatur simpliciter.

Urgetur. Judicium, quo ego judico, quòd omnis qualitas sit ens reale, non dicit conformitatem realem ad objectum, aliàs diceret relationem ad seipsum, quòd nemo dicet; ergò stat adhuc argumentum, quòd non omnis relatio etiam creata sit realis, licèt sit inter extrema realia. R. argumentum nihil urgere contra conclusionem, nec contra responsionem, quia non loquor hic de relatione inter quæcunque extrema, sed inter extrema realiter distincta, qualiter non est illud judicium.

Arguitur 2. Quòd falsitas non consistat in relatione reali. Sicut se habet malitia ad bonitatem, ita falsitas ad veritatem, sed malitia dicit formaliter privationem bonitatis; ergò & falsitas. Probatur ma. Quia sicut malum est defectus voluntatis, ita falsum est defectus intellectûs; ergò. R. dist. ma. in ratione generica oppositionis, concedo ma. in ratione specificâ, nego ma. & concessâ minori, nego consequentiam, disparitas est, quia malitia, cùm sit effectus voluntatis, etiam in purâ omissione reperiri potest, & tunc consequenter non poterit consistere in aliquo positivo, quia super omissionem puram relatio positiva fundari non potest, falsitas autèm, quæ est effectus intellectûs, cùm nunquam reperiri possit sine actu positivo, semper sufficiens est fundamentum relationis. VIII.

Instatur. Ens communissimè sumptum dicit relationem veri, tanquàm passionem entis, cui falsitas opponitur; ergò falsitas non poterit ens esse positivum, quia extra ens communissimè sumptum non datur aliquod ens positivum; ergò si falsitas, ut sic negativè opponitur veritati, quælibet etiam falsitas negativè opponetur, & consequenter non poterit fundari supra aliquod positivum. R. dist. primum consequens falsitas in essendo, quæ opponitur veritati in essendo, concedo consequentiam, falsitas complexa seu in repræsentando, quæ opponitur veritati in repræsentando, nego consequentiam, similiter distinguo secundum consequens: Ergò si falsitas ut sic in essendo opponitur negativè veritati ut sic, quælibet etiam falsitas in repræsentando sic opponetur, nego consequentiam, quælibet falsitas in essendo, concedo consequentiam. Etsi prior solutio Argumenti tibi insufficiens videtur, responde ad illud per hanc aliter, & facilè evades difficultatem.

Quæres, Qualis nam sit hæc relatio realis? R. illam non esse determinatè relationem prædicamentalem, nec determinatè transcendentalem, nec determinatè realem perfectam, scilicet cùm omnibus conditionibus requisitis adveram relationem realem, nam in propositionibus contingentibus indeterminatam partem significantibus est realiter distincta consequenter prædicamentalis, in actibus necessariis, qui semper ex naturâ suâ sunt veri, est realiter identificata & sic est transcendentalis. Deniq; in propositionibus contingentibus de præterito vel futuro, quarum objecta non existunt, relatio non erit perfectè realis, quia deest una conditio, scilicet quòd sit inter extrema realia, & idem dicendum de cognitione non entium & entium rationis. IX. *Hæc relatio non est aliqua determinata.*

Quæres 2. Utrum in simplici apprehensione detur veritas? R. affirmativè. Colligitur ex Doctore supra, ubi vocat veritatem, quæ in apprehensione simplici consistit, conceptum in complexum, & eam, quæ consistit in judicio, complexum. Ratio est: Quia cui convenit propria conformitas, convenit etiam X. *In simplici apprehensione datur veritas.*

propria veritas, siquidem veritas consistit essentialitèr in conformitate repræsentationis ad repræsentatum, vel signi ad suum significatum, sed conceptui simplici competit propria conformitas cum suo objecto incomplexo, non secùs ac conceptui complexo competit conformitas cum suo objecto complexo; ergò non minus isti quàm illi convenit propria conformitas & veritas, quamvis inter se differant in eo, quòd nimirum per complexam attingitur, determinatè esse quod est, aut non esse quod non est, in veritate autèm simplicis apprehensionis indeterminatè & neutralitèr, & hæc veritas non opponitur falsitati, sed ignorantiæ, unde falsitas non competit simplici apprehensioni; nam Aristoteles 3. de animâ dicit: non contingere per simplices conceptus intellectum falli vel decipi, sed potiùs non attingere, aut ignorare objectum, & hoc optimè declarat S. Augustinus exemplo sensûs: nam cùm sensus, verbi gratiâ, visus attingit visibile, dicitur verus visus, eum autèm non attingit objectum, nec illud percipit, non dicitur falsum, sed tantùm non videns, sic etiam contingit in proposito de simplici apprehensione, quia dum intellectus concipit aliquod objectum, tunc conceptus est verus, quia verè attingit objectum, si verò illud non attingit nec concipit, tunc dicitur illud ignorare.

QUÆSTIO III.

An Propositio sit una simplex qualitas?

I. *Difficultas est de propositione mentali.*

Controversia hæc non procedit de propositione vocali, nec de scripta, quia de his certum est, quòd non sint simplices qualitates, sed quòd pluribus constent partibus, scilicet, vel ex pluribus vocibus, vel ex pluribus scripturis, unde difficultas tantùm est de propositione mentali, in quantum in mente est, an componatur ex pluribus partibus, ita quòd aliqua correspondeat subjecto, altera copulæ, & tertia prædicato? an verò consistat in solo Conceptu copulæ utrumq; extremum copulantis, quamvis necessariò respiciat etiam indirectè & secundariò utrumque. Circa quam quæstionem Duplex est potior sententia; Prima dicit esse impossibile, ut propositio mentalis sit una simplex qualitas, sed esse necessarium ut propositio mentalis judicata non sit unus simplex conceptus, sed compositus ex pluribus conceptibus ac qualitatibus. Ita Rubius, Vasquez, Molina, Vulpes, in quam sententiam etiam inclinare videtur Scotus ipse, 1. Perih. q. 1. ad tertium, & eam probabilem judicant Posnanienses. Secunda sententia dicit propositionem mentalem esse simplicem qualitatem. Ita Basolus, Mastrius, & Bellutus, Conimb. Boëthius, Durandus; Et colligitur etiam ex Scoto 2. d. 38. sequiturq; Gregorius, unde pro dicendorum intelligentiâ

II. *Quadruplex est compositio.*

Notandum, Compositionem alicujus operationis intellectûs esse quadruplicem, videlicet *formalem, virtualem, objectivam, & suppositam*; *Formalis* compositio est, quando operatio constat multis conceptibus distinctis; *Virtualis est*, quando operatio est formalitèr unus actus, æquipollet tamen multis ob varia objecta quæ attingit; *objectiva*, quæ semper cum virtuali conjuncta est, tunc datur, cùm objectivi conceptus à mente compositi sunt plures; *Supposita est*, quando actus simplex intellectûs supponit plures actus accidentales circa objectum, in quod debet tendere. Hoc præmisso ad quæstionem resolutivè

III. *Propositio simplex qualitas.*

Dico: *Propositio mentalis non est composita ex pluribus actibus intellectûs, sed est una simplex qualitas.* Ita Authores pro secundâ sententiâ citati: &

VII. *Vocalis abstrahit à scripta.*

Probatur primò authoritate Boëthii 4. de Interp. ubi propositionem & judicium affirmativum vocat *nutum*, propositionem verò & judicium negativum appellat *abnutum*, sed nutus & abnutus sunt qualitates & conceptus simplices, ergò etiam propositiones.

IV.

Probatur secundò authoritate Scoti & fundamento quòd indicat quodlibeto 13. ubi expresè & exprofesso probat quamcunq; intellectûs nostri operationem esse quid per se unum in prædicamento qualitatis reponibile, sed non potest ex pluribus actibus congregatis simul & adunatis constitui & resultare quid per se unum, ergò.

Probatur tertiò. Si judicium non esset simplex sed compositum, tunc necessariò deberet componi ex pluribus apprehensionibus, vel ex pluribus judiciis, sed neutrum dici potest; major est clara; probatur mi. non primum, quia in Catholico refutante propositionem hæreticam, sunt plures apprehensiones correspondentes pluribus partibus hujus complexi, verbi gratiâ, duo tantùm sunt Sacramenta, sed in Catholico nullum est judicium de tali propositione, quia aliàs esset hæreticus, ergò. Nec etiam secundum, propter rationem supra positam, ergò.

V.

Probatur quartò. Si propositio mentalis, seu judicium esset compositum, hoc deberet esse necessariò ex apprehensione subjecti, prædicati & copulæ, sed hoc non est, ergò major patet, quia non est aliud assignabile, probatur mi. quia fieri potest, ut omnes illæ apprehensiones sint in intellectu, & tamen non sit adhuc aliquod judicium, ergò. Probatur ant. Quia possum ego apprehendere totam hanc propositionem, *astra sunt paria, cœlum est frigidum, calidum*, & tamen nullum ferre judicium, ut patet ex quotidianâ experientiâ, ergò. Deinde secunda mentis operatio non distingueretur à primâ, quia datur prima mentis operatio, seu apprehensio alicujus totius complexi, verbi gratiâ hujus: *homo est animal*, ergò si secunda mentis operatio non est nisi connexio & adunatio, seu aggregatio ex pluribus primis apprehensionibus, secunda mentis operatio non distinguetur à prima. Sed

VI.

Dices: Imò hoc esse pro contrariâ sententiâ, nam si judicium est tantùm simplex conceptus & simplex qualitas, tunc non poterit assignari distinctio inter primam & secundam mentis operationem, ergò. Probatur ant. quia prima operatio non est composita ex pluribus actibus,

actibus, ergò si secunda esset simplex, non esset signum distinctionis. Sed R. negando ant. cum suâ probatione, quia secunda mentis operatio non distinguitur præcisè à primâ, quòd hæc sit simplex, & illa sit compositа, sed ideò, quia prima nullam præsupponit aliam operationem, secunda verò necessariò præsupponit aliam operationem intellectûs, nam nullum judicium de aliquo ferri potest, sive sit negativum, sive affirmativum, nisi priùs apprehendatur illud, de quo aliquid affirmari, vel negari debet, & id quod affirmari, vel negari debet, sed Contra Conclus. principalitèr.

VII. Urgetur authoritas Scoti.

Opponitur Authoritas Scoti tum 2.d. 3.q.10. ubi dicit: *eandem speciem non posse repræsentare plura*, sed in hâc propositione, verbi gratiâ, *homo est animal*, sunt plures species, quia aliam exigit *Tò homo*, & aliam *Tò albus*; ergò judicium illud, quod fit mediantibus illis speciebus, non erit simplex, sed debet esse compositum, quia alioquin deberet esse species, quæ repræsentaret totum hoc pronuntiabile, quæ tamen non datur ex Scoto tum 1. q. 1. §. ad tertium dico: ubi expressè asserit: *Sicut nomen & verbum sunt partes enuntiationis in voce, sic in ipsa mente sunt partes orationis, quæ enim concipiuntur ab intellectu in primâ ejus operatione, componuntur in secundâ.* R. Doctorem in primo loco tantùm velle, quòd una eademque species non possit repræsentare plura, quando illa plura sunt disparata, & nullo nexu conjuncta, non verò quando inter se unionem habent, vel ad se invicem subordinantur. Et quòd hoc ita sit, satis deducitur ex eo, quòd non implicet eandem imaginem & simplicem cognitionem repræsentare plura per modum unius, quantùm ad unionem primariò & judicativè, secundariò verò respiciendo extrema, ut patet, tum ex scientiâ Divinâ, quæ in se est simplicissima, & tamen repræsentat omnia repræsentabilia; tum ex sat probabili sententiâ D. Thomæ unam speciem angeli superioris, verbi gratiâ, Michaëlis illa continere, quæ in pluribus speciebus angeli inferioris continentur. Ad secundum Locum R. Scotum loqui de propositione objectivâ in mente, quatenus est objectum mentis operationis, ut patet ex illiusmet verbis dum dicit, quæ enim concipiuntur (id est extrema) in primâ ejus operatione, componuntur in secundâ per actum intellectûs componentis, nihil autem dicit, quòd judicium factum sit etiam aliquod compositum, quod tantùm esset contra Conclusionem.

Instatur. Si hæc propositio *homo est non homo*, sit in mente simplex qualitas, repræsentabit simul contradictoria, sed hoc est inconveniens, quia alioquin sibiipsi contradiceret, ergò. Verùmtamen R. 1. tale judicium non posse esse in mente sanâ. R. 2. Illam propositionem posse in intellectu sedere, seu apprehendi per primam mentis operationem, sed non ferre de illo judicium affirmativum, quia impossibile est idem simul esse & non esse, & quicunque hoc principium scit (scit autem quicunque habet intellectum) non potest illam propositionem judicare esse veram, licèt benè potest judicare esse falsam.

Urgetur Judicium, quo judicat ipsam esse falsam, vel est simplex qualitas, vel non, si non; ergò falsum est, propositionem mentalem pro formali esse simplicem qualitatem, si sic; ergò in eodem intellectu respectu ejusdem erunt duo contradictoria, nempe hæc, *homo est non homo.* R. tamen esse simplicem qualitatem, nego tamen hinc sequi ullam contradictionem in judicio, quamvis in primâ mentis operatione videantur res contradictoriæ apprehendi, in quo nulla est absurditas, nam intellectus non est magis limitatæ virtutis quòad hoc, quàm visus, visus autèm, quô video hominem, repræsentat mihi & hominem & albedinem, quæ est in dentibus, & nigredinem quæ est in capillis, non propterea contradicit aut contrariatur sibi. Sed adhuc contra Conclusionem.

VIII.

Opponitur Authoritas Aristotelis 1. de animâ cap. 6. ubi dicit: in quibus falsitas & veritas inest, in his est compositio quædam, sed in propositione mentali est veritas & falsitas; ergò propositio mentalis est compositio quædam, & consequentèr non est simplex qualitas. Item hîc cap. vocat secundam mentis operationem compositionem. R. etiam sicut ad Doctorem supra, nempe Aristotelem loqui de propositione mentali objectivâ, & non de formali, & sic explicant Aristotelem pro utroque loco Connimb. q.4. art.3.cap.4.

Instatur: Propositio hypothetica non est una simplex qualitas; ergò nec categorica à paritate rationis. R. concessô ant. negando consequentiam, quia cùm hypothetica propositio aliud non sit, quàm duæ Categoricæ, & consequentèr etiam duo judicia non possunt esse simplex qualitas, secùs autèm est de categoricâ.

Urgetur: Ideò hypothetica non est simplex qualitas, quia in eâ est aliud & aliud judicium, sed etiam in categoricâ est aliud & aliud; ergò neq; categorica erit simplex qualitas. R. dist. ma. quia in eâ est aliud & aliud judicium formalitèr, concedo ma. alio quocunque modo, seu tantùm virtualitèr, nego ma. similitèr distinguo mi. In Categoricâ est aliud & aliud, virtualitèr, transeat, formalitèr, nego ant. & consequentiam. Itaque licèt in categoricâ propositione sint subjectum, prædicatum & copula, judicium tamen consistit primariò in copulâ, connotativè postmodum respicit extrema, uno tamen eodémque actu, qui facit, quòd sit simplex qualitas, imò ipse actus est illa simplex qualitas, nec hoc aliquid novum est, quòd in plura uno actu tendere possit, quia non æqualitèr tendit in utraque, in unionem enim copulæ tendit directè, in extrema indirectè, & sic potest etiam tendere in opposita ut in his, homo est lapis, homo non est lapis.

IX. *Quare secunda mentis operatio dicatur compositio.*

Quæres, Si propositio mentalis, vel judicium est simplex qualitas, quomodo ergò potest secunda mentis operatio vocari compositio, vel divisio? Ad hoc dubium varii varia respondent, mihi tamen videtur dicendum, judicium, seu secundam mentis operationem non vocari compositionem, propter compositio-

nem, propter compositionem, vel divisionem objectorum, quæ conjungit affirmando, & separat negando, quia intellectus divinus intelligit composita & divisa, & tamen non intelligit componendo & dividendo objecta sicut nos facimus; Quare etiam dicenda est aliquomodò composita ex parte ipsius actûs, ita videlicet ex eo, quòd in intellectu ponatur simul cum alio apprehensionis actu distincto, quem prærequirit. Et ratio est, quia hoc sufficit ut dicamur cognoscere verum complexum, componendo & dividendo; Et etiam quia hoc sufficit ad distinguendum intellectum nostrum ab intellectu divino in modo cognoscendi verum complexum, quia intellectus divinus non dependet ab actu alio aliquo præcedente, qui esset simplicis apprehensionis, sed per unum simplicem actum cognoscit prædicata, quæ alicui competunt. Quòd autem secunda mentis operatio semel vocatur compositio, & semel divisio, hoc præcisè oritur ex ratione objectorum, quia ex parte intellectûs, sive affirmet, sive neget, semper adest compositioni judicando.

QUÆSTIO IV.

Quando causatur conceptus in audiente per compositionem prolatam, & pro quo instanti intelligatur vera?

I. *Quæstio hæc procedit de propositione vocali.*

Quemadmodum præcedens quæstio procedebat de propositione mentali tantùm, ita ista non habet locum in mentali, sed de vocali solùm, unde quæstionis proprimâ parte sensus est: an in ultimo instanti prolationis totius propositionis, an verò in instanti prolationis copulæ verbalis, an verò in aliquo alio instanti causetur totalis & completus conceptus propositionis? dico notantèr totalis & completus, quia prolata quâcunque propositione, oratione, vel dictione, benè potest causari simplex conceptus ipsius dictionis, non tamen totius orationis, vel propositionis. Et de hâc materiâ fusè & pulcherrimè tractat Scotus 4. d. 8. q. 2. & q. 6. n. 2. & totum hoc in gratiam hujus propositionis Sacramentalis: *Hoc est enim Corpus meum* unde ut clarior tota res evadat, Notandum, propositionem aliam esse practicam, aliam speculativam; practica est, quæ non solùm significat, sed etiam causat suum significatum, quales propositiones sunt omnes formæ sacramentorum; speculativa propositio est, quæ non causat, sed tantùm significat suum significatum, & hujusmodi sunt istæ: homo est animal rationale, viride est congregativum visûs, album est visûs disgregativum, & plures aliæ similes. Unde

II. *Non habetur conceptus ante ultimam propositionis prolationem.*

Dico 1. *Conceptus totalis & completus causatus per propositionem, vel orationem in audiente non habetur usq; ad ultimum instans prolationis totius propositionis, vel orationis.* Ita Doctor in 4. supra n. 14. & cum eo omnes Scotistæ, Conclusionem probat Scotus sic: *Quia*, inquit, *non habetur conceptus omnium partium orationis ante illud instans; ergò non habetur conceptus totius orationis ante illud instans, videlicet ante ultimum.* Confirmatur à simili, sicut conceptus formalis dictionis non habetur ante ultimum instans prolationis totius dictionis, ita etiam à pari dicendum est de propositione, nam sicut partes dictionis non significant conceptum, nisi integra proferatur, ita etiam propositio non significabit suum conceptum, priusquàm tota propositio finiatur, ergò.

III. Dices: Si propositio non causaret suum conceptum completum usq; ad ultimum instans prolationis totius propositionis, sequeretur, quòd causaret suum conceptum, quando non est, sed non potest causare suum conceptum, quando non est; ergò non causat in ultimo instanti prolationis totius probationis, sequela patet, quia in ultimo instanti propositio jam non est, probatur mi. quia ad agere præsupponitur esse; ergò si propositio non est, non potest causare sui conceptum. Rg. dist. ma. sequeretur, quòd causaret sui conceptum, quando non est in se, concedo ma. quando non est in suo æquivalenti, nego ma. nam prolatâ quâcunq; voce, causatur illius vocis species in phantasiâ, deinde intellectus in ultimo instanti per collationem suam causat conceptum illius, seu potiùs quælibet vox causat sui speciem in phantasiâ, seu sensu communi, & postea illa species producit aliam speciem, deinde intellectus mediante ipsâ producit in se conceptum. Sed pro secundâ parte Tituli

IV. *Quando propositio vera.*

Dico 2. *Propositio non est vera pro instanti, vel tempore quo causatur conceptus ejus in audiente, sed ut sit vera in rigore sermonis, debet prædicatum inesse subjecto pro instanti prolationis copulæ, seu pro illo instanti vel tempore importato per copulam.* Ita Doctor supra n. 15. Et Probatur sic conclusio ab eodem: Si dicam, Deus creavit mundum, conceptus illius orationis causatur in ultimo instanti, tamen veritas illius, seu unio extremorum illorum intelligitur pro primo instanti temporis, non est, ergò idem dicere in quo instanti concipiatur oratio, & pro quo, quia concipitur in ultimo complexæ orationis, & concipitur pro illo, pro quo extrema uniuntur in intellectu sive extra in re.

Probatur etiam secunda pars.

Quia propositio non potest esse vera in rigore sermonis, nisi in aliquo instanti significato per aliquam partem, sed nihil aliud est in propositione, quod significaret instans vel tempus præter copulam verbalem, cujus proprium est significare tempus vel instans; ergò ut propositio in rigore sermonis sit vera, debet prædicatum inesse subjecto pro illo instanti vel tempore. Confirmatur, quia dum dico Deus creavit mundum, licèt ista propositio sit vera in instanti probationis totius propositionis, tamen non intelligitur vera pro illo instanti, aliàs esset propositio de præsenti, sed pro instanti vel tempore præterito, nec est alia ratio hujus, nisi quòd propositio debeat intelligi vera pro tempore significato per copulam. Dixi autem in rigore sermonis, quia multæ sunt propositiones veræ ex intentione proferentis vel usu communitèr loquentium, quarum prædicata non intelliguntur unita esse subjecto pro aliquo instanti vel tempore prolationis, quæ proinde in rigore sermonis sunt fallæ, ut sunt dum quis dicit, *ego taceo, ego dormio.* Ex quibus colligo, ad hoc, ut propositio sit vera ex intentione

ne proferentis vel usu communitèr loquentium, sufficere, quòd prædicatum insit subjecto pro aliquo instanti coëxistenti alicui parti propositionis, imò quòd pro aliquo tempore immediatè antecedente vel consequente, ut patet ex prædictis propositionibus, & in hoc sensu, non verò in rigore sermonis verificantur multæ propositiones sacræ scripturæ, verbi gratiâ, illud Christi: *Vado & vermo ad vos*, cum tamen Dominus pro illo tempore nec abiret nec rediret.

Arguitur. Propositio vocalis non significat prædicatum inesse subjecto ante ultimum instans prolationis totius propositionis ex conclusione superiori; ergò non significatur prædicatum inesse subjecto pro instanti prolationis copulæ. R. negando consequentiam, quia ut adnotavi, aliud est significare tunc prædicatum inesse subjecto, & aliud significare pro tunc, ut patet in his: Deus creavit mundum, Antichristus erit, & sic de aliis, &c.

Instatur. Propositio pro eo instanti significat prædicatum inesse subjecto, pro quo componit prædicatum cum subjecto, sed hoc facit pro ultimo instanti totius propositionis prolatæ. R. negando mi. ut patet in propositionibus de præterito & futuro

Urgetur. Potest judicium mentale de præsenti esse verum, licèt non præsupponat prædicatum inesse subjecto, ergò à paritate judicium seu propositio vocalis. Probatur ant. dum dico in mente paries est, intellectus, illud judicium est verum, licèt ante ipsum paries non fuerit intellectus, saltem judicativè, ergò. Probatur ant. quia implicat me habere actum judicii de pariete, & parietem non esse intellectum. R. concedo primùm ant. & nego primam consequentiam, disparitas est, quia judicium mentale de præsenti potest ponere concomitantèr aliquid in objecto & simul illud de objecto affirmare; vocale verò non, quia vox nihil potest ponere in objecto, sed tantùm significat illud quod per intellectum vel voluntatem in objecto ponitur.

Arguitur secundò principalitèr: Ex Conclusione propositâ sequeretur hanc propositionem Eucharisticam in rigore sermonis, Hoc Est enim corpus meum, esse falsam, & consequentèr simplicitèr falsam, sed hoc in fide tutum non est, ergò. Probatur sequela, quia prædicatum non inest subjecto pro instanti prolationis copulæ, ergò. Probatur ant. quia pro instanti pro quo sacerdos profert ly *Est* prædicatum, non inest subjecto, quia tunc non inest corpus Christi sub speciebus ut patet. Ad hoc argumentum varii varia respondent, Suarez dicit: illam propositionem practicam in rigore sermonis esse veram, quia inquit ad veritatem propositionis, cujus copula est præsentis temporis, sufficit, quòd res per ipsam significata in aliquo tempore vel instanti prolationis totius propositionis habeat se eò modò, quò per propositionem significatur se habere. Vasquez verò dicit: hanc propositionem in rigore sermonis esse veram, quia ad hoc ut aliqua propositio de præsenti sit vera, sufficit, etiamsi res paulò ante, vel paulò post prolationem ita se habeat ut significatur se habere. Sed Contra has responsiones

Dico 3. *Propositio etiam practica de præsenti, ut sit de rigore sermonis vera, requirit ut inter subjectum & prædicatum significetur esse unio pro aliquo instanti prolationis.* Hæc est de mente Scoti, qui Conclusionem superiorem universalitèr tenet non excipiens ullam propositionem, quia etiam in ordine ad hanc propositionem practicam, Hoc Est enim corpus meum, tradidit istam regulam universalem, ergò etiam intellexit de eo conclusionem. VII. *Ut sit vera debet significare inter præd. & subject. esse unionem.*

Probatur ergò Conclusio, tum ex dictis pro præcedente conclusione, tum etiam, quia verbum præsentis temporis significat tempus præsens, ergò extrema pro illo uniri debent; ant. probatur, quia significat tempus sibi coëxistens, sed illud est tempus præsens, ergò. Probatur minor, quia non est præteritum aut futurum, quia aliàs quælibet propositio esset de præterito vel de futuro, & nulla de præsenti esset vera, quod est absurdissimum.

Dices: Cum Vasquez sufficere, quòd tempus illud sit moralitèr præsens verbo, seu quòd existat paulò ante, vel paulò post totam propositionem. Vel saltem ut vult Suarez sufficere & requiri, quòd res significata seu unio existat pro aliquo instanti prolationis totius propositionis etiam initiativo, vel terminativo, licèt non præcisè pro aliquo instanti ipsius verbi. Sed Contra, Verbum præsentis temporis distinguitur in eo à verbis præteriti & futuri, quòd, quantùm est ex rigore sermonis Logici, connotet tempus præsens ipsi verbo, illa verò minimè, sed tempus illud non est præsens ipsi verbo nisi ipsi coexistat, ergò. probatur ma. ut supra: probatur etiam minor. Quia tempus, quod non coexistit ipsi verbo vel est præteritum vel futurum respectu ipsius; ergò verbum significans tale tempus non est præsentis, sed vel præteriti vel futuri temporis, probatur ant. quia quod nunc non habet, sed post nunc habebit existentiam, est futurum, & quod non habet nunc, & ante habuit, est præteritum, ergò. Sed Contra secundo & VIII.

Probatur Conclusio denuò, quia ex oppositâ sententiâ sequeretur: Quòd hæ propositiones *Hoc est corpus meum* & *hoc est panis*, eodem præcisè tempore & supra eandem materiam prolatæ essent simul veræ, sed hoc est absurdum, ergò. Probatur ma. quia tunc prima propositio esset vera, ut fatentur adversarii, & probo quòd etiam secunda sit vera, quia ad veritatem propositionis de præsenti, juxta Adversarios, sufficit, quòd res significata seu unio extremorum in aliquo instanti prolationis totius propositionis haberent se eodem modò, quò per hanc propositionem significatur, imò juxta Vasquez paulò ante, vel post, sed in omni instanti & tempore præcedente ultimum instans prolationis res significata per hanc *hoc est panis*, habet se eò modò, quò per hanc significatur, quia panis non desinit esse ibi usque ad ultimum instans prolationis totius formæ juxta omnes; ergò hæc propositio, *hæc est pa-* IX.

nis erit vera, & consequenter utraq; erit simul vera, si à diversis utraq; proferatur.

Contra tertiò & Confirmatur

Conclusio. Sequeretur, omnes propositiones contradictorias in materiâ contingendi esse simul veras, verbi gratiâ, *Petrus currit, Petrus non currit* sed hoc est absurdum, ergò. Probatur ma. & suppono, quòd Joannes proferat hanc propositionem, *Petrus currit*, & Paulus proferat hanc, *Petrus* non currit, tunc sic ad veritatem utriusq; propositionis sufficit, quòd res se habeat, sicuti dicitur se habere pro aliquo instanti prolationis totius propositionis, sive primò, sive secundò, vel immediatè ante, vel immediatè post; ergò ad veritatem affirmativæ sufficit, quòd res pro primo instanti vel tempore prolationis se habeat ut significatur, & ad veritatem negativæ, quòd pro ultimo instanti se habeat ut significatur; ergò si Petrus currit pro primo instanti quo profertur affirmativa, vel paulò ante hæc erit vera *Petrus currit*, & si non currat pro ultimo instanti vel tempore prolationis, vel paulò post, negativa propositio simul prolata erit vera in rigore sermonis, ergò utraq; erit vera de rigore sermonis, quod est absurdum.

Confirmatur secundò Theologicè: Quia si verbum *Est* in hâc propositione, *Hoc est corpus meum*, non significaret ex ui sermonis extrema uniri pro aliquo instanti suæ prolationis, sed pro ultimo totius formæ, ut volunt adversarii, sequeretur, quòd posit quis validè consecrare, quando non haberet panem præsentem usq; ad ultimum instans prolationis formæ, quod est contra ipsos Adversarios & omnes, probatur, quia juxta adversarios ex verbis formæ colligitur, quòd panis sit præsens, sed nullum est verbum, quod denotet quòd panis sit præsens usq; ad ultimum instans formæ juxta ipsos; ergò tunc est valida consecratio, quia sufficit, quòd panis sit præsens pro instanti, quo forma significat ipsum esse præsentem. His igitur præmissis, nunc

Respondeo ad secundum

argumentum principale contra præcedentem conclusionem negando sequelam, nempe quòd futura sit absolutè falsa illa forma Eucharistica, quia illa propositio non est instituta secundùm rigorem Logicum sermonis, sed secundùm communem modum loquendi inter homines usitatum, quomodo verè loquitur, Sartor conficiens vestem *hanc esse vestem Petri*, licèt nondum sit vestis, sed primò faciat eam, & pictor dum sub rudiori minervâ & crassiori penicillo ordinat & molitur imaginem Cæsaris verè dicit: *hæc est Imago Cæsaris*, licèt primò fiat, sic quoque verè Mecœnas verum dicit, dum Clienti porrigit torquem auream, dono tibi hoc munusculum, licèt cliens non intelligat sibi deberi munus ante prolationem totius propositionis, ita ut si post verbum *dono* extasim pateretur, vel aliô quocunque modô à loquelâ impediretur, vel liberè cessaret, nemo intelligeret donationem factam, licèt ipsa donatio significaretur per verbum dono. Unde præclarè Doctor rem totam hanc examinat supra tredecim conclusionibus, & tandem sic concludit, Verba ejus refero ut sint gratiores aquæ ex ipso fonte hauſtæ, *Propter hoc dico*, inquit subtilis, *quòd tota hæc disputatio in tredecim Conclusionibus & earum probationibus, vel improbationibus subtilis est & Logica de veritate hujus propositionis* (nempe hoc est corpus meum) *salvanda, sed Theologo sufficit, quòd illa oratio, ut est tale signum sensibile institutum a Deo est Dei instrumentum ad consecrationem illam, quæ sequitur in ultimo instanti, ita quòd Deus assistit sibi tanquam cuidam dispositioni præviæ efficaci, ut ea completa causet talem effectum invisibilem, non autem ipsa veritas præcedit ut talis dispositio actionem Dei, quia est ut signum sensibile in fieri & per consequens in tempore non intelligitur habere suam propriam veritatem, quando etiam habet eam, illa veritas sequitur ordine naturæ actionem Dei: Breviter ergò diceret Theologus, quòd qualitercunq; salvet Logicus istam propositionem esse veram, saltem non est oratio sacramentalis ut vera, sed ut tale signum sensibile præcedens forte tempore, & ad minùs naturaliter suam veritatem, sicut dispositio continua præcedit ultimum instans & conditionem cujuscunq; in ultimo instanti, causa etiam præcedit conditionem causati. Etsi quæras tunc qualis aut ut vera aut falsa est propositio conversiva?* (consecrativa) *Dico, quòd neq; sic, neq; sic, sed tantùm ut est propositio neutra & prior naturaliter & fortè tempore sua veritate, ista autem prioritas fundatur sic, quia omne fundamentum est priùs naturaliter relatione suâ accidentali.*

QUÆSTIO V.

An una Propositio sit verior altera?

Dupliciter Veritas considerari potest, vel secundùm ipsam formalitatem seu ipsius conformitatem, vel pro concomitantib⁹ ipsam, videlicet *necessitatem, contingentiam* majorem vel minorem perfectionem entitativam, & secundùm hanc considerationem nulla est difficultas, quin una possit esse verior alterâ, nam hæc *Deus existit* est magis necessaria & vera, quàm ista *Petrus existit*, & quælibet cognitio Angeli in entitate est perfectior quàm hominis. Quæstio ergò procedit de veritate in primâ consideratione tàm quòad extensionem seu in ordine ad numerum prædicatorum, quàm quòad intensionem, ita quòd actus repræsentet prout est repræsentabile, an videlicet sic possit una propositio esse verior alterâ. Circa quam materiam duplex est sententia: Una est negativa, altera affirmativa, cum quâ ad quæstionem

Distinguitur potest in denarium non negatur.

II. *Possibile una propositio verior altera.*

Dico: *Tàm falsitas quàm veritas formaliter sumptæ magis & minùs extensivè & intensivè suscipere possunt rationem extremorum.*. Hæc est Mastrii, & secunda pars est Contra Arriagam, Amicum, Oviedo, qui primam tamen concedunt.

Probatur ergò de falsitate, quia falsiùs est dicere, quòd homo sit lapis, quàm quòd homo sit equus, quia prima removet ab homine & rationalitatem & animalitatem, secunda verò solam rationalitatem, ergò prima majorem habet difformitatem quàm altera, consequentèr est falsior, quod Confirmatur ex Aristotele 4. Met. 4. ubi dicit non eodem modo errare eum, qui putat quatuor esse decem quàm qui centum.

Dices:

III. Dices: Falsitas formalitèr consistit in recessu à veritate, sed quælibet falsitas recedit à veritate, ergò quælibet propositio falsa erit æqualitèr falsa. R. negando ma. quia ut supra dixi falsitas formalitèr dicit relationem difformitatis ad objectum, non solùm autèm carentiam veritatis, ideòq; juxta hanc relationem potest esse actus magis vel minùs difformis objecto sicut unum album potest esse magis vel minùs dissimile alteri albo.

IV. Probatur Conclusio etiam de Veritate quòad intensionem: Similitudo suscipit magis & minùs, extrema enim quæ sunt alba, ut octo sunt magis sibi similia quàm extrema, quorum unum est album ut quatuor, & alterum album ut octo, ergò potest suscipere magis & minùs, consequentèr una propositio erit verior alterâ. Confirmatur: Quia una propositio potest esse conformior illi objecto de quo est, quàm altera, ergò potest esse verior quàm altera, cùm veritas sit conformitas: probatur ant. quia possunt dividuæ propositiones quarum una clarè distinctèq; repræsentet objectum sicuti est repræsentabile, altera verò obscurè, & non sicuti est repræsentabile, sed illa quæ distinctè & clarè repræsentat, erit magis conformis quàm altera, quæ tantùm repræsentat obscurè.

Probatur etiam de extensione: Seu quòad numerum prædicatorum: Quia si aliquod objectum in se habeat plura prædicata, & actus unus repræsentet tantùm unum prædicatum, alter verò omnia, certum est, quòd tunc is erit conformior objecto, qui omnia repræsentat, quàm qui unum tantùm, ergò. Sed

V. Arguitur, Conformitas cujusq; actûs consistit in eo, quòd existat totum quod per actum repræsentatur, ergò eò ipsò quòd existat totum, quod per actum repræsentatur, actus habebit summam conformitatem, quam habere potest quicunque actus. R. negando consequentiam, quamvis enim actus habeat conformitatem cum objecto, quod per actum repræsentatur, potest tamen plus esse quod per actum repræsentatur, & consequentèr actus ille, qui totum repræsentabit, quod est in objecto, erit conformior, quàm ille, qui non repræsentabit totum, sic actus quò cognosco hominem esse animal rationale, est conformior objecto, quàm actus quò cognosco illum esse animal.

Instatur: Si ego dicam ad Petrum esse beatum, tu verò dicas Divos Petrum & Paulum esse beatos, uterque actus æque conformis est objecto suo, licèt tuus conformetur pluribus, ergò actus ex eo quòd plura repræsentet non est magis verus. R. dist. consequens ex eo, quòd plura repræsentet, quæ se tenent ex parte ejusdem objecti, nego consequentiam, qui se tenent ex parte diversorum objectorum, concedo consequentiam. In præsenti autèm casu illa plura repræsentatum, se tenent ex parte ejusdem objecti, nam beatitudo D. Pauli non tenet se ex parte beatitudinis Divi Petri.

Et quamvis hæc doctrina bona sit, mihi tamen non videtur sufficientèr convincere intentum scilicet, quòd una propositio pro formali ratione veritatis sit verior alterâ, nam argumenta tantùm procedunt de objectis, & sic tantùm pro fundamentali veritate, unde existimo ad titulum quæstionis Respondendum cum distinctione: Unam propositionem nec esse veriorem, nec falsiorem alterâ pro formali, benè tamen pro fundamentali, & hoc posterius patet ex probationibus datis; prius verò sic demonstro: Omnis propositio, vel est conformis suo objecto, vel non est, si non, ergò est absolutè falsa, si sic, ergò est absolutè & totalitèr vera; probatur hæc consequentia, conformitas veritatis est relatio, sed omnis relatio est indivisibilis intrinsecè & formalitèr, ergò etiam ista, & consequentèr una non est verior quàm altera.

QUÆSTIO VI.

Utrum eadem propositio possit transire de verâ in falsam?

I. *Sensus quæstionis proponitur.*

Notandum 1. Antequam quidquam resolvam, sermonem in hâc quæstione non esse de propositione vocali, quia cùm hæc sit essentialitèr transiens, & statim ut profertur transit, ideò eadem manens non potest esse simul vera, & simul vel successivè falsa, nec est sermo de propositionibus necessariis, quæ circa Deum aut essentias rerum, vel alia hujusmodi versantur, quia cùm harum propositionum objecta sint immutabilia & invariabilia, etiam propositiones, quæ circa illa versantur, sunt immutabiles, quia propositionum veritas & necessitas ex veritate & necessitate objecti desumitur, adeòque nec veritas mutari potest; nec deniq; est sermo de propositionibus impossibilibus propter necessariam repugnantiam terminorum, adeòque nunquam veræ fieri possunt, sed necessariò semper falsæ manent. Quare controversia solummodò est de propositionibus in materiâ contingente, in quâ difficultate omninò liberi sunt illi, qui asserunt veritatem & falsitatem esse de essentiâ propositionis, nam si veritas est de essentiâ ejus, non plùs mutari potest in falsam, quàm quòd homo mutetur in equum, vel leonem, aut philomelam, sed quia supra cum communiori docui veritatem & falsitatem nequaquam ad essentiam pertinere, ideò hic nodus quoq; mihi soluendus est, pro quo

II. *Triplicitèr potest considerari propositio contingens.*

Notandum 2. Propositionem aliquam de contingenti triplicitèr spectari posse, & considerari. Hanc verbi gratiâ, *Petrus currit*, vel ut significet eum currere pro toto aliquo, quod mente, vel horâ, vel ut denotetur quòd solùm currat pro aliquâ parte illius quadrantis, vel horæ indeterminatè, vel denique ut significet eum currere in primâ, vel ultimâ parte illius quadrantis, vel horæ, & hoc explicitè exprimi potest dicendo: *Petrus currit in hoc instanti*, aut planè omitti & relinqui sine omni determinatione, ut si illa particula *in hoc instanti* non apponatur. Circa quam materiam duplex est sententia è diametro sibi oppositæ: Prima asserit eandem propositionem contingentem, sive illa determinet sibi aliquod certum instans, vel tempus sive non, nequaquam posse transire

transire de verâ in falsam. Ita Aversa, Smising, Cavellus, Pontius, Hurtadus, Arriaga, Comptonius. Secunda è contra affirmat eandem numero propositionem posse transire & mutari de verâ in falsam. Ita Mastrius & Bellutus, Suarez, Amicus, Rubius &c. Quia tamen sententia negans conformior est addicta q. 4. ideò

III. *Eadem potuit esse vera, vel falsa.*

Dico 1. *Propositio contingens de præterito, vel de præsenti eadem numero manens ab initio potuit esse vera vel falsa.* Hæc est communis in re.

Probatur: Si aliqua propositio esset, quæ non potuisset fieri vera vel falsa, maximè esset illa, quę est de præterito, sed propositio de præterito adhuc est contingens; ergò etiam de verâ falsa fieri potuerat, probatur ma. quia nulla alia est quæ haberet majorem connexionem ad immutabilitatem, absolutè enim fieri nequit, ut illud quod dicitur præteritum quod non fuerit; probatur mi. quia hæc est differentia inter propositionem necessariam & contingentem, quòd illa ita ex naturâ vera sit, ut nullo modo fieri falsa possit, & è contra, hæc verò quod sit indifferens ad veritatem & falsitatem, ergò.

IV. *De præsenti non potest transire de verâ in falsam.*

Dico 2. *Propositio contingens de præsenti quæ sibi certum tempus non determinat, non potest transire de verâ in falsam.* Hæc est Authorum primæ sententiæ &

Probatur cum Pontio, quia quando aliquis affirmat, quòd Petrus currat vel intelligit, quòd currat pro toto aliquo determinato tempore, vel intelligit quòd currat, pro aliquâ parte, determinati temporis indeterminatè, videlicet pro primâ parte, vel ultimâ aut mediâ horæ vel instantis, sed quocunq; modo intelligit, nunquam potest fieri, ut propositio, quæ semel fuit vera, sit falsa aut è contra; ergò major patet, quia necessariò uno ex illis duobus modis propositionem illam intelligere debet. Probatur mi. quia si intelligit quòd currat, pro toto aliquo tempore, & ille currat, illo tempore propositio necessariò erit vera; quòd si verò non currat, toto illo tempore propositio necessariò erit falsa, quamvis curreret pro parte illius temporis: Quòd si verò intelligit, Petrum currere pro aliquâ parte determinati temporis indeterminatè, si pro aliquâ parte istius temporis currat, propositio erit vera, sive pro aliis partibus currat, sive non, si autèm pro nullâ parte curreret, propositio erit necessariò falsa. Confirmatur hoc primo, si aliquis diceret: Aliquis canis latrat, si aliquis unus tantum ex omnibus omninò canibus latraret, propositio esset vera, quia ut vera sit, sufficit unius tantùm canis latratus, quia indeterminatè eum significat, nec magis unum quàm alium canem petit præsentare, si verò nullus latraret, propositio esset falsa; ergò eodem modo, si Petrus pro aliquâ parte tantùm curreret, jam esset vera propositio, si verò pro nulla, falsa, quia quemadmodum se habet latratus canis respectu omnium individuorum speciei caninæ, ita se habet Petri cursus respectu diversarum temporis differentiarum, unde sicuti si unus tantùm canis latraret, propositio esset vera, ita si Petrus pro unâ tantùm parte curreret, propositio erit vera. Confirmatur secundò: Quia actus, qui determinat intellectum ad cognoscendum, quòd aliquis sedeat in loco *A.* non potest determinare illum quòd sedeat in loco *B.* ergò actus quo determinatur intellectus, ad cognoscendum quòd Petrus currat in uno tempore, non potest determinare me, vel quemcunq; alium, ad cognoscendum, quòd currat in alio tempore, sed hoc esset falsum in sententiâ oppositâ; ergò. Sed Pro Contra sententiâ

Arguitur In contra. Omne accidens V. est separabile à subjecto, sed veritas est accidens; ergò est separabilis à subjecto & consequentèr, quæ vera est, falsa fieri potest: patet ma. probatur mi. quia eadem propositio, quæ modò vera est, falsa esse potuit; ergò. Sed R. distinguendo ma. Omne accidens est separabile à subjecto, specificativè loquendo concedo ma. reduplicativè, nego ma. & concessâ mi. distinguo similitèr consequens. Itaq; licèt veritas sit accidens, propositionis & consequentèr ab eâ separabilis, in quantum scilicet poterat non inesse, tamen non est separabilis ab eâ, supponendo quòd habeat actualem unionem cum subjecto

Instatur. Potest idem accidens materiale, verbi gratiâ, albedo non obstante, quòd actualitèr insit parieti, verbi gratiâ, separari ab eo; ergò etiam eadem veritas, quæ modo inest propositioni separari ab eâ & consequentèr actualis, unio non facit, quò minus de verâ in falsam transire possit, patet ant. quia si mutaretur paries, vel destrueretur, etiam desineret esse ibi albedo. Probatur prima consequentia, quia potest sic etiam subjectum mutari; ergò. probatur ant. quia si ponatur casus, quod Petrus currat, idq; mente teneatur & continuetur, per quadrantem horæ ubi jam Petrus cessavit, ille actus tunc erit falsus, quia jam est mutatum objectum; ergò. Sed R. negando consequentiam & paritatem, quia aliud est esse Physicè, aliud Physicum esse alicujus, intentionalitèr significare veluti imago & similitudo, unde si benè attendatur, argumentum facit pro conclusione, nam sicut verum est, quod albedo quæ inest, vel infuit parieti, nullatenus potest fieri ut non insit, vel infuerit pro illo tempore, quo inest aut infuit, ita etiam est de propositione, quæ non significat aliquid inesse quomodocunq;, sed cum verbo quod verbum secundùm Aristotelem significat semper aliquam certam temporis differentiam, hinc nego ant. & ad ejus probationem dico, tunc non esse amplius idem objectum sed aliud, scilicet Petrus sedens vel stans, vel potius principaliori solutioni inhærendo dic actum illum non futurum falsum, quia significat Petrum currere, pro illo instante & tempore quo currebat, etsi tunc fuit verus, semper manebit verus, quia non significabit aliam temporis differentiam.

Urgetur. Propositio, verbi gratiâ, quæ dicit, quòd Petrus currat in primâ parte temporis determinati, si continuetur non potest repræsentare illam primam partem; ergò non manebit vera nec significabit illam primam partem, probatur ant. quia si significaret illam primam partem, eadem propositio esset de præsenti

præsenti & de præterito & eadem propositio quæ diceret: *Petrus currit*, diceret postea: *Petrus cucurrit*, quod est absurdum, ergò. R. negando ant. cujus probationem dist. esset de præsenti & de præterito per se nego ant. per accidens transeat, nec in hoc nulla est inconvenientia. Unde per accidens est Verbo, ut quod repræsentat, sit præteritum, quia ipsi & per ipsum propositioni intrinsecum & essentiale tantùm est repræsentare cursum unitum Petrum pro illo tempore, quo fuit unitus, quod tempus, quia præteritum est, per accidens est ad propositionem significantem actualem unionem, quæ pro illa temporis differentia infuit.

Replicatur. In hâc propositione: *Modò incipio loqui*, per se dicitur tempus præsens & præteritum; ergò nulla solutio: probatur ant, quia ipsum verbum est præsentis temporis & significat illud quod jam transiit, scilicet prolationem dictionis ly *modò*; ergò per se dicit tempus præsens & præteritum. R. negando ant. cum probationis consequentiâ. Quia illud verbum, vel denotat, quòd incipiat quis loqui pro illo instanti, quo profert tò *modò*, vel pro tempore, quo totam propositionem profert, si primum, semper erit vera & pro illo instanti significabit, si secundum, tunc semper erit falsa etiam in primo instanti, qui tunc etiam significabit, quòd incipiat loqui pro tota propositione proferenda, quod tamen falsum est, qui actum profert tò *loqui* non incipit, sed finit. Et per has responsiones solvi possunt plura alia argumenta, quæ ad idem coincidunt, ut si Judæus quadrante ante Nativitatem Christi nascetur dixisset: Meschias continuando illam propositionem per mediam horam, quòd tunc in primo quadrante erat vera, in posteriori falsa, similitèr si quis post mediam noctem evigilans diceret: *media nocte orietur luna &c.* quia istæ & omnes similes propositiones simplicitèr veræ sunt, & tales manent, quia tàm prima quàm secunda dicit: quòd hoc & illud fiet, pro illo instanti pro quo futurum est, & sic etiam posito effectu adhuc manet semper vera, quia non significat aliud tempus, vel instans, & hoc claro exemplificatur exemplo, de eo qui iter nonnullum navi conficit in Oceano, vel Flavio, dicatque nautis, ut unum tantùm milliare conficiant pro principio, ita ut eo confecto jaceant anchoram, qui si obdormiat & procellæ, vel ventorum vis navim portent contra voluntatem Nautarum ad tria milliaria, qui experge factus & ignorans, quid eis acciderit, diceret hîc sumus uno milliari ab illo & illo loco, verbi gratiâ, ab Ancona, propositio illa vera est, quia reverà non est plus inter terminos illos intentionales quos apprehendit, nam non dicit in quocunq; loco esse unum milliare ab Ancona, sed ab illo loco, in quo putat se esse, nam si primum assereret & falsum & stultum esset. Sed

Dico 3. *Propositio quæ sibi determinat certum aliquod instans ad significandum, non potest transire de vera in in falsam.* Hæc Conclusio quoq; est probabilis, quod sic ostendo. Implicat quòd semel pro aliquo instanti determinato existit aut extiturum est pro illo non existere, aliàs simul existeret & non existeret quod implicat pro eodem instanti, ergò implicat, quòd Propositio hæc, verbi gratiâ, *Petrus currit pro instanti A*, quæ semel fuit vera, immutari possit in falsam, aut è contra; patet consequentia, quia repugnat mutari de vera in falsam sine objecti mutatione, hæc autèm est impossibilis pro instanti determinato, quia idem objectum pro eodem instanti determinato nequit esse & non esse simul; ergò nec propositio mutari potest.

Dices: Propositio quæ dicit: *Petrus currit pro in Instanti A*, scilicet & cursum esse conjunctum cum Petro pro illo instanti, & etiam illud instans esse coëxistens propositioni; unde licèt semper repræsentet cursum esse conjunctum cum Petro in illo instanti, pro quo etiam fuit vera, nihilominus in sequente instanti est falsa, quia illud instans non conjungitur propositioni in secundo instante, quod tamen affirmat propositio. R. quod eodem modo sit loquendum de conjunctione cursus cum Petro, ac de conjunctione instantis cum propositione, unde sicut prima conjunctio non dicit aliam quàm pro illo instante præcisè, ita etiam propositio dicit tantùm illud solùm instans *A* esse sibi conjunctum, & tunc duret propositio, quàm diu velit semper erit vera, quia aliud non dicit, quam quòd illud instans sibi pro primo instante coëxistat, quod semper verum est, & Deus videt ita semper esse, nempe instans illud propositioni huic coëxistere pro illo instanti, quo primo eliciebatur & sic semper erit vera, quia semper erit conformis objecto. Quando autèm contra hanc, vel præcedentem Conclusionem objicitur authoritas Aristotelis, vel Doctoris subtilis respondendum est, quòd utriusq; mens fuerit dubia, nam quando Aristotelis in cap. de Substantia & 9. Met. l. 22. dicit: quòd *eadem oratio falsa vera esse videtur*, expressè dubitantis in modum loquitur; unde non dicit, quòd transeat de vera in falsam; sed apparere hoc, quare potius tales dicendi sunt falli pro illo tempore alio, quàm quòd propositio mutetur, nam ut ipse Aristoteles ait ibidem, si quispiam quempiam opinatur sedere si surgat, ille falsò opinabitur &c. Sed

VII.

Quæres: An unus idemq; numero actus possit esse simul verus & simul falsus? R. affirmativè respectu diversorum objectorum, negativè respectu unius ejusdemq; objecti. Patet secunda pars ex dictis supra, quia implicat quòd idem objectum sit & non sit pro eodem instante & tempore; ergò etiam implicat etiam quòd idem actus sit conformis & difformis pro eodem instanti; quare probatur prima pars. Falsitas & veritas alicujus propositionis desumitur & est conformitas, vel difformitas cum objecto, sed potest aliquis actus propositionis esse simul conformis & difformis objecto; ergò poterit etiam esse simul verus & falsus, probatur mi. Potest idem actus quasi disparatè ferri in duo, vel plura objecta hoc modo, quòd unum sit conforme, alterum difforme, verbi gratiâ, *Petrus currit & Paulus loquitur*, sed si Petrus sedeat & Paulus loquatur erit conformis & difformis simul; ergò etiam actus simul verus & simul falsus. Sed

VIII.

Idem actus potest esse simul verus & falsus.

IX. Dices: Conformitas consistit in indivisibili; ergò si actus est conformis, non potest esse difformis, quia tunc jam divideretur in plura. R. dist. consequens non potest esse conformis respectu ejusdem objecti concedo, respectu diversorum, nego consequentiam. Itaq; hic actus, quia diversimodè fertur in illa duo objecta disparata propter diversitatem tendendi, potest esse simul conformis uni & difformis alteri, & hoc non involvere aliquid implicatorium, patet inde, quia eadem quantitas ulnaris est æqualis alteri quantitati ulnari, & inæqualis palmo ac decem ulnarum, cum tamen etiam æqualitas consistat in indivisibili, sic ergò unum & idem respectu diversorum potest esse æquale & inæquale, ita eadem propositio respectu diversorum potest esse conformis & difformis.

QUÆSTIO VII.

Utrum Propositio de futuro contingente sit determinatè vera vel falsa?

I. Hæc quæstio non est absolutè juris Philosophorum, cùm involvat præscientiã Dei ad omnes actus causarum liberarum, quâ suppositâ tanquam infallibili & immutabili videtur periclitari humana libertas, pro quâ salvanda & tuenda cum præsentia, & decretis divinis non modò Theologi, sed & Sancti Patres gravissimè desudant, quibus proinde videtur relinquenda hujus difficultatis discussio, attamen quia Aristoteles de hac materia hîc egit, & quia propositiones in se etiam Logicè considerari possunt, non erit falcem mittere in messem alienam, si de ea cum communi hîc tractavero. Pro quâ materia dilucidanda

II. *Contingentia variè sumi potest.* Notandum primò: Contingens variè posse sumi, nam primò accipitur pro eo, quod rarò evenit, ut inventio thesauri ex fossione; secundò pro effectibus possibilibus frequentèr fieri solitis, ut hominem actualitèr ridere, sed in his acceptionib⁹ non facessit nobis negotium quæstio; tertiò sumitur contingens pro eo, quod ex se est indeterminatum ad esse & ad non esse, ad facere & non facere, & de tali contingente triplex formari potest propositio, una de præsenti, quando videlicet enuntiatur hoc determinato tempore prædicatum inesse subjecto; altera est de præterito cujus prædicatum enuntiatur fuisse in subjecto, pro tempore illo quod transiit, & has propositiones esse determinatè veras, vel determinatè falsas, dubium esse non potest, & earum contingentia in hoc consistit, quod antequam sint, vel fuerint poterant esse, vel non esse: tertia verò propositio est de futuro contingente, verbi gratiâ, Petrus ambulabit, Petrus studebit, cujus propositionis contingentia in hoc consistit, quòd possit esse, vel non esse antequam fiat, & etiam dum actu fit non necessariò, sed contingentèr fit

III. *Contingentia non habent determinatam veritatem ex suis terminis.* Notandum secundò: Futura contingentia non habere determinatam veritatem ex propriis terminis, quia alioquin non essent contingentia, sed necessaria sicut sunt propositiones æternæ veritatis, quæ tales sunt ex natura suorum terminorum, veritates verò de futuris contingentibus formatæ sunt omninò indeterminatæ & indifferentes, ita ut intellectus divinus virtute suæ essentiæ solùm moveatur sub disjunctione ad illas attingendas scilicet hoc fore, vel non fore, ut docet Scotus quodl. 14. determinata autèm veritas & scibilitas de existentia actuali, quam enuntiant de suis extremis cum omnibus circumstantiis determinatis, verbi gratiâ, finis, temporis, loci, &c. solùm eis convenire potest ab aliqua causa extrinseca conjungente, vel disjungente earum extrema, quæ causa in quantum non necessariò extrema illa conjungit, est præcisa ratio, ut prædictæ veritates contingentèr dicantur: hinc

IV. *Causa determinationis propositionis de futuro sunt.* Notandum tertiò: Causam à quâ determinantur propositiones contingentes ad suam determinatam veritatem sub duplici consideratione spectari posse. Primò sic, ut causa à quâ producitur aliquid, ita necessitetur ad ejus productionem, ut non possit non ponere suum effectum, sicut contingit in omnibus causis naturalibus. Secundò ita ut effectus ponatur infallibilitèr non tamen necessariò, quin oppositum fieri possit, & tales sunt propositiones contradictoriæ, verbi gratiâ, Petrus studebit, Petrus non studebit &c. quarum una erit infallibilitèr vera non tamen necessariò. Sed iterum

V. *Duplex necessitas.* Notandum quartò: Duplicem, prout huc spectat, posse considerari necessitatem, una vocatur antecedens, & altera vocatur consequens; necessitas antecedens est, quæ oritur ex aliquo tenente se ex parte actûs primi respectu actûs secundi, qui dicitur necessarius, seu necessitas, quæ oritur ex causa: necessitas consequens est, quæ non oritur ex aliquo præcedente neq; tenente se ex parte actûs primi, seu ex parte causæ, sed necessitas quæ oritur ex ipso actu secundo, seu ex ipsa actione ipsôve effectu, & hæc necessitas non opponitur cum libertate, quia hæc communis est cuicunq; actui quantumvis libero, quilibet enim actus liber ex suppositione, quòd sit, non potest non esse, & suppositâ illius existentiâ non potest non existere, juxta illud commune dictum: *omne quod est, quando est, necesse est esse*; necessitas verò antecedens liberum arbitrium destruit, quia non relinquit principium indifferens ad operandum & non operandum. Circa hanc materiam aliqui Antiqui Philosophi nomine Stoici, inter quos fuit Chrysippus, ut refert Cicero de fato, existimabant omnes effectus esse necessarios & nullos fieri contingentèr, hujus quoq; opinionis fuisse videtur Virgilius, ut patet ex I. Æneidos hoc versu:

Te tua fata trahunt ne cepta relinquere possis,

& Lucanus qui ait, quò tibi fervor abit, quò fiducia fati. Alii è contra contingentiam in rebus creatis asserebant, negabant tamen, quod Deus sit illorum præscius, seu quod illa cognosceret & hujus stultitiæ Patronus singularis fuit Marcus Tullius Cicero libro de natura Deorum & plures alii contra quos D. Augustinus 5. Civit. 5. invehitur dicens: *ut homines facerent liberos, fecerunt sacrilegos* & verè sic, quia ut suam servarent libertatem, negarunt omniscientiam Dei, quod revera impium est & sacrilegum.

Referuntur Auctores sententiæ.

legum. Et hujus Opinionis fuisse etiam multi Aristotelem inculpant, non ego tamen, quia quando negavit propositionibus de futuro contingenti determinatam veritatem per hoc tantùm voluit, quòd non haberent eam ante præscientiam Dei, ut infra dicam, seu quoad nos, aut quòd non naturâ suâ & intrinsecè necessariam habeant connexionem prædicati cum subjecto, non verò quòd non sint determinatè ab extrinseco, quatenus nempe ab æterno visa sunt futura vel non futura. Alii tandem Christianè & piè admittunt contingentiam in rerum futuritione, & Deum ipsum quoq; ea præcognoscere & eam præcognitionem tamen non officere contingentiæ & libertati humanæ, ita omnes Theologi & Philosophi Catholici, qui tamen inter se maximè alteriantur, quomodo ergò propositiones de futuro contingenti sint verè; in quâ materiâ duplex est Sententia prima & maximè communis, tàm Scotistarum quàm Neotericorum est, quòd sint determinatè veræ vel falsæ, pro quâ sententiâ non est opus citare aliquem Authorem eò, quòd integrum agmen congeri posset. Secunda sententia verò est, quòd propositiones de futuro contingenti ante prævisionem & præscientiam Dei, seu spectando eas independenter à divinâ cognitione, quòd nec sint determinatè veræ, nec determinatè falsæ, sed tantùm quòd sint indeterminatè tales, post cognitionem verò divinam, seu dependenter à præscientia Dei, tunc sunt determinatè veræ, vel determinatè falsæ. Ita Aureolus, Ambros. Catherinus, Ægidius Rom. Joan. Capreolus, Joan. Bassolus, Toletus, Masius & plures alii, quos citat in margine Baro & sequitur ac præclarè defendit eam à censurâ contrariæ sententiæ, quasi esset hoc contra bonos mores, aut determinatione Pontificum demonstrans signanter Sixtum quartum nequaquàm eam damnare cum assistentia Spiritus Sancti non sit, ad determinandas difficultates Logicas, qualis est purè sententia ista, quæ propositiones in se ipsis præcisè considerat, non verò prout subsunt cognitioni & præscientiæ Dei, & hanc sententiam utpote subtilem & ingeniosam amplectar etiam, Interim

VI. Ita propositiones de futuro contingenti sunt determinatè veræ vel falsæ.

DICO 1. *Si Propositiones de futuro contingenti hæ & similes, AntiChristus est futurus, Iudas est peccaturus, Petrus est fleturus, spectentur in rigore secundùm voces simpliciter erunt falsæ.* Hanc non deprehendi sic propositam. Eam tamen sic probo: Illæ propositiones simpliciter dicendæ sunt falsæ, quæ se invicem destruunt, sed istæ propositiones seipsas destruunt; ergò si in rigore spectentur non erunt veræ, sed absolutè falsæ: probatur mi. Illæ se destruunt quorum aliquid affirmatur & etiam simul negatur, sed in istis propositionibus unum affirmatur & etiam negatur; ergò probatur mi. quia particula *Est* affirmat aliquid de præsenti & particula *futurus* negat illud; ergò unum affirmatur & etiam alterum negatur: probatur mi. quoad secundam partem, quia futurum dicit existentiam in tempore sequente aliquo connotando negationem ejus in instanti præsenti; ergò ly *futurus* negat, quod particula *Est* affirmabat & sic in rigore si spectentur voces, propositiones illæ erunt falsæ. Confirmatur ex D. Augustino, qui ait: Nonnisi abusivè dicuntur tria tempora, cum verè nullum sit propriè nisi præsens, præteritum autem fuit, futurum erit; ergò si futurum non *est*, sed *erit*, non poterit secundùm rigorem dici, quòd illæ sint veræ. Quare tales propositiones melius sic exprimuntur, AntiChristum futurum, Judam peccaturum, Petrum fleturum, quàm esse futurum, fleturum, peccaturum. Per hanc Conclusionem tamen non intendo, nec possum tollere communem loquendi modum, & universalem receptionem, quâ pro eodem significando accipiuntur.

VII. *Deus ab æterno præcognoscit contingentia.*

DICO 2. *Deus præcognoscit ab æterno omnia necessaria, & contingentia futura.* Hæc est, communis omnium Philosophorum, & Theologorum contra aliquos Gentiles Philosophos. Et Probatur ex Sacra Scriptura, nam Ecclesiastici 23. dicitur: *Domino Deo antequam creantur, cognita sunt omnia.* Et Sap. 8. *Signa & monstra scit antequam fiant, & eventus futurorum temporum,* & Psal. 139. *Intellexisti cogitationes meas de longè* (id est antequam fierent) *& omnes vias meas prævidisti*; ergò.

Probatur etiam ratione. Omnis perfectio non involuens implicantiam, infinitas essentiæ divinæ sibi identificat, sed cognoscere omnia, necessaria & contingentia, futura est perfectio, sine imperfectione; ergò Deo concedenda est, patet major & minor consequentia ergò est optima.

VIII. *Propositiones necessariæ habent determinatam veritatem.*

DICO 3. *Propositiones necessariæ, habent suam aliquam veritatem, independenter ad actum divini intellectûs.* Hanc quoq; non reperi ullibi, puto tamen, quod probabiliter sustineri possit, quod sic ostendo, & probo. Secundùm probabilem sententiam, essentiæ creaturarum, & ipsæ creaturæ habent, esse aliquod diminutum, ab æterno antecedenter, ad actum divini intellectus; ergò etiam habent determinatam aliquam veritatem, probatur consequentia, (antecedens suppono, nunc de quo ex proposito, in Metaphysica.) Quia veritas sequitur necessariò essentiam; ergò si habent creaturæ esse, habent etiam veritatem aliquam determinatam, probatur ant. quia veritas est proprietas entis, sed proprietas necessariò sequitur; ergò.

IX. *Seclusâ Dei scientiâ propositiones non sunt determinatè veræ.*

DICO 4. *Propositiones de futuro contingente, secundum se spectatæ, secludendo scientiam Dei, non sunt ex objectu suis determinatè veræ, nec determinatè falsæ.* Hæc est contra plurimos Scotistas, est tamen ipsius Scoti 1. d. 39. q. un. & Aristotelis 1. Perih. ult. & aliorum, pro secunda sententia citatorum, &

Probatur Conclusio primò. Ex his duabus propositionibus, *Antichristus peccabit*, *Antichristus non peccabit*, prima ex se non est determinatè vera ex suo objecto; ergò nulla propter omnimodam paritatem, de una ac de alia, probatur ant. Nulla veritas potest dari prior illâ, quæ est de præsenti, sed si veritas de futuro daretur, esset prior illa de præsenti; ergò non datur, probatur ma. si daretur veritas, de peccato Antichristi, prior ipso peccato, seu veritate de existentia ejus, tunc ejus peccatum, non esset peccatum, sed hoc implicat; ergò. Probatur sequela ma. quia ille actus, non esset

liber, sed nullum est peccatum, nisi sit liberum; ergò. Probatur ma. quia antequam Antechristus peccatū poneret esse determinatus ad illud ponendum, sed hoc destruit libertatem; ergò. Probatur ma. actus est determinatus ad essendum; ergò causa est determinata, ad eum ponendum, quia sicut actus non est à se, sed à causa; ita non potest esse determinatus, nisi sit etiam determinata causa ad eum ponendum.

X. Dices: Antichristum liberè peccaturum & non necessariò, quia non necessitabitur necessitate antecedente, sed subsequente, quæ nullo modo destruit libertatem. Sed Contra tunc non dicitur, tolli libertas per determinationem aliquam, quando hæc per ipsum agentem posita est, sed hìc non esset posita determinatio per agentem; ergò. Probatur mi. quia Antichristus non potest se determinare nisi in actu secundo, sive per actum secundum & aliquam actionem; ergò determinatio, quæ præcedit actionem non est ab ipso Antichristo, probatur ant. quia non potest exercere libertatem nisi sic, nam actus primus ipsius potentiæ, non est liber in essendo, sed in agendo tantùm, sed hæc determinatio quoad futurum, præcedit actum secundum, quia futuritio præcedit existentiam, adeoq; determinatio ad futurum, præcedit determinationem ad existentiam.

XI. Probatur Conclusio secundò. Secundùm Scotum & Scotistas, communiter in electione positiva Salvandorum & reprobatione negativâ damnandorum dantur plura instantia, ita quòd fortè in electione antecedant quinq;, vel sex instantia, sed Propositio quæ dicit, Petrus salvabitur in tertio, quarto, & quinto instante, nec est determinatè vera, nec determinatè falsa; ergò propositio de futuro contingenti, si secundùm se consideretur, seclusâ scientiâ Dei, nec est determinatè vera, nec determinatè falsa, probatur mi. non est determinate falsa, quia Sanctus Petrus consecutus est gloriam, nec etiam est determinatè vera, quia non potest illa gloria, acquiri nisi Deo volente, nam cum consistat in visione & fruitione, quæ haberi non potest nisi concurrente & præbente se objecto, quod vocatur speculum voluntarium, quia se manifestat cui vult & in quantum, ac quando vult; ergò non poterit esse determinatè vera, quia tunc nulla adhuc concipitur causa, quæ eam sic determinaret & consequentèr, ex his duabus propositionibus contradictoriis, Petrus consequetur gloriam, Petrus non consequetur gloriam antecedentèr, ad Dei scientiam nulla erit determinatè vera.

XII. Probatur Conclusio tertiò. Antequam decrevit Deus quòd velit creare mundum, non fuit determinatè vera, nec determinatè falsa; ergò propositiones de futuro contingente, præscindendo à decreto libero Dei ejusq; præscientiâ, non sunt determinatè veræ, nec determinatè falsæ. Probatur ant. non fuit determinatè falsa, quia alioquin non esset productus, nec fuit determinatè vera, quod sic probo: Nulla creatura potest de non esse transire ad esse determinatum, sine voluntate entis increati, quia alioquin transiret à se, quod implicat, quia sic haberet illud necessariò, ita quòd illud amittere non posset, idque independentèr ab omni alio; ergò ante illud decretum non erit determinatè vera, si non determinatè vera, nec determinatè falsa; ergò Confirmatur Ratio & pono Casum, quòd Deus nondum sit determinatus ad producendum alium mundum, tunc sic ex istis duabus propositionibus, *Alius mundus erit*, *alius mundus non erit*, nulla earum est determinatè vera, nec determinatè falsa; Non falsa, quod sic probo; veritas sequitur esse rei & falsitas non esse, sed mundus alius non habet determinatum non esse; ergò nec determinatam falsitatem, probatur mi. quia non potest aliquid habere, determinatum non esse, nisi aliqua causa externa circa eam jam sic determinasset, sed nulla causa sic circa alium mundum determinavit, quia suppono, quòd nihil Deus circa ejus existentiam disposuerit, nec etiam illud non esse potest habere à se, quia ex se est indifferens ad esse, & ad non esse; ergò non determinatè erit falsa, & consequentèr altera, nec determinatè vera. Sed

Arguitur In Contra, ex his duabus XIII propositionibus: *Antichristus erit*, *Antichristus non erit*, una aut est falsa, aut est vera, si prima vera; ergò falsa secunda; si verò prima falsa, ergò vera secunda, quia est contradictoria ejus. Probatur ant. primum, quia illæ duæ propositiones non possunt esse simul veræ, & simul falsæ; ergò vel erit falsa, vel erit vera, quia inter contradictoria non datur medium, de quolibet enim est verum dicere, quòd sit vel non sit, nec potest dici, quod nec esse possit, nec esse non possit, quia contradictoriæ propositiones nequeunt esse simul veræ, vel simul falsæ; ergò. Et hoc est præcipuum argumentum pro Contrariâ sententiâ, ad quod respondeo distinguendo primum ant. una aut est vera, aut est falsa determinatè, nego ant. indeterminatè concedo ant. ad cujus probationis ant. concesso nego consequentiam. Itaq; licèt verum sit, ad contradictoria non dari medium, sufficit tamen ad ea salvanda una, vel altera veritas scilicet vel determinata vel indeterminata, quia quod etiam indeterminatè inest in re verè de ipsa prædicatur, quod inde vel maximè patet, quòd multæ dentur propositiones, quæ aliter salvari non possunt, quia non faciunt alium sensum, ut sunt illæ: Aliquis oculus est necessarius ad videndum, aliquis equus necessarius ad equitandum, &c. quæ non habent determinatam veritatem de hoc oculo, & de illo oculo, sed vel de hoc vel de illo aut de isto, cum disjunctione, ita ut neuter sit determinatè necessarius.

XIV. Confirmatur Dicitur determinatè vera vel falsa.

Instatur. Si propositio illa *Antichristus erit*, non est determinatè vera vel falsa, sed tantùm indeterminatè, sequeretur quòd propositio negativa ista, *Antichristus non erit*, non contradiceret ei, sed hoc est manifestè falsum; ergò. Probatur sequela, quia una non negaret, quod altera affirmat, sed potius utraque idem dicunt scilicet rem esse suspensam inter esse & non esse, & differunt tantùm penes modum, incipiendi contradictionem ab uno extremo

tremo potius, quàm ab alio, quia idem est dicere, Antichristus erit, Antichristus non erit, ac Antichristus non erit, Antichristus erit. R. negando sequelam ma. cum suâ probatione, quia licèt non sint determinatè veræ vel falsæ, per hoc tamen non deducitur, quòd idem dicant, quia reverà affirmativa tantùmmodò affirmat, & negativa tantummodò negat idq; determinatè hoc significat, aliud tamen postmodùm est determinatè significare aliud esse determinatè veram, ideò enim oritur, quòd non sit determinatè vera, quia nimis determinatè illud affirmatur.

Urgetur. Si propositiones illæ contradictoriæ significant determinatè; ergò esse aut non esse rei erit determinatum, & non tantùm indeterminatum. R. 1. Negando sequelam, quia lex contradictoriarum non est, ut una sit vera & altera falsa, sed quòd si una est vera, altera debeat esse falsa. R. 2. negando sequelam & suppositum, videlicet illas duas propositiones non esse propriè contradictorias, quod explico ex Barone, & cum eo exhibendo alias propositiones similes, quia istæ, Petrus est determinatus ad esse, Petrus est determinatus ad non esse, non sunt contradictoriæ, quia Petrus intelligi potest in statu medio, scilicet ut neq; sit determinatus ad hoc neq; determinatus ad illud, sed illæ superiores eodem modo se habent; ergò, unde TÒ non esse accipitur, magis infinitantèr quam negativè, quia nimirum est terminus positivæ determinationis, seu actionis causæ efficientis; ut autèm sint perfectè contradictoriæ sic ordinari debent, Petrus est determinatus ad esse, Petrus non est determinatus ad esse, & eodem modo non contradicunt sibi, Antichristus determinatè erit, Antichristus determinatè non erit, sed per hanc, Antichristus non determinatè erit, ex quibus patet, quòd licèt sint veræ vel falsæ, non tamen quòd determinatè sint veræ vel falsæ. Quæ omnia si bene prænotata fuerint, valebunt ad multas alias difficultates dissolvendas, quæ contra conclusionem obiici possunt. Hinc

XIV. Ex scientiâ Dei sunt determinatè veræ vel falsæ.

Dico 5. *Propositiones de futuro contingente præsuppositâ scientia Dei, determinatè sunt veræ vel falsæ.* Hæc est communis in Scholis & maximè consona ad fidem, & decreta Pontificum, nec contradicit priori, quia illa loquebatur de propositionibus de futuro contingente præscindendo à scientiâ & decreto divino.

Et Probatur Conclusio: Illa propositio est determinatè vera, quæ est determinatè conformis objecto & illa est determinatè falsa, quæ est difformis objecto, sed altera pars contradictionis est determinatè conformis objecto, & altera difformis; ergò una determinatè vera, & altera determinatè falsa: major est certa. Probatur mi. Illa propositio est conformis objecto, quæ significat ita rem se habere sicuti in se est, illa verò difformis, quæ significat alitèr quàm est; ergò illa propositio est conformis objecto, quæ significat fore sicut erit objectum in se (supponemus modò rem futuram) & illa difformis, quæ significat aliter, tunc sic subsumo, sed propositio affirmativa significat rem futuram sicuti erit in se, & negativa negat; ergò illa determinatè erit vera, & altera falsa.

Dices: Neutram harum propositionum esse determinatè veram vel falsam, sed utramq; esse indeterminatè vel veram vel falsam. Contra hæc propositio Petro peccante hodie prolata, *Petrus peccat* est determinatè vera; ergò heri prolata ista propositio *Petrus peccabit*, erat determinatè vera ant. nemo negabit. Probatur consequentia, nam juxta communem regulam implicat propositionem de inesse esse veram, quin propositio de præterito, vel futuro sit vera, verbi gratiâ, implicat hanc esse veram, *Petrus loquitur*, esse veram, quin fuerit aliquando verum, *Petrus loquitur*, & sit aliquando verum, *Petrus est locutus*. Confirmatur hæc propositio jam determinatè vera est, *Christus natus est*; ergò hæc fuit aliquando vera, Christus nascetur, probatur consequentia, quia ideò illa est vera, quia hæc aliquando fuit vera Christus nascetur. XV.

Probatur Conclusio secundò. Propositiones fidei de futuro contingenti sunt, determinatè veræ; ergò & aliæ à paritate. Probatur ant. hæ sunt determinatè veræ, Antichristus nascetur, dies Judicii erit, quia si non essent determinatè veræ, nemo teneretur illis credere determinatè, quia non teneor nisi determinato vero credere. Imo ex oppositâ sententiâ sequeretur, quòd possem sine jactura fidei, tàm benè propositioni huic assentiri, Resurrectio non erit, vel dies judicii, quàm huic, dies judicii & resurrectio erit, quia sicut in hac dies judicii erit, secundum Adversarios non est determinata veritas, ita nec in illa dies judicii non erit, est determinata falsitas; ergò sicut assentiendo huic non magis assentior vero quàm falso, quia non magis in ea est determinata veritas quàm falsitas, ita assentiendo illi non magis assentior falso quàm vero, cum in ea non magis sit determinatè falsitas, vel veritas, sed hæc sunt inconvenientissima; ergò & illa ex quibus ista sequuntur. Confirmatur: Ex oppositò sequeretur nullam esse contradictionem præsuppositâ scientiâ Dei inter has propositiones contradictorias: *Petrus peccabit*, & *Petrus non peccabit*, sed hoc est falsum; ergò probatur ma. Quia ibi est contradictio, quando una propositio aliquid unum affirmat, & altera id ipsum totaliter negat, sed si propositiones illę tantùm indeterminatè significarent peccatum Petri, hoc non fieret, ut quod una asseruerat altera negaret; ergò ibi nulla esset contradictio. Probatur ex Aristotele hic cap. 6. Probatur etiam minor, quia Propositio hæc: *Petrus non peccabit*, significat, Petrum ita non peccare, ut sit indifferens ad oppositum, & è contra ista: *Petrus peccabit*, significat ita Petrum peccare posse, ut alteram quoq; partem complecti posset, sed in tali significatione illarum propositionum nulla reperitur contradictio, ergò. XVI.

Probatur Conclusio tertiò. Omnis propositio de materiâ contingenti est determinatè vera vel falsa, juxta omnes & etiam ipsos Adversarios, sed propositio reflexiva affirmans veritatem de propositione de futuro XVII.

turo contingente est propositio de præsenti, verbi gratiâ hæc: Petrus cras peccabit, est propositio vera; ergò hæc est determinatè vera, vel falsa, sed non posset esse talis, nisi etiam hęc, Petrus cras peccabit sit determinatè vera vel falsa, ergò. Confirmatur Conclusio: Quidquid erit, determinatè erit, quia nihil potest existere indeterminatè & vagè, nam quidquid existit, procedit à causis, causæ autèm nihil indeterminatum & vagum possunt producere, sed qui dicit aliquid futurum, in illo eo modo fertur quo aliquando erit, sed res erit determinatè; ergò etiam illud determinatè verum affirmatur, & consequentèr alterum determinatè erit etiam falsum. Sed

XVIII. **Probatur Conclusio quartò.** Deus ab æterno habuit perfectam ac determinatam cognitionem horum objectorum futurorum, ut est de fide, ille etiam Prophetis revelat, verbi gratiâ, cognitio peccati AntiChristi, ut sit vera vel falsa, ex suppositione objecti; sed ab æterno fuit vera, & determinatè vera, quia cognitio, quæ non est determinatè vera, sed suspensa, ut vel vera sit vel falsa, sed hæc asserere de scientiâ Dei est omninò impossibile; ergò in universum verum est dicere, omnem propositionem de contingente futuram esse determinatè veram, vel esse determinatè falsam. Reliquæ propositiones pro hac Conclusione possunt esse objectio & instantiæ factæ contra præcedentem Conclusionem. Contra hanc autem

XIX. *Quod Deus ab æterno futurum videt, est infallibiliter futurum non tamen necessariò.*

Arguitur. Et est principalissimum Argumentum Philosophorum Gentilium & Hæreticorum nonnullorum. Si propositio de futuro contingenti esset determinatè vera, verbi gratiâ, *AntiChristus peccabit*, esset ab æterno vera, sed illud quod est ab æterno verum, est necessariò verum, quia propositiones ab æterno sunt necessariò veræ; ergò si illa propositio AntiChristus peccabit est determinatè vera, est necessariò vera, & sic tolletur omnis contingentia à rebus creatis. Probatur mi. quia Authores communitèr propositionem ab æterno veram vocant necessariam; ergò si propositio est ab æterno vera est necessariò vera. R. Concessâ ma. negando mi. ad cujus probationis ant. R. dist. illud Authores communitèr propositionem ab æterno vocant necessariam eam inter cujus subjectum & prædicatum est habitudo essentialis, concedo ant. quando inter subjectum & prædicatum non est talis habitudo essentialis, nego ant. & distinguo similitèr consequens & nego consequentiam. Itaq; hoc est discrimen inter propositiones necessaria, & contingentes, quòd illæ ab æterno habeant connexionem indissolubilem extremorum antecedentèr ad omnem actum voluntatis, hæ autèm non habent talem necessariam connexionem, nisi subsequentur ad actum divinæ voluntatis, adeoq; non sunt sic necessariæ. R. 2. distinguendo mi. Esset necessariò verum, id est, infallibilitèr concedo mi. id nullo modo liberè, nego mi. & consequentiam utramque, quia non per quamcunq; determinationem tollitur contingentia in rebus creatis, sed tantùm per illam, quæ est per verbum de præsenti expressâ, non verò per eam, quæ exprimitur per verbum de futuro. R. 3. disting. mi. illud quod est ab æterno verum, est necessariò verum in sensu composito, concedo mi. in sensu diviso, nego mi. vel sic est necessariò verum, necessitate antecedente, nego mi. necessitate consequente, concedo mi. & nego utramq; consequentiam. Sed

Instatur. Si peccatum AntiChristi est infallibilitèr, in sensu concomposito & necessitate consequente futurum, Deus videt ipsum esse infallibilitèr futurum, sed quod Deus videt infallibilitèr futurum, non est absolutâ necessitate futurum; ergò nulla solutio. Probatur mi. quia alioquin scientia Dei falleretur. R. concessâ ma. negando mi. quia ideò Deus vidit illud infallibilitèr esse futurum, quia AntiChristus infallibilitèr determinabit se ad peccandum pro eo instanti, pro quo poterat se non determinare, adeoq; non absolutâ nècessitate peccabit, sed liberè, ad probationem mi. nego ant. & consequentiam.

Urgetur. Si AntiChristus non obstante præscientiâ Dei potest non peccare; ergò sequetur ad minus, quod Deus in sua scientia possit falli. R. negando consequentiam. Quia licèt AntiChristus posset non peccare, aut se ad peccatum non determinare, imò licet actu se nunc determinaret ad non peccandum, adhuc Deus in sua scientia non falleretur, dum videret ipsum ab æterno infallibilitèr peccaturum, quia Deus non videt ipsum peccaturum, nisi conformitèr ad suam libertatem, nimirum quia posset peccare, vel non peccare pro isto tempore, pro quo infallibilitèr peccat, nam per eandem scientiam videt AntiChristum peccaturum, quando reverâ peccaturus est, per quam videret ipsum non peccaturum, si non esset peccaturus absq; ulla prorsus in scientia sua mutatione.

Replicatur. Si Deus videret AntiChristum infallibilitèr actu peccantem pro instanti, pro quo potest non peccare, falleretur; ergò si videt ipsum peccaturum pro instanti, pro quo potest non peccare, potest falli: ant. patet: probatur consequentia, quia quando aliquid in actu necessariò sequitur ad aliud in actu, tunc etiam à potentia illius, necessariò sequitur ad potentiam illius, verbi gratiâ, si necessariò sequitur: Petrus currit; ergò movetur, necessariò etiam sequetur: Petrus curret; ergò movebitur, seu Petrus potest currere; ergò potest moveri; ergò si tunc falleretur scientia Dei, ut antecedens habet sequetur etiam, quòd posset falli scientia Dei. R. concesso ant. negando consequentiam, cujus prob. ant. dist. si in potentia ponantur omnia, quæ ponuntur in actu, concedo ant. sin minus, nego ant. & consequentiam. Itaq; in proposito, quando dicitur: Si Deus actu videret AntiChristum peccantem pro instanti, pro quo peccat ponitur actualis, simultas inter scientiam Dei ejusq; tendentiam in peccatum & negationem ejusdem peccati, quando verò dicitur; ergò si videt ipsum peccaturum pro instanti, pro quo potest non peccare, non ponitur simultas actualis possibilitatis inter scientiam ad peccatum possibile, vel futurum & negationem ejusdem peccati possibilem

bilem vel futuram, quando ergò Deus peccatum futurum esse, alia est tendentia in scientia ab ea, quæ esset si videret ipsum peccatum non esse futurum & sic non fallitur, quia semper videt ipsum talitèr qualitèr est in se.

IX. Dices: Ideò nos dicimur fallibiles, quia scientia nostra ita tendit in res, ut possit non tendere; ergò si scientiâ Dei posset non tendere posset falli. R. negando ant. sed ideò dicimur fallibiles, quia nostra scientia potest nobis rem præsentare alitèr quam est in se, nam aliquando cognoscimus res esse, quæ reverà non sunt & res non esse, quæ reverà sunt.

XX. Arguitur 2. AntiChristus ab æterno non est magis determinatus ad esse, quàm ad non esse; ergò non est magis determinatè verum quòd sit, quàm quod non sit futurus. Ant. probatur, quia alioquin ab æterno esset extra suas causas. R. 1. dist. ant. non est magis determinatus ad esse simplicitèr, quàm ad non esse simplicitèr transeat: non est magis determinatus ad esse secundùm quid, seu ad esse futurum, quàm ad non esse futurum; nego ant. quia ab æterno est determinatus ad esse futurum. R. 2. negando ant. absolutè, quia ab æterno est determinatus ad esse simplicitèr, sed non pro æterno, sed pro tempore futuro.

Instatur. Saltem AntiChristi peccatum non est determinatè futurum ab æterno; ergò non est verum, quòd determinatè peccabit. Probatur ant. quia non posset determinari ab æterno, nisi à Deo, quia cum ipse non sit ab æterno extra suas causas, non potest seipsum determinare ad peccatum ab æterno. R. negando ant. cum suæ probationis ant. quia ideò AntiChristi peccatum est ab æterno futurum, quia ipse in tempore determinatè peccabit & non quia Deus ad peccandum ipsum determinabit, Deus enim non potest quemquam ad peccandum determinare, unde ideò Deus videtur illam propositionem ab æterno determinatè veram, quia AntiChristus in tempore determinabit se ad peccandum.

Urgetur. Si verum est ab æterno, quòd AntiChristus determinatè peccabit, idem dic de aliis, qui sic prævidentur peccaturi, frustra essent exhortationes, consilia, imo injustè imponerentur pœnæ, damnatio &c. sed hoc est durum, ergò. Probatur sequela, quia peccatum ipsius necessariò eveniet saltem in sensu composito; ergò frustra essent exhortationes & consilia, ut peccatum istud vel aliud caveat, cùm certum sit ipsum peccatum futurum & ponendum ab ipso. R. 1. Negando sequelam, quia licèt istæ exhortationes simplicitèr, & in se sint frustraneæ, non tamen in ordine ad nos, qui ignoramus, an peccatum talis hominis sit determinatè futurum nec ne. R. 2. dist. sequelam istæ exhortationes frustraneæ sunt ei, cujus peccatum est infallibilitèr futurum, concedo: sequelam: aliis nego sequelam, imò & ipsi non sunt absolutè frustraneæ, quia licèt sit determinatè peccaturus, potest tamen absolutè non peccare & sic absolutè non essent frustraneæ.

Arguitur 3. Si Propositio de futuro contingenti est determinatè vera, debet ejus objectum esse determinatè futurum, sed hoc non potest sic determinatè esse futurum, ergò. Probatur mi. quia non potest assignari à quo habeat esse futurum determinatè, dum etiam, quia si Deus videret illud objectum futurum, ejus oppositum non posset fieri, aliàs ut supra dixi, scientia Dei posset falli. R. negando mi. ad cujus probationem dico pro nunc (plura in Theologia traduntur de hac difficultate) Illud à quo res habet esse futurum, vel esse causam primam se sola, vel causam primam cum causa secunda simul, nec refert, quòd causa secunda non existat actu pro omni tempore, pro quo verum est dicere, quòd illud sit futurum, sed sufficit, quòd tunc existet, quando ponetur illa res inesse actualis existentiæ, ad secundam probationem ejusdem mi. R. dist. ant. Ejus oppositum non posset fieri simplicitèr, nego ant. secundùm quid & ex hypothesi futuritionis suæ, ac scientiæ Dei de illa futuritione, concedo ant. nec & exinde sequitur, quod scientia Dei falleretur, aut falli posset.

Instatur. Ex suppositione & hypothesi, quòd videat Deus Petrum scripturum, verbi gratiâ, vel sessurum pro instanti *A* absurdum esset, quòd non sederet pro illo instanti; ergò non est absolutè possibile, quòd non scribat, aut sedeat pro illo instanti, probatur consequentia, quia ex possibili possibile inesse non sequitur aliquid absurdi. R. negando consequentiam & distinguendo ejus prob. Ex possibili posito inesse, non sequitur aliquod absurdum absolutè & simplicitèr, concedo ex hypothesi & secundum quid, nego.

Urgetur. Ergò saltem ex hypothesi, quòd videat Deus Petrum sessurum vel scripturum pro instanti *A*, non potest non sedere, vel non scribere, quamvis simplicitèr posset non scribere, vel non sedere. R. concedendo sequelam, nec in hoc videtur aliqua absurditas, ut in Theologia patebit, quare super sedeo plura congerere argumenta, quia quasi omnia in idem coincidunt & facilè solvi possunt, tum ex dictis, tum si benè notetur necessitas antecedens & consequens sensus compositus & divisus, tum illud quod dicit D. Hieronymus in 26. Jerem. Non ex eo quod Deus scivit futurum aliquid, idcircò futurum est, sed quia futurum est, Deus novit quasi præscius futurorum. Et hæc sufficiant pro explicatione Operis de Perihermenias.

DISPU-

DISPUTATIO III.

DE ANALYSI PRIORI, SEU DE PRIORI RESOLUTIONE.

CErtum est Aristotelem quatuor edidisse libros, in quibus egit de priori & posteriori Analysi, seu de priori & posteriori resolutione Syllogismi, ut sic in suas partes, nam Analysis nihil aliud est quàm resolutio, seu reductio alicujus rei in suas partes & principia ex quibus constituitur, ut cùm domus in ligna, lapides & calcem &c. resolvitur: Duplex autem est talis resolutio Consequentiæ & consequentis; Analysis consequentiæ est, quando consequentia reducitur ad sua principia, quæ sunt termini ac propositiones aptè & congruenter secundùm formam ad aliquid inferendum collocatæ, & tunc dicimur resolvere consequentiam, cum ejus bonitatem ostendimus ex eo, quòd constet terminis & propositionibus ad concludendum secundùm regulas artis in modo & figura ritè ordinatis & dispositis: Analysis consequentis est, dum consequens ad sua principia reducitur, principia verò consequentis sunt termini & propositiones cum conclusione, quæ infertur aptæ, connexæ & cohærentes secundùm materiam & tunc dicimur resolvere consequens, quando ostendimus conclusionem illatam deduci ex principiis, quæ in se contineant causam veritatis Conclusionis. Et juxta hanc duplicem acceptionem Aristoteles quatuor suos libros in priorem & posteriorem Analysin divisit, & quæ de priori Resolutione restabunt dicenda siquidem plura jam examinata sunt in Summulis, in hac expediam disputatione. Sit igitur

QUÆSTIO I.

Utrum eodem actu quo intellectus assentitur præmissis assentiatur etiam Conclusioni & è contra?

I. *Sensus quæstionis.* Suppono ex Summulis præmissas nihil aliud esse, quàm propositionem majorem, & minorem, & ex his illatam vocari conclusionem. Certum est ergò, quòd possit quis assentiri cuilibet ex præmissis seorsim sumptis sine eo, quod assentiatur conclusioni, & conclusioni absq; eo, quod assentiatur præmissis. Quæritur ergò de illis, quando sunt syllogisticè dispositis utrum, quando intellectus assentitur præmissis, eodem actu assentiatur conclusioni, & quando assentitur conclusioni ob præmissas actualitèr propositas idem sit actus, quo assentitur præmissis? *Triplex est sententia.* Circa quàm materiam triplex est sententia: Prima docet eodem actu, quo assentior præmissis etiam assentiri conclusioni, ita Occhamus, Gabriel, Durandus & plures alii. Secunda sententia dicit non eodem actu, quo assentior præmissis me assentiri conclusioni, sed diverso, dicit tamen, quod quamvis præmissæ cognoscantur diverso actu ab actu conclusionis, tamen quando assentior conclusioni ille assensus non tantùm attingit conclusionem, sed etiam præmissas, ita ut intellectus attingat principia primo assensu principiorum, deinde assensu conclusionis per quandam repetitionem iterum cognoscit principia: ita D. Thomas cum suis Soncinas, Arriaga, Cajetanus, Rubius &c. Tertia sententia docet, quod diversi sint actus, quo assentior præmissis ab illo, quo assentior conclusioni, ita quòd assensus qui attingit conclusionem, nullo modo attingat præmissas. Ita Doctor q. 3. Prolog. & in 3. d. 24. q. uni: Ipsumq; sequuntur Scotistæ unanimitèr Lichetus, Mastrius, Pontius, est etiam Averſæ & Ariminensis. Cum quâ etiam

II. *Diverso actu assentimur præmissis & conclusioni.* Dico 1. *Diverso Actu assentitur aliquis præmissis ab actu, quo assentitur conclusioni.* Hæc est contra primam sententiam.

Probatur primò: Ex authoritate Aristotelis 1. Post. 1. dicentis: *omnem notitiam discursivam fieri ex præexistente cognitione præmissarum*, id est, cognitionem conclusionis fieri ex præmissis cognitis & concessis; ergò si præmissæ jam debent esse præcognitæ & concessæ, jam præcesserit aliquis actus, ante actum conclusionis, & sic alius erit actus, quo quis assentitur præmissis ab actu, quo assentitur conclusioni.

Probatur Conclusio secundò: Omnis actus, quo assentior alicui, sive præmissis, sive conclusioni, consistit in judicio; ergò est alius actus, quo assentior præmissis & alius, quo assentior conclusioni. Probatur consequentia, quia in præmissis est diversum judicium à judicio, quod est in conclusione; ergò est diversus actus. Probatur ant. quia judicium formalitèr subitur per copulam, sed diversæ sunt copulæ; ergò diversa judicia. Confirmatur judicium affirmativum, & judicium negativum, item judicium cofusum, & judicium distinctum sunt diversa, sed in præmissis frequentèr est judicium affirmativum unum, & alterum negativum, & judicium confusum in conclusione non sic; ergò est distinctum judicium primum, & judicium secundum.

Probatur Conclusio tertiò: Magis notum & minùs notum prius & posterius causa & effectus diversificant actus, sed præmissæ sunt notiores priores & causa conclusionis & conclusio est minùs nota posterior & effectus; ergò est alius & alius actus, quo assentior præmissis ab assensu conclusionis. Confirmatur: Quia universale & particulare non potest eodem actu cognosci, sed præmissæ sunt frequentèr universales & conclusio particularis; ergò conclusio & præmissæ non possunt eodem actu cognosci.

Probatur quartò. Habitus diversæ speciei producuntur ab actibus diversæ speciei, sed habitus præmissarum & conclusionis sunt diversæ speciei; ergò producuntur ab actibus diversæ

diversæ speciei & per consequens non assentior eodem actu præmissis & conclusioni, major patet. Probatur mi. habitus enim principiorum, qui dicitur intellectus, est specie distinctus ab habitu conclusionis, qui est scientia, ergò.

II. Dico 2. *Non attinguntur eodem actu principia, quo attingitur conclusio, sed diverso sine ulla repetitione ad præmissas, seu principia.* Hæc est contra secundam opinionem.

II. *Ergò actu attingitur sine ulla repetitione ad præmissa.*

Et probatur primò. Si eodem actu, quo assentior conclusioni, etiam necessariò assentior præmissis, seu principiis; ergò habitus generatus à conclusione, attinget objecta præmissarum, & sic nunquam potero cognoscere conclusionem absq; eo, quòd cognoscam præmissas, quod falsum est, quia frequentèr cognosco conclusionem, quando non cognosco præmissas. Probatur conseq. quia qualis est actus, talem generat habitum & speciem; ergò si actus intrinsecè fuit conclusionis & præmissarum simul talis quoq; erit habitus.

IV. Arriaga dicit, hoc argumentum esse difficile & omnes ad ejus solutionem teneri, quod etiam solvit per integram paginam, cujus solutionis substantia in hoc consistit, quòd licèt aliqua duo possint cognosci eodem actu, possum, tamen aliquando recordari unius non recordando alterius, verbi gratiâ, dicit Arriaga: possum unico actu cognoscere Petrum & Paulum esse mortuum & posteà recordari Petri & non Pauli, sic etiam inquit, licèt unico actu cognoscam præmissas, quo cognosco conclusionem possum tamen posteà recordari conclusionis non recordando præmissarum. Sed Contra: Quia licèt possum cognoscere unico actu Petrum & Paulum & posteà cognoscere Petrum non cognito Paulo, hoc ideò est, quia cognitio Petri non est cognitio Pauli, vel clarius, quia species Petri non est species Pauli, & ideò poterit una species remanere non remanente alterâ, non sic autèm res in proposito se habet, quia conclusionis sicut unicus est actus, ita unica est species & per consequens impossibile est, quod manente eâdem specie non repræsentet utrumq; simul sicut impossibile foret, si unica species repræsentat Petrum & Paulum, quòd possit aliquis cognoscere Petrum non cognito Paulo, ita in proposito siquidem est una species conclusionis & præmissarum, impossibile erit cognoscere conclusionem non cognoscendo præmissas, quod est contra experientiam.

V. Probatur Conclusio secundò. Si eodem actu, quo cognosco conclusionem, cognosco etiam præmissas; ergò per assensum conclusionis attingam præmissas & per consequens medium, sed hoc non est dicendum; ergò patet ma. quia quid attingit præmissas, necessariò attingere debet medium, quia medium in utraq; præmissa reperiri debet, ut de se constat, quia extremitates prius debent esse connexæ, cum aliquo tertio, antequam dicantur connexæ inter se. Probatur mi. Quia alioquin medius terminus ingrederetur conclusionem, quod est contra communem doctrinam Summulistarum; ergò si non est dicendum medium ingredi conclusionem, nec dici debet, quod per actum, quo assentior conclusioni, assentior præmissis, quia sic comprehenderetur etiam medius terminus.

VI. Arriaga respondet medium non debere repeti per vocem, quia loco ipsius ponitur *ly ergò*, sed in mente debere repeti, quæ repetitio dicitur *ergò mentale*. Sed Contra: Quandocunq; propositio vocalis concordatur cum mentali, est bona; ergò quandocunq; conclusio vocalis concordatur cum conclusione mentali est bona, sed quando repeto medium in conclusione vocali, erit conformis illa repetitio conclusioni mentali; ergò erit bona conclusio. Deinde si medium repetitur in Conclusione, tunc hæc conclusio mentalis deducta ex præmissis sic. Homo est animal rationale, Petrus est homo; ergò est animal rationale, facit hunc sensum, homo est animal, Petrus est homo, quia est homo, & homo est animal, & sic erit conclusio ad risum, item Conclusio non erit categorica, sed hypothetica propositio.

VII. *Quomodo sapientia sit scientia & intellectus.*

Opponitur contra Conclusionem primam authoritas Aristotelis 6. Eth. 7. ubi ait: *Sapientiam esse scientiam, & intellectum*, sed intellectus est de principiis & scientia de conclusione; ergò sapientia habet eminentèr utrumq; & consequentèr unico actu debebit attingere principia & conclusionem, nam cap. 8. ait: *Sapientis esse non solùm circa principia, sed etiam circa conclusionem dicere verum.* R. dist. ma. Sapientia est scientia & intellectus simul in quantum, scilicet incumbit ipsi considerare causas universalissimas & prima principia aliarum scientiarum: transeat ma. in quantum cum aliis scientiis & Sophia convertitur: seu quod sit unicus actus, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaq; ut sapientia dicatur distingui à scientia & intellectu non requiritur, quod unico actu attingat ea, quæ attingit intellectus & scientia, sed satis est, quòd sit habitus conclusionum ex primis principiis deductarum. Imò potest Authoritas secundum meum videri adhuc aliter explicari, scilicet, quod sapientia in ampliori acceptione, aliquando vocetur intellectus, aliquando scientia, quod quidem verum est, sed nihil contra Conclusionem.

Instatur. Debet sapientia distingui ab apprehensione & judicio, seu à prima & secunda mentis operatione ad minus, sed si non attingeret simul præmissas & conclusionem unico actu, non posset dici distingui, sicut nec ullus discursus, ergò. Probatur mi. quia tunc essent tantùm plures operationes secundæ, seu aggregatum aliquod ex pluribus judiciis R. negando mi. cujus probationis ant. distinguo, essent tantùm plures operationes secundæ non ordinatæ ad se invicem, nego ant. debitè ad se invicem ordinatæ & copulatæ, ac connexæ, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; in quolibet actu scientifico & quolibet discursu requiritur, ut præmissæ habeant habitudinem & connexionem ad conclusionem, ita ut intellectus assentiatur uni, quia jam habuit assensum ad aliud & ex vi illius eliciat assensum alterius, unde in quolibet discursu tria interveniunt, cognitio noti, deinde cognitio ignoti & tandem illatio, seu deductio, quæ est quodammodo

copula, seu utriusq; nexus & potest clarè explicari exemplo secundæ operationis, nam sicuti in judicio adest apprehensio subjecti & apprehensio prædicati, sic in discursu adest judicium antecedentis noti & cognitio consequentis ignoti, & sicut in judicio adest connexio terminorum per copulam *Est* significata, in quâ formalitèr consistit judicium, ita in discursu adest connexio poropositionum, per ly ergò significata, in quâ connexione & illatione consistit discursus formalitèr, non verò in eo, quòd unico actu attingat præmissas & conclusionem.

Urgetur. Potest intellectus unico actu plura cognoscere, sed quando intellectus pluribus actibus unum per aliud cognoscit est discursus; ergò erit etiam discursus, quando per unum actum plura cognoscit, unum ex alio deducendo. R. dist. ma. potest plura cognoscere discursivè, nego ma. apprehensivè vel judicativè transeat ma. & distinguo etiam mi. si illi actus dicant habitudinem ad se invicem, concedo, si non dicant, nego mi. & consequentiam. Itaq; licèt unico actu plura possent cognosci, talis cognitio non erit discursus, sed vel prima, vel secunda mentis operatio.

VIII. *Quomodo intellectus possit tendere in objectum formale & materiale.*

Arguitur contra secundam Conclusionem; Potentia intellectiva potest eodem actu tendere in objectum formale & materiale, seu in objectum *quod* & rationem *quá*, sed præmissæ sunt rationes quâ & conclusio est illud, quod apprehenditur & cognoscitur; ergò intellectus eodem actu potest tendere in conclusionem & præmissas. Probatur ma. potest eadem potentia vitiva attingere simul uno actu lucem & colorem; ergò etiam eadem potentia intellectiva. R. dist. ma. & rationem *quá*, id est rationem in quâ & per quam, concedo ma. potest attingere potentia intellectiva objectum materiale & formale, seu objectum *quod* & rationem *quá*, id est *ex quá*, nego ma. & dist. similitèr minori, nego consequentiam, ad probationem majoris dico lucem & colorem esse rationem in quâ, seu per quam adeoq; unico actu attingi possunt, præmissæ verò respectu conclusionis sunt ratio *ex quá*; unde sufficit ut simul cognoscatur conclusio, licèt non eodem actu.

Instatur. Revelatio est ratio ex quâ credimus propositis credendis, sed non potest quis credere ex revelatione, quin eodem actu feratur in revelationem; ergò nec poterit quis tendere in conclusionem, quin tendat in rationem ex quâ, seu in præmissas. R. 1. negando ma. quia revelatio est potius ratio per quam, ut patet ex dictis. R. 2. permittendo transire ma. dist. non potest quis credere ex revelatione, quin eodem actu feratur in revelationem, quatenus actus fidei dicit dependentiam ad revelationem, concedo mi. quatenus actus, quo creditur revelatum, sit etiam actus, quo creditur revelatio, nego ant. & dist. similitèr consequens & nego consequentiam.

Urgetur. Voluntas potest eodem actu ferri in medium & in finem; ergò etiam intellectus eodem actu credere revelatum & revelationem, & si hoc; ergò etiam eodem actu ferri in præmissas & conclusionem, probatur consequentia, quia sicut propter finem sunt media, ita propter conclusionem sunt præmissæ; ergò etiam eodem actu in conclusionem & in præmissas ferri potest, quia sicut media sunt ordinata ad finem, ita præmissæ ad conclusionem. R. negando consequentiam cum consequentia probationis ratio disparitatis est. Quia in fine & in mediis eadem reperitur bonitas, & sic facile unus actus circa eadem haberi potest, sed in conclusione & in præmisis est duplex veritas, adeoq; etiam duplex assensus diversæ rationis haberi debet.

Arguitur pro Eodem. Plus exprimit actus aliquis sub hac nota illationis *Ergò*, quàm sine ea, *verbigratiâ*, plus est dicere: *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo; Ergò* (inferendo) *Petrus est animal*, quàm dicere: *Petrus est animal*; ergò per actum illum, quo dico: *Ergò Petrus est animal*, non attingitur sola hæc nuda propositio, sed etiam illæ duę priores, ex quibus est deducta & consequentèr unico actu attingitur conclusio & præmissæ. R. negando consequentiam, quia licèt verum sit, quod plus attingatur, quàm nuda illa propositio, illud tamen quod simul attingitur, non sunt præmissæ, sed dependentia veritatis conclusionis à veritate præmissarum veluti à causa. IX. *Per ly Ergò non attingitur præmissæ, sed dependentia.*

Instatur. Hinc sequitur, quòd ille actus non attingat solam conclusionem, sed etiam præmissas; ergò erit idem actus, qui attingit tàm hanc quàm illas. Probatur sequela, dependentia est essentialitèr relatio, sed hæc non potest concipi sine extremis; ergò nec actus ille cognoscens conclusionem dependentem à præmisis sine cognitione præmissarum. R. negando sequelam, quia licèt fuerit dictum, quòd per conclusionem attingantur præmissæ, non fuit tamen assertum, quòd eodem actu, sed quòd diverso. Ad probationis minorem dico, quòd non requiratur ad relationem, quod eâdem cognitione percipiatur relatio & extrema simul, sed sufficit, quòd diversis actibus, sed eodem instanti temporis simul, sicut neq; cum cognoscimus effectum, eodem actu cognoscimus causam, sed diverso, licèt simul tempore.

QUÆSTIO II.

In quo genere causæ Præmissæ concurrant ad concluſ.?

Certum est apud omnes, quòd Conclusio dependeat essentialitèr à præmisis, easq; necessariò respiciat, utpote cùm sit cognitio deducta ex iis, hinc in quæstionem vocatur, an concurrant in genere causæ formalis, vel materialis, vel etiam finalis, aut efficientis? & posset quidem quæstio etiam moveri de præmisis objectivis, quia tamen hæ non sunt universalitèr causæ, utpote cum frequentèr sint ab effectu, vel alio aliquo extrinseco, hinc tantummodò resolvenda est quæstio, iis ut formalitèr sumptis. Circa quam materiam quadruplex est sententia: Prima dicit: quòd si in præmisis admittenda est aliqua causalitas respectu conclusionis, tanquàm causæ materialis extrinsecæ ex eo, quòd termini ex quibus constat conclusio desuman- *Quadruplex est sententia circa causalitatem præmissarum.*

desumantur à præmissis adeoq; videntur submini-strare materiam. Ita Rubion. Durand. Apoll. Secunda sententia dicit: Præmissas concurrere in genere causæ formalis extrinsecæ quatenus assensus præmissarum informando & illuminando intellectum determinat illum per repræsentationem objecti & medii ad hanc & non illam conclusionem eliciendam. Ita Hurtadus, Morisanus, Arriaga. Tertia dicit: quòd conclusio non dependeat à præmissis, earumq; assensu, tanquam à causa efficiente, sed solum esse conditionem sine quâ non. Ita Aversa Amicus &c. Quarta deniq; opinio tenet assensum præmissarum concurrere ad conclusionem, in genere causæ efficientis: ita D. quæst. prima Prologi ad secundum, ubi contra D. Thomam arguendo ait: Præterea supponit, quòd principia sunt distinctiva habitus conclusionis in alio genere causæ, quàm ut principia effectiva, quod falsum est, quia si aliquam rationem causæ distinctivæ habent, ad habitus istos non habent, nisi rationem causæ effectivæ. Scotum sequuntur Complut. Toletus, Ruvius, Didacus à Jesu & major pars Thomistarum. Itaq; supponendo, tanquam in dubitatum, quòd præmissæ non sint causa finalis, quia potius præmissæ assumuntur propter conclusionem, quàm è contra, ideò

II. Dico 1. *Præmissæ non concurrunt ad conclusionem in genere causæ materialis, vel formalis proprie loquendo.* Hæc est contra 1. & 2. sent. & Probatur: Quæcunque concurrunt in genere causæ formalis & materialis, debent ita concurrere, ut constituant aliquod unum compositum, quorum unum se habeat per modum actus, & alterum per modum potentiæ, sed præmissæ non sic concurrunt; ergò non concurrunt in genere causæ formalis & materialis ma. patet ex omnibus compositis Physicis. Probatur etiam minor. quia ex præmissis & conclusione non resultat unũ per se Physicum, ergò. Probatur ant. quia sunt diversi actus præmissarum & conclusionis, quorum quilibet in sua entitate completus est, nec habet se ad alterum per modum alicujus perfectivi, vel perfectibilis. Dixi proprie loquendo, quia non intendo absolutè negare, præmissas saltem objectivas posse aliquo modo dici causa formalis & materialis conclusionis, quatenus termini conclusionis sunt termini præmissarum materialis, formalis verò, quatenus præmissæ specificant conclusionem, quæ specificatio videtur posse pertinere ad genus causæ formalis saltem extrinsecæ.

III. Dico 2. *Probabilius est, quòd præmissæ effectivè concurrant ad assensum Conclusionis.* Ita Doctor supra, cujus proindè etiam authoritate, probatur conclusio, sicut etiam D. Augustini in Dialect. 3. ubi ait de Conclusione: *Summa conficitur ex confessu*, scilicet conclusio efficitur à præmissis & lib. 1. contra Crescon. 20. *velit nolit efficitur.*

Probatur etiam ratione: Quia omnia indicia ex quibus à posteriori colligi potest, quod aliquid sit alterius causa effectiva, reperiuntur in præmissis respectus conclusionis; ergò verè efficienter concurrunt. Probatur ant. causa efficiens debet virtualiter continere suum effectum, sed præmissæ virtualiter continent suum effectum ex Philosopho 1. Post. 1. & 2. deindè effectus debet assimilari causæ suæ, sed conclusio si non totaliter, plurimùm, assimilatur præmissis, quia ex certitudine evidentia, & veritate præmissarum mensuramus certitudinem, evidentiam & veritatem conclusionis, ergò: tandem requiritur, quòd causa sit prior suo effectu, & effectus à causa dependeat, sed hoc totum habent præmissæ, respectu conclusionis, ergò. Probatur mi. quia inter conclusionem & præmissas est dependentia tàm essentialis, ut si præmissæ non essent in intellectu, impossibile esset intellectum facere conclusionem, quia conclusio, ut talis, dicit ordinem ad præmissas, à quibus accipit suam veritatem, & si intellectus eliceret, verbi gratiâ, hanc propositionem; ergò Petrus est risibilis, non esset conclusio, quia hæc est scientia & discursus, illa autem tantùm simplex propositio & indicium.

IV. *Non licet inferri esse tantùm conditiones.*

Dices: Cum Amico & Aversa, ex hoc sequi, præmissas esse tantùm conditiones, sine quibus non, adeoq; non concurrere effectivè. Sed Contra. Tunc requiritur conditio sine quâ non, quando agens est indispositum, vel impeditum, & illa conditio est quædam impedimenti ablatio, ideoq; non dicitur causare effectum, ut patet in approximatione ignis, ad lignum, si autem agens & passum sint debitè approximata, non impedita, nisi sequatur actio, ignum est, quòd agens non habeat adæquatam virtutem, sed petit suppleri ab alio, aliàs præcluderetur omnis via ostendendi activitatem causarum, posset enim quilibet pro libitu dicere omnem causam secundam esse conditionem sine quâ non, & effectum à sola prima dependere, si ergò intellectus ex se non impeditus ad agendum, nec ad recipiendum actum conclusionis haberet completam virtutem producendi conclusionem, produceret eam sine præmissis.

V. *Nec esse causas formales.*

Dices Cum Arriaga: Illas tantùm præmissas esse causas formales extrinsecas, non verò efficientes. Sed Contra. Secundum Arriagam, & alios ejusdem opinionis, illæ præmissæ, ut sunt causæ formales extrinsecæ, tantùm illuminant intellectum & proponunt, seu approximant subjectum, sed certum est, quòd præmissæ circa conclusionem adhuc plus faciant; ergò non sunt tantùm causæ formales extrinsecæ. Probatur mi. Quia apprehensio illuminat intellectum & etiam proponit intellectui judicandum, sed majorem causalitatem habent præmissæ, circa conclusionem, quàm apprehensio circa judicium, cum assensus conclusionis illativè, & quasi per impulsum inferatur, non sic judicium ex præmissis. Sed directè conclusionem impugnando in contra

VI. *In quolibet enthymemate subintelligitur minor.*

Arguitur. Si quis proponat hoc aut simile Enthymema: *Omne animal rationale est homo; ergò Christus est homo*, consequens non caſatur ab antecedente; ergò præmissæ non sunt causa conclusionis effectiva; probatur ant. nullum naturale potest causare aliquod supernaturale, sed TÒ *omne animal rationale est homo*, est naturale & TÒ *Christus est homo, est supernaturale*; ergò non potest causari ab illo antecedente. Ig.

in hoc, & quolibet alio simili enthymemate, sub intelligi istam minorem: Christus est animal rationale, quæ est in intellectu licèt non proferatur voce, estq; de fide & ideò potest causare hanc conclusionem, quæ non est de fide, sed potius conclusio Theologica, quid sit autem Conclusio Theologica, dicetur in eadem scientia. Sed

Instatur. Nulla causa potest aliquid causare Physicè, nisi existat, sed illa minor non existit; ergò non potest causare illam conclusionem. R. 1. distinguendo ma. nisi existat Physicè, vel moralitèr, concedo ma. nisi existat Physicè, nego ma. quia sacramenta causant gratiam (secundùm aliquam probabilem sententiam etiam Physicè) quando non existunt, ut patet, quia quando profertur forma in baptismate completè non existunt amplius partes priores. Imò in casu, quo obex positus est, quando reviviscunt producunt suum effectum etiam quodammodo non moralitèr existens, & distincta similitèr mi. nego consequentiam. R. 2. negando mi, quia illa minor verè existit in intellectu, licèt non proferatur, adeoq; habet adhuc veram rationem & efficientiam, ad producendam conclusionem.

Urgetur. Potest haberi assensus Conclusionis absq; eo, quòd existant præmissæ Physicè, vel moralitèr, vel in intellectu; ergò præmissæ non sunt causa conclusionis: probatur ant. quia potest aliquis recordari alicujus conclusionis, quam etiam proponit absq; eo, quòd recordatur, quòd ipsam probaverit his, vel illis præmissis; ergò potest haberi assensus Conclusionis absq; eo, quòd præmissæ existant Physicè, vel moralitèr, vel in intellectu. R. dist. ant. Potest haberi conclusio, quâ conclusio, nego ant. quæ propositio, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; conclusio, quâ conclusio essentialitèr dependet à præmissis, quia est tertia mentis operatio, quæ in hoc consistit, quod unum ex alio inferatur.

Replicatur. Dependentia non arguit autem causalitatem, quia secunda mentis operatio non potest esse sine prima, & tamen prima non est causa secunda, volitio haberi nequit sine intellectione, & tamen intellectio non est causa volitionis; ergò nulla solutio per dependentiam. R. disting. ant. dependentia quæcunque, concedo, dependentia causæ efficientis non arguit causalitatem; nego ant. ad primam probationem dico, secundam mentis operationem causari, quandoq; à prima si termini illi sint per se noti & evidentes, quamvis autem non ordinariè id præstant non est tamen paritas, quia conclusio sequitur necessariò per aliquam vim impulsivam & effectivam, non sic autem judicium ex terminis apprehensis, nisi sint evidentes & ex se noti, & per hoc patet etiam ad probationem secundam, quia volitio proposita intellectione non necessariò sequitur, nec ab ipsa specificatur intellectione sicuti conclusio à præmissis. Quod si tamen præcavere velis adhanc replicam. Respondeo ad Ursionem 2. dist. consequens non sunt causa conclusionis hujus, quam quis haberet, quando recordaretur alicujus conclusionis & non recordaretur discursus clarè, sed tantùm in confuso, concedo consequentiam, non sunt causa conclusionis, quando actu sunt propositæ, nego consequentiam, & Ratio est, quia conclusio est distinctæ rationis ab illa, quam habet quis dependentèr à præmissis actu propositis, si quidem prima dependet à memoria alicujus discursus, in confuso & consequentèr, hæc conclusio à discursu in confuso ac proinde minus certa minusq; clara est, secunda vero dependet ab actuali discursu determinato à quo certior, & clarior habetur conclusio, ac proindè etiam majorem evidentiam habet.

QUÆSTIO III.

Sub quâ ratione debeant esse præmissæ cum conclusione.

Hæc Quæstio videtur ideò moveri ex eo, quòd præmissæ ab Aristotele vocentur priores, & quia etiam eas dixi veras esse causas, causa autem semper præcedere debet suum effectum eoq; esse aliquomodo prior, hinc dubitatur qualitèr debeant esse simul, ita tamen, ut adhuc possint dici priores. Circa quam materiam quintuplex est sententia. Prima dicit: quòd assensus præmissarum debeat tempore præcedere conclusionem, ejusq; assensum: ita Capreolus & plures alii &c. Secunda asserit: quòd major debeat quidem tempore præcedere, minor tamen debeat esse simul naturâ. Tertia verò, quòd Præmissæ debeant esse simul cum conclusione, non in se, sed per habitus ex assensibus, præmissarum relictis. Quarta, quòd assensus præmissarum debeat esse, cum assensu conclusionis, non per habitum, sed per actum recordationis. Ita Connimb. 1. Post. 1. q. 4. art. 2. Quinta deniq; sententia docet, quòd præmissæ in se simplicitèr debeant esse, cum assensu conclusionis. Ita D. 1. Post. q 8. & 9. & q. 3. Prol. ac Scotistæ & Thomistæ communitèr. Pro quâ sententia intelligenda ante resolutionem I. *Circa hanc quæstionem quintuplex est sententia.*

Notandum, Ex Doctore supra, præmissas duplicitèr posse considerari primò, ut sunt quædam simplices propositiones, non applicatæ ad se invicem, nec ordinatæ in Syllogismo, & si sic considerentur non est dubium, quin major possit esse sine minore, & utraq; sine conclusione, & è contra. Secundò, ut subsunt dispositioni Syllogisticæ, & in tali statu iterum duplicitèr spectari possunt, primò formaliter, ut subsunt relationi causæ in ordine ad conclusionem veluti ad effectum, secundò fundamentaliter, ut sunt causæ fundamentalis conclusionis, in quâ consideratione spectantur, secundùm proprias naturas, & ut à relatione causæ præscindunt. In utraq; ergò posteriori acceptione controvertitur, an assensus præmissarum quamvis tempore prius eliciti, debeant nihilominus permanere & in eodem instanti esse cum conclusione: quo prænotato. II. *Præmissa conclusionem ipsius, an sine ipsa sint?*

Dico 1. *Præmissæ formaliter spectatæ debent esse simul, non simultate solùm temporis, sed etiam naturæ.* Hæc est Scoti supra & communior. III. *Præmissæ debent esse simul naturâ.*

Probatur: Quia præmissæ, ut dixi quæstione præcedenti sunt causæ conclusionis, sed

sed causa, ut causa, debet simul naturâ existere, cum suo effectu; ergò etiam præmissæ cum conclusione. Probatur mi. quia causa, ut causa formaliter dicit aliquid relativum, sed relativa sunt simul naturâ & cognitione; ergò etiam causa, ut causa.

IV. Dico 2. *Præmissæ fundamentaliter consideratæ debent esse simul in eodem instanti, temporis non tantùm per habitus, aut actum recordationis, nec minor sola, sed utraq; per proprias entitates.* Hæc est etiam communis.

Probatur prima pars videlicet, quòd debeant simul existere, quia sunt causæ conclusionis, causæ autem dum actu causant existere debent; ergò etiam præmissæ.

Probatur secunda pars, quòd non per habitus: Quia habitus est solummodò causa similium actuum illis actibus à quibus est genitus, sed assensus præmissarum, & assensus conclusionis non sunt similes, quia sunt specie diversi; ergò habitus præmissarum non potest concurrere ad actum scientificum conclusionis, sed tantùm ad assensum præmissarum. Confirmatur: Quia habitus non datur potentiæ, ad simpliciter operandum, sed ad facilitèr operandum, quia potentia sine habitu potest producere & elicere actum, sine ullo prorsus habitu, sed præmissæ requiruntur in intellectu ad simpliciter operandum, ergò. Probatur mi. quia impossibile est, ut intellectus conclusionem producat sine præmissis.

Probatur tertia pars videlicet, quòd non sufficiat actus tantum recordationis. Quia tertia mentis operatio essentialitèr dependet à secunda, ita quòd sine ea non possit causari, sed ista determinatis provenit à præmissis, ergò sine præmissis actu existentibus fieri nequit, nec actus recordationis defectum supplere potest, quia est imperfectior, & non continet in se assensum præmissarum.

Probatur denić; ultima pars: Quia utraq; præmissa est causa; ergò utraq; simul existere debebit & non una solùm, quia tàm benè ab una, quàm ab altera dependet, nec est major ratio de una, quàm de altera: cùm utriusq; extremitates ingrediantur conclusionem. Sed propter habitus in contrarium sic

V. Arguitur. Habitus est quædam virtus & semen principiorum; ergò continet in se activitatem illorum, adeoq; poterit concurrere ad conclusionem, sicut præmissæ. R. dist. ant. est virtus & semen principiorum partiale, concedo, totale, nego, & distinguo similitèr consequens, & nego alteram consequentiam. Itaque, quia habitus non continet totalitèr actum, quia eum totalitèr producere nequit, sed requiritur potentia simul, ideoq; non potest efficere, quidquid potest efficere actus.

Instatur. Idem habitus est sufficiens in moralibus, ut tendat in intentionem & etiam in electionem; ergò etiam idem habitus principiorum, ut tendat in conclusionem & principia, adeoq; non erit causa solùm partialis, sed etiam totalis. R. negando consequentiam utramq; disparitas patet ex dictis supra, quia in intentione & electione reperitur eadem bonitas, in præmisis autem & conclusione non reperitur eadem veritas.

Dico 3. *Non obstante illa simultate præmissarum & conclusionis stat adhuc prioritas naturæ.* Nec hæc habet in communi sententia difficultatem. VI. *Est tamen aliqua prioritas.*

Probatur brevitèr: Omnis conclusio dependet essentialitèr à præmissis veluti à causa, sed omnis dependentia arguit prioritatem aliquam, non aliam potius, quàm naturæ, ergò.

Dices: Si præmissæ, ut priores cognoscuntur; ergò tunc ignoratur conclusio, quæ est causatum, sed ignorato causato, ignoratur etiam causa, ergò. R. ex D. q. 9. Sup. ut Mastrius citat & habet Argumenrum valere de præmissis formaliter, in ratione causæ acceptis, non verò de præmissis fundamentaliter sumptis. R. 2. Aliud esse præmissas esse priores naturâ, id est independentes à conclusione, & aliud, esse cognitas, non cognita conclusione, conclusio itaq; non dicit, quod cognoscantur, ut causę, non cognitâ conclusione, sed esse naturâ priores, id est independentes à conclusione. VII.

QUÆSTIO IV.

An posito assensu præmissarum intellectus necessitetur ad assentiendum Conclusioni?

Sensus quæstionis est: An videlicet, quando intellectus apprehendit præmissas, ut evidentèr veras & ex illis sequi conclusionem, possit tunc non assentiri conclusioni, licèt jam assenserit, & concesserit, ac judicaverit prę-missas veras & legitimè dispositas, an verò necessariò debeat elicere assensum circa conclusionem, per assensum autem nihil aliud intelligo, quàm judicium illud, quo intellectus judicat aliquam propositionem esse veram, sicut per dissensum, judicium, quo intellectus judicat aliquam propositionem esse falsam. Pro clariori itaq; intelligentia I.

Notandum. Ex Scoto quodlib. 16. art. 1. *Necessitatem*, prout ad propositum inservit, seu determinationem potentiæ ad actum esse duplicem. *Prima est contrarietatis & specificationis.* Secunda verò *exercitii, seu contradictionis.* Necessitas *specificationis* est, quâ potentia necessitatur & determinatur ad aliquam determinatam speciem actûs, ita ut si eliciat ullum actum circa objectum ille actus debeat esse hujus speciei potius, quàm oppositæ, ita tamen, ut possit elicerè, vel non elicere actum hunc, sic voluntas se habet respectu boni in quo nullam reperit rationem mali, licèt enim voluntas possit velle vel nolle bonum, tamen si se determinat ad ullum actum circa bonum, ille actus erit potius volitio, quàm nolitio, voluntas enim non potest nolle bonum, quia bonum, licèt posset illud non velle, unde non velle & nolle inter se distinguuntur, quia nolle est actus positivus, non velle est negatio volitionis positivæ, quare potest quis non velle, qui non potest habere nolle, ut II. *alia est necessitas exercitii, alia contradictionis.*

patet in dormientibus. Necessitas *exercitii est*, quâ voluntas ita necessitatur, ut non possit non elicere actum, sic necessitatur potentia visiva, quia posito præsente objecto & potentiâ non impeditâ, non potest non videre, hæc necessitas tollit libertatem, non tamen prima.

III. *Est etiam similis duplex libertas.*

Notandum secundò: Huic duplici necessitati duplicem correspondere libertatem, *Libertas* videlicet *contrarietatis & specificationis*, & Libertas *contradictionis & exercitii*, Libertas *contrarietatis* est illa, quâ potentia potest elicere hunc actum, vel ejus contrarium, verbi gratiâ, quâ voluntas potest elicere volitionem, vel nolitionem circa objectum, item quâ intellectus ex imperio voluntatis potest elicere assensum, vel dissensum. Libertas *contradictionis est*, quâ potentia potest elicere, vel non elicere actum, verbi gratiâ, quâ voluntas potest elicere, vel non elicere volitionem objecti, & idem dic de intellectu ex imperio voluntatis, & ideò hæc dicitur contradictionis, quia potest potentia habere actum, aut negationem ejus, quæ est contradictorium actûs. Contrarietatis dicitur talis, quia potest hunc habere actum positivum, aut alium contrariè oppositum sibi, sola igitur necessitas exercitii tollit libertatem simplicitèr, esto enim: voluntas non possit habere nolitionem boni & consequenter necesitetur necessitate specificationis potest tamen nullum actum elicere circa bonum, & sic est libera libertate contradictionis non contrarietatis. His itaq; prænotatis

IV. *Intellectus necessitatur ad assensum conclusionis.*

Dico 1. *Posito assensu præmissarum in se verarum & benè dispositarum ac applicatarum intellectu necessitatur ad conclusionem necessitate specificationis.* Ita Doctor 1. Post. 8. D. Thomas, Durandus &c.

Et probatur primò: Authoritate D. Augustini. Dialect. 3. *Ex duabus sententiis* (id est præmissis) *confessis illa summa sequitur, quæ jam necessariò concedatur.* Et in Enchiridio ad Laur. 13. *Connexio* ait: *ratiocinationis velut inevitabilitèr compellit hoc dicere.*

Probatur secundò: Authoritate Arist. qui Syllogismum definit 1. Prior. 1. & 1. Top. 1. *Quòd sit oratio in quo quibusdam positis* (id est causis) *aliud quodpiam ab his, quæ posita ex necessitate accidit eò, quòd hæc sint.*

Probatur Conclusio tertiò Ratione: Implicat intellectum aliqua duo judicare unita, tertiò saltem in creatis, & postea non judicare ea esse unita inter se; ergò implicat, quòd extrema conclusionis judicet esse unita cum medio, quin ea judicet esse unita inter se in conclusione; probatur ant. quia implicat intellectum dissentire primo principio ex terminis noto, quale est illud principium in creatis quæcunq; sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, ergò.

V. Dices: Intellectum ex se quidam non posse, benè tamen ex imperio voluntatis. Sed Contra, sic se habet intellectus ad verum, sicut voluntas ad bonum, quia sicut objectum adæquatum volitionis est bonum & objectum adæquatum nolitionis est malum, ita objectum adæquatum assensus est verum, & objectum adæquatum dissensus est malum, sed voluntas non potest nolle bonum aliàs tenderet extra suum objectum adæquatum; ergò non potest intellectui imperare, ut dissentiat vero, quod probatur: quia voluntas non potest habere majorem libertatem, aut potestatem in imperando actum intellectus, quàm in eliciendo suos, ergò.

VI. Confirmatur & Probatur secundò simul Conclusio: Non potest intellectus de aliqua re judicare dissentiendo, nisi præcesserit aliqua ad dissentiendum apprehensio, sed si intellectus concesit & admisit præmissas, non præcessit aliqua apprehensio falsi; ergò intellectus non potest judicare vere esse falsum, consequentèr necessitabitur necessitate specificationis: major patet, quia necessariò ante quodlibet judicium debet prius præcedere apprehensio; ergò: minor autem supponitur, ergò.

VII. Probatur tertiò: Non potest intellectus dissentire conclusioni, nisi dissentiat præmissis; ergò posito, quòd assenserit præmissis necessariò debet assentire conclusioni; probatur consequentia, per præmissas specificatur conclusio; ergò si assensit præmissis, debet etiam assentiri conclusioni.

VIII. Probatur quartò: Si posset intellectus meus non assentire conclusioni, huic factæ in *Darii* præmissis istis: Omnis Mater diligit Filium, Medea est Mater, visis & concesis, negare hanc conclusionem: *ergò Medea diligit Filium*, posset simul assentire duobus contradictoriis, sed hoc est impossibile, ergò. Probatur sequela, quia si dissentit huic, Medea diligit Filium, debet necessariò hanc admittere aliqua Mater non diligit Filium, sed hæc est contradictoria majoris, jam ante concessæ; ergò assentiret duobus contradictoriis. Sed

IX. *Aristotelis testimonia non sufficere ad assensum conclusionis.*

Opponitur Authoritas Aristotelis 2. Priorum, ubi dicit: *quòd contingat aliquem scire Mulam esse sterilem hanc esse mulam & tamen dubitare adhuc, an habeat aliquid in ventre*; ergò intellectus non necesitabitur ad assensum conclusionis; probatur consequentia, tantum repugnat, quòd conclusio aliqua certa vertatur in dubium quantum si negatur; ergò si de ea dubitari potest, potest eidem simplicitèr dissentire. R. Ex Doctore Aristotelem intelligendum sic, scilicet ad assensum conclusionis non sufficere assensum præmissarum, sed etiam requiri, quòd considerentur, ut sibi invicem connexæ & coordinatæ, unde in forma Responderi potest dist. ant. Contingit aliquem scire &c. & dubitare, an habeat aliquid in ventre, si propositiones secundùm se spectentur, concedo ant. si considerentur sub forma syllogistica & major, & minor sit concessa, nego ant. & consequentiam, cum consequentia probationis. Sed

Instatur: Intellectus in talibus præmissis etiam syllogisticè dispositis, est adhuc despoticè subjectus imperio voluntatis, ut docet Aristoteles 1. Polit. 3. ergò potest adhuc prohibere, quòd assentiat & præcipere, quòd dissentiat, R. negando consequentiam, quia licèt sit subditus voluntati, tamen positis omnibus prærequisitis ad agendum necessitatur ad agendum ex eo

eo, quòd potentia sit naturalis, unde voluntas quidem impedire & facere potest, ut non assentiat præmissis, si tamen concedit assentiri præmissis, non potest amplius impediri, ut clarè patebit ex probatione secunda sequentis conclusionis.

Urgetur: Contingit defacto, ut Philosophi satis experti in regulis Logicæ concedant has præmissas ex convenientia voluntatis: Omne totum est majus suâ parte, linea in infinitum protensa est totum, & tamen negant secundum regulas Logicæ illatum: ergò linea in infinitum protensa est major suâ parte, quia putant, quòd pars infiniti sit infinita, & quòd unum infinitum additum infinito alteri, non sit majus ipso; ergò solùm ad negandas præmissas benè dispositas voluntas intellectum determinare potest, sed etiam iis concessis ad dissentiendum conclusioni. R. negando ant. nullus enim, qui admittit eas præmissas, negat, aut negare potest conclusionem, sed illi qui negant conclusionem, negant etiam majorem, aliàs deberet assentiri duabus propositionibus contradictoriis, quod est impossibile, quia si admissis præmissis negaret hanc conclusionem, linea in infinitum protensa est major suâ parte deberet admittere hanc; ergò aliquod totum non est majus suâ parte, quod est contradictorium majoris concessæ. Hinc

X. Ens necessarium.

Dico 2. *Posità & concessa præmissa & visâ bonitate consequentiæ, necessitatur intellectus etiam ad assensum necessitate exercitii.* Hanc post Doctorem plurimi tùm Recentiores, tùm alii tenent. Est etiam D. Augustini, ubi non modo de conclusionibus veris, sed etiam probabilibus & falsis hæc dicit: *Nemo ad conclusionem falsam consequenter* (id est necessariò) *impellitur, nisi priùs consenserit falsis, quibus eadem conclusio, velit nolit efficitur.*

XI. Lib. 1. contra Gesc. c. 20.

Probatur ratione primò. Agens naturale ultimatè dispositum, & non impeditum positis omnibus prærequisitis, non potest non agere, sed intellectus est tale agens, & quando præmissæ adsunt cum assensu illarum, intellectus habet omnia requisita ad eliciendum assensum conclusionis; ergò necessariò ipsum eliciet.

IX. Aristot. textus non ipse sed ver. ipsi dicere videntur.

Dices: Si intellectus necessariò eliciet assensum conclusionis, non erit necessarius, nec possibilis aliquis habitus ad conclusionem eliciendam, sed hoc est contra communem, ergò. Probatur sequela, quia ad potentias naturales non datur ullus habitus. Sed &c. ergò. R. hoc argumentum non solum militare contra conclusionem, sed etiam contra assensus præmissarum & principiorum, si etenim naturalitèr judicat præmissas, gratis ponetur habitus, cum ad potentiam naturalem non detur habitus, ut argumentum asserit, cum tamen adversarii etiam admittant habitus principiorum, & si argumentum universalitèr concluderet, omnes omninò habitus intellectuales tolli deberent, cum omnes actus intellectus sint naturales. R. ergò secundò, quòd habitus tunc maximè serviant & utiles sint, cùm præmissæ ita clarè non disponuntur, nec ita evidentes & certæ apparent, tum ut intellectus facilè assentiat conclusioni extra præmissas propositæ per modum simplicis propositionis.

Probatur Conclusio secundò: XII. Si posset intellectus positis & concessis præmissis non assentire conclusioni, hoc deberet provenire ex eo, quòd voluntas distraheret intellectum ab assensu præmissarum, sed hoc fieri nequit, ergò. Probatur mi. Quia voluntas, aut distrahit intellectum in illo instanti, aut in alio, neutrum dici potest, ergò. Probatur mi. quia si distraheret illum in aliquo instante sequente, id fieret nimis tardè, quia jam præcessisset assensus conclusionis; nec in eodem & præsenti distrahere potest, quia jam concessit eam, aliàs non concederet præmissas. Sed pro Contraria sententia

Arguitur primò: Bonum non potest necessitare voluntatem necessitate exercitii; ergò nec verum poterit necessitare intellectum. R. negando consequentiam, quia voluntas est ex natura sua potentia libera, quæ positis omnibus requisitis ad agendum agere potest, vel non agere, non sic autèm intellectus, qui est potentia necessaria adeoq; positis omnibus requisitis ad agendum, necessariò agere debet. XIII. *Intellectus potest necessitari licèt non voluntas.*

Instatur. Quòd intellectus sit potentia necessaria, non sequitur, quin ab alio impediri possit; ergò quòd sit necessariò, non statim sequitur, debere eum agere positis omnibus requisitis: probatur ant. Potentia locomotiva est potentia naturalis, sed hæc potentia potest impediri à voluntate; ergò etiam intellectus, licèt sit potentia naturalis, poterit impediri. R. negando ant. cum consequentia probationis: quia quòd intellectus non possit impediri à voluntate non præcisè provenit ex eo, quòd sit potentia naturalis, sed quia est potentia naturalis, non subordinata quoad omnes suos actus voluntati, cùm in multis ipsam præcedat, & voluntatem manuducat ad volenda & imperanda, potentia verò locomotiva est simpliciter, quoad omnes suos actus subordinata voluntati, & nullo modo est cognoscitiva.

Arguitur secundò. Quando intellectus assentit his præmissis: *Omnis homo est animal, omne risibile est homo,* non necessitatur ad inferendam hanc conclusionem: *Ergò omne risibile est animal,* quæ est conclusio deducibilis ex illis præmissis in *Barbara*; ergò non necessitatur concessis præmissis inferre determinatam conclusionem; probatur ant. quia posset istam inferre; *Ergò aliquod risibile est animal,* quæ est deducta ex iisdem principiis in *Baralipton*, & hanc etiam non determinatè infert, quia posset inferre priorem & consequentèr non necessabitur, quia non est assignabile, ad quam potius præ altera necessitaretur. R. dist. ant. & antecedens probationis, si videat bonitatem consequentia in una & non in altera, nego ant. si non, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; intellectus nunquam necessitatur ad assensum conclusionis, nisi videat bonitatem consequentiæ, si ergò intellectus prius videat bonitatem consequentiæ in *Barbara*, necessitabitur ad assensum conclusionis in *Barbara*, si verò videat prius bonitatem consequentiæ in Baralipton, necessitabitur XIV.

sitabitur ad assensum conclusionis in Baralipton.

Instatur: Supponatur, quòd in eodem instanti videat intellectus bonitatem consequentiæ in utroq; modo, saltem tunc non necessitabitur ad unam conclusionem potius, quàm ad alteram, nempè non magis ad eam, quæ sequitur ex *Barbara*, quàm eam, quæ sequitur in *Baralipton*, ergò. R. quod tunc necessitabitur ad assensum conclusionis in Barbara, cum hæc conclusio sit magis evidens, utpote in modo directè concludente perfectè, & consequentèr movebit fortius intellectum, conclusio verò in Baralipton, cum sit indirecta non tàm fortitèr movet, quia quando intellectui proponuntur duo objecta, quorum unum est evidens, & alterum est minus evidens, tunc rapitur intellectus ab objecto evidentiori & fortius movente.

Urgetur. Hinc sequeretur, quòd intellectus possit assentiri præmissis & simul videre bonitatem consequentiæ, & tamen non necessitari ad assensum, ut patet in prædicto casu; ergò intellectus non necessitatur ad assensum visâ etiam bonitate consequentiæ; probatur sequela, quia tunc videtur bonitas consequentiæ in Baralipton, & tamen intellectus non necessitatur ad eam, ergò. R. dist. sequelam. Si intellectus non rapiatur ab objecto evidentiori & fortius movente, nego sequelam, si sic concedo sequelam, tunc etenim impeditur intellectus ab objecto fortius movente, ne eliciat assensum conclusionis inevidentioris. R. 2. Quòd quando intellectus in eodem instanti, videret bonitatem consequentiæ, utriusq; posito assensu præmissarum, quòd tunc intellectus necessitetur ad assensum utriusq; conclusionis eliciendum, vel saltem ad eliciendum assensum conclusionis evidentioris in primo instanti, & ad assensum minus evidentis in secundo instanti, qui assensus eliceretur in primo instanti, nisi ab objecto fortiori impediretur.

XV. **Arguitur tertiò.** Si sufficeret assensus præmissarum, ad assensum conclusionis. Sequeretur, quòd si quis assentiretur uni principio, necessariò deberet scire omnes conclusiones ex illo deducibiles, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia non esset ratio, quare potius ad unam determinaretur, quàm ad alias, cum omnes æqualitèr sequantur, ergò. R. negando sequelam, ad probationem dico, rationem esse, quia illud commune principium, ex quo plures deduci possunt conclusiones, applicatur & determinatur per subsumptionem, seu per propositionem, quæ dicitur minor, ut in exemplo patet isto, si quis diceret: *Omne animal rationale est vivens*, ex quo deducere posset tàm benè, quod Petrus sit vivens, quàm quòd canis aut cattus, nihilominùs si infertur, quòd Petrus sit vivens, determinatur per hanc subsumptionem, *sed Petrus est animal rationale*, ex quâ subsumptione determinatur posteà intellectus, ut inferat potius; Ergò Petrus est vivens, quàm quod inferat; ergò canis aut cattus est vivens. Sed

Instatur. In Enthymemate non potest conclusio determinari per subsumptionem; ergò nulla solutio; probatur ant. quia ibi nulla est, ergò. R. 1. dist. ant. non determinatur per subsumptionem explicatam, concedo, implicitam, nego ant. & consequentiam, & similitèr dist. ant. & negatur consequentia absolutè; unde R. negando consequentiam, quia nec de enthymemate hic agitatur quæstio, sed de integro Syllogismo, in quo formalitèr & explicitè duæ præmissæ præmittuntur, hinc tamen nec sequitur, quòd omnes conclusiones sequi debeant, quæ sequi possunt, quia deest determinatio ad omnes, unde una tantùm sequitur, quæ sequi deberet, apprehenditur ita, ut posito solo antecedente, intellectus non statim necesitetur ad inferendam conclusionem determinatam, propter antecedentis indifferentiam.

XVI. **Quæres,** An si sint præmissæ tantùm probabiles, & illis assentiatur intellectus, an tunc necessitent quoq; intellectum ad inferendam conclusionem? R. intellectum duplitèr posse considerare præmissas, eisq; assentiri, seu duplicitèr posse eas intellectui nostro objici: Primò modò, ut probabiles sunt, cum formidine actuali de oppositò, & sic si objiciantur intellectui non necessitant, eum ad inferendam conclusionem necessitate exercitii, quia tunc non cognoscit eas veluti absolutè & determinatè veras, nec est determinatus ad unam potius, quam aliam inferendam. Secundò modò præmissæ probabiles objici possunt intellectui, ut determinatè veræ sunt, sine formidine actuali de oppositò, & si sic intellectus apprehendat præmissas ut veras, necessitabitur necessitate exercitii ad inferendam conclusionem, quia intellectus vero ut vero non potest dissentiri, nec potest non assentiri, cum sit potentia naturalis à voluntate non impedibilis nisi indirectè.

XVII. **Quæres secundò.** An assensus Conclusionis, ita necessariò dependeat ab assensu præmissarum, ut nec naturalitèr, nec supernaturalitèr sine eo haberi queat? ad hoc respondeo Conclusione &

XVIII. **Dico 3.** *Assensus conclusionis etiam per potentiam absolutam est inseparabilis ab assensu præmissarum.* Ita Mast. disp. 11. Log. q. 5. n. 37. &c. Probatur, propria passio non est separabilis à suo subjecto etiam per potentiam Dei absolutam, ut dixi agendo de proprio, sed dependentia à præmissis est passio conclusionis, quâ conclusionis, & ipsi realitèr identificata, ergò.

XIX. **Dices:** Præmissæ sint causa efficiens conclusionis, sed certum est, quòd Deus possit supplere causalitatem causæ efficientis; ergò potest producere conclusionem sine præmissis. R. concessâ ma. dist. mi. Potest Deus supplere causalitatem causæ efficientis in absolutis, concedo, in respectivis, nego mi. & consequentiam. Conclusio autèm ut conclusio habet rationem respectivi ad præmissas.

DISPU-

DISPUTATIO IV.
DE POSTERIORI ANALYSI, &c.

Cur hæc materia intituletur de Posteriori Analysi, dixi satis in disputatione præcedente, unde hîc in ea agam de Demonstratione, quam, sicuti etiam omnem scientiam negârunt cum Academicis negavit tum Plato, tum Socrates, hic nihil omninò nos scire asserens, ille verò nostrum scire nihil aliud esse affirmans, quàm reminisci, unde docebat teste Laërtio, animas in corporibus existentes nullam de novo acquirere scientiam, existimabat itaq; quod animabus, antequam corporibus unirentur, fuerint concretæ & congenitæ omnes omninò scientiæ, habitusq; intellectuales, verumtamen ob unionem cum corpore hoc terreno & crasso ad quod ob delicta in summum Numen commissa, veluti ad atrum & tetrum carcerem damnatæ & inclusæ sunt, omnium omninò rerum fuerint oblitæ. Cujus etiâ opinionis fuit Pythagoras, ut D. Aug. lib. 12. de Trit. cap. 16. testatur, & eadem sententia tribuitur Origeni à Connimb. hic art. 1. Contra quos Authores talè & subtiliter suo modo disputat D. August. lib. contra Academicos, quod etiam prius breviter faciam & postmodum ad ipsam demonstrationem explicandam accedam. Sit itaq;

QUÆSTIO I.
An detur in nobis Demonstratio?

I. Delirium Antiquorum supra relatorum sustulit fides orthodoxa, nam tum Leo primus ad Episcopum Astericensem Tuburium, tum Concilium Bracharense primum capite sexto determinavit contrarium. Unde

Datur in nobis vera scientia de novo acquisita.

Dico 1. *Datur in nobis vera scientia & demonstratio de novo etiam pro hoc statu acquisita.* Ita Communis torrens Peripateticorum.

Probatur primò: Authoritate D. Augustini, qui tres libros contra Academicos composuit eorum errores refutando, cum quibus aliquando senserat, quare 1. Retract. 1. dicit: *Contra Academicos, vel de Academicis primò scripsi, ut eorum argumenta, quæ multùm ingerunt veri inveniendi desperationem ab animo meo, quia & me movebant, quantùs possem rationibus amoverem, quòd miserante Deo factum est*, libro itaq; 3. cap. 9. Sic habet contra eos arguendo: *Si vera est definitio Zenonis, nonnihil veri novit, qui vel ipsam novit, si falsa non debuit constantissimos commovere.* Et iterum in eodem capite: *Scimus eam definitionem* (id est sententiam) *Zenonis aut esse veram, aut esse falsam, non igitur nihil scimus*: Ex quibus authoritatibus desumo argumentum meum, pro conclusione sic: Quicunq; scit nihil in rerum natura posse de novo sciri, scit aliquid, scilicet hoc ipsum, quòd nihil sciri possit, sed Academici sciunt, ut ipsi adstruunt, quòd nihil possit sciri; ergò sciunt ad minus hoc unum; ergò omnis scientia non est simpliciter tollenda, unde Confirmo hoc idem ad hominem arguendo, vel Academici sciunt certò, & infallibiliter non dari ullam scientiam in nobis, vel nesciunt sic certò, si non ergò pertinaciter asserunt & defendunt, quòd ignorant: si verò cognoscunt; ergò in illis datur certa scientia & infallibilis.

Probatur secundò: Quia experimur in nobis multas cognitiones certas & infallibiles deductas ex legitimè dispositis & ordinatis præmissis de quibus nullam possumus habere dubietatem, ut quod mea manus non sit tanta, quantum est corpus, quia deducitur per veram hanc demonstrationem: *Omne totum est majus suâ parte, corpus est aliquod totum; ergò est majus quam sua pars*, qualis est manus & sic de pluribus aliis, quæ ex principiis primis deducuntur, ut quod quodlibet sit, vel non sit &c.

Probatur 2. pars Conclusionis: Quia defacto deducimus ex primis principiis de novo plures cognitiones, quas anteà ignoravimus; ergò datur in nobis scientia de novo acquisita. Confirmatur: Quia aliàs frustra & inaniter laborarent omnes Professores & Magistri cum suis discipulis.

Fit ex præexistente cognitione.

II. Dico 2. *Omnis nostra doctrina fit ex præexistente cognitione.* Ita Aristoteles hic capite 1. ubi in terminis hæc habet: Omnis doctrina omnisq; disciplina fit ex præexistente cognitione. Probatur: Quia omnis doctrina & disciplina, vel est de conclusione, vel de præmissis, vel saltem de ipsis terminis, si primum præcessit cognitio præmissarum etiam intellectiva: si secundum terminorum: si tertium sensitiva eorundem terminorum: benè tamen est notandum, quòd non dicam omnem cognitionem fieri ex alia cognitione intellectiva præcedente, sed vel ex hac, vel ex illa. Nec etiam requiro, quòd omnis cognitio præcedens debeat esse distincta, quia sufficit, quòd sit confusa, ut dum per sensitivam distinctè cognosco singularia, confusè cognosco universalia: hinc

III. Arguitur. Incontra, si præcessit in nobis cognitio eorum, sequeretur, quòd non esset opus adhibere adjutorium Magistri, consequens est falsum; ergò & illud, unde sequitur; probatur sequela, quia species cum intellectu sufficit ad cognitionem objecti etiam distinctam. R. negando sequelam. Ad probationem dico, quòd licèt species & intellectus sint causa totalis actus, tamen ut potentia exeat in actum, aliquando requiritur aliquid aliud tanquam conditio sine quâ non, scilicet doctrina Magistri, & hoc maximè quando tantùm habemus speciem in universali & in confuso, & hoc est, quòd communiter dicitur: quòd cognitio intellectiva procedat ab imperfecto ad perfectum, nempe à confusa ad distinctam & hæc solutio solvit dilemma Mænonis Philosophi, quod est secundum fundamentum Platonis,

quo oppresit Socratem, nimirum: quâ viâ investigabis Socrates id quod ignoras? si enim scis, non scis de novo; si non frustra laboras, quia etsi occurrat non cognosces, quia non investigamus, id quod ex toto ignoramus, sed quod ex parte ignoramus, & ex parte cognoscimus, id est confusè.

Instatur: Si illa cognitio, sive clara, sive obscura fieret ex alia præexistente, ista fieret iterum ex alia, & sic in infinitum, sed processus talis omninò est cavendus, ergò R. negando sequelam ma. quia datur status in cognitione sensitiva, quæ non prærequirit aliam sensitivam, vel intellectivam, & ratio, quia sensitiva habet sua objecta sibi proportionata, & intimè præsentia, secus est de intellectu, qui dependet à sensu pro hoc statu. Deinde intellectus, quia est discursivus, potest unum cognoscere per aliud, aliud est de sensu, qui non discurrit.

Urgetur. Sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus se habet ad intelligibilia, sed intellectus prærequirit aliam cognitionem; ergò etiam sensus & consequentèr non evitabitur processus. R. dist. ma. Quoad aliqua concedo, quoad omnia nego, & concessâ mi. nego consequentiam. Unde tantùm verum est, quod sicut sensus cognoscit sensibile, ita intellectus cognoscit intelligibile, & sicut una refertur in objectum prius ostensum, ita & altera, & in hoc est paritas, in alio tamen est disparitas, nempe quod intellectus discurrat, sensus minimè, intellectus dependet à sensu, sensus non tamen è contra.

IV. *Illa cognitio præexistens est sensitiva.*

Dico 3. *Omnis nostra cognitio intellectiva de rebus materialibus sit à præexistente cognitione sensitiva.* Hæc de se patet & Probatur: Quia ideò cœcus colorem sibi præsentem non intelligit, quia sensus non percipit, & hoc ideò, quia alligati sumus sensibus pro hoc statu viæ, à quibus intellectus dependet in operando.

V. **Dices:** Entia Rationis, negationes, privationes, relationes cognoscuntur ab intellectu; ergò omnis nostra cognitio intellectiva non dependet à sensibus. R. dist. ant. non cognoscuntur à sensibus directè, concedo, occasionalitèr, in quantum videlicèt cognoscuntur fundamenta eorum, quod sufficit, nego, unde non est necesse, ut omnis cognitio dependeat à sensibus, ita ut illa, quæ cognoscit intellectus, cognoscat directè semper, sed sufficit, quòd vel directè vel indirectè & occasionalitèr.

QUÆSTIO II.

Quid & quotuplex sit Demonstratio?

I. **Aristoteles** duas assignavit hîc cap. 2. Demonstrationis definitiones; Prima est, quòd sit *Syllogismus faciens scire*, & hæc definitio est desumpta ex fine demonstrationis, nam finis demonstrationis est generare scientiam. Secunda est, quòd demonstratio sit *Syllogismus constans præmissis primis, veris, immediatis, notioribus, prioribus causisq; conclusionis.* Circa quas definitiones nonnulli difficultatem movent, an sint bonæ? ad quod resolutivè

Dico 1. *Utramq; definitionem bonam esse.* II. *Approbatur definitionis demonstratio.* Hanc pauci inficiabuntur; & Probatur de prima: quia omni & soli competit: quod probat etiam secundam, & confirmat communis Peripateticorum consensus. Unde eam explico per singulas partes; TÒ *Syllogismus* ponitur loco generis, in quo convenit cum Topico & Sophistico, & per alias particulas ab iisdem differt: dicitur *verus*, quia, ut inquit Scotus, quòd scitur in demonstratione est verum, sed verum non potest sciri nisi ex vero, licet etenim ex falso aliquis syllogizare possit, & etiam licet aliquando ex falsis sequatur verum, non sequitur tamen veluti à sua causa, sed merè contingentèr ratione materiæ nempe; fallitas etenim nunquam est causa veritatis. Additur *primis & immediatis*, quæ pro synonimis accipiuntur, ita ut sensus sit, quod præmissæ debeant esse primæ & immediatæ, hoc est quod debeant esse indemonstrabiles à priori, & hoc formalitèr, vel virtualitèr: formalitèr autèm dicitur aliqua propositio indemonstrabilis, quando revera non est dabilis aliqua propositio, per quam à priori demonstretur, talis propositio est ista, homo est animal rationale; virtualitèr indemonstrabilis est illa, quando à priori quidem posset demonstrari, sed quia jam eam demonstravit ante, & ipsius recordatur, vocatur indemonstrabilis virtualitèr: Quod autem utraq; hæc indemonstrabilitas sufficiat, patet ex Philosopho 1. Topicorum, ubi ait: demonstrationem esse ex primis veris, aut ex iis, quæ immediatè deducuntur ex primis & veris. Dicitur *notioribus prioribus*: id est, quòd præmissæ debeant esse notiores & priores, notiores quidem, quia dependentèr à notitia præmissarum devenitur ad notitiam conclusionis, ita ut non possimus cognoscere conclusionem, nisi illæ prius cognoscantur, possumus verò eas cognoscere, quamvis nesciremus conclusionem, quotiescunq; autèm aliquid nequit cognosci nisi aliud cognoscatur, illud aliud verò potest cognosci, tunc illud dicitur notius esse, quia est facilius cognoscibile, quare inquit Doctor hîc, si aliquid sit minus notum, vel æqualitèr notum, non faciunt scientiam de ignoto: priores verò esse debent, quia ex iis procedimus ad conclusionem. Dicitur deniq; causis conclusionis, quia rem scire, est rem per causam cognoscere, adeoq; cum sciamus conclusionem per præmissas, præmissæ debent esse causæ conclusionis.

III. **Dices:** Hanc particulam superfluere vel illam, quòd *debeant esse priores*, quia omnis causa est prior suo effectu; ergò non erit bona. R. negando ant. quia ponuntur majoris claritatis gratiâ, quia Philosophus non proposuit eam veluti omnimodè rigorosam, sed tanquam explicativam naturæ demonstrationis, & hæc pro prima parte tituli.

IV. *Arist. de circulari demonstratione.* **Circa** secundam tituli partem sciendum, ipsum Aristotelem demonstrationem divisisse in demonstrationem *propter Quid*, seu à priori, & demonstrationem *quia*, seu à posteriori. Demonstratio *propter quid*, seu à priori est, cum aliquid demonstramus per causam, ut existentiam lucis per solem; vel per quasi causam, ut æternitatem Dei per illius immutabilitatem, aut voluntatem per intellectum, & in homine admirabi-

mirabilitatem, per animal rationale deducimus. Unde ad demonstrationem nobis & pro nostro statu sufficit, ut secundum rationem nostram unum sit causa, vel quasi causa alterius, ita scilicet, quòd ista duo sic se habeant, quòd si aliquam causam vel quasi causam haberet, haberet illud aliud pro causa. Demonstratio *Quia*, seu *à posteriori*, quæ etiam nonnunquam à signo dicitur, est, cum ex effectu, vel quasi effectu probatur existentia causæ, ut solem per lucem, immutabilitatem Dei per æternitatem, intellectum per voluntatem, & animal rationale per admirativum &c. Unde notandum per demonstrationem *propter quid*, seu *à priori & à causa* per causam non debere intelligi tantummodò causam Physicam moralem, vel Metaphysicam, sed etiam in cognoscendo, ut dixi: per demonstrationem verò *Quia*, seu *à posteriori & ab effectu* debere intelligi à posteriori *negativè* scilicet omnem eam quæ non est à priori, alioquin hæc: *Omne equum est animal hinnibile, Bucephalus est equus; ergò est animal hinnibile*, sub neutro membro contineretur, cum nec à priori sit, nec à posteriori & sic de aliis.

Controvertitur tamen inter Authores, an hæc divisio sit bona & adæquata, ita ut demonstratio à priori & posteriori specie distinguantur? Circa quam materiam duplex est sententia: Prima dicit demonstrationem *propter quid* esse veram demonstrationem, non tamen *Quia*. Ita sentit Simplicius, Mauritius, Complut. Conimb. Secunda asserit tàm demonstrationem *propter quid*, quàm *Quia*, veras esse demonstrationes, easq; specie distinctas. Ita Scotus, Mastrius, Compl. Rubius, Joan. à S. Tho. &c. cum quâ

V. *Divisio ista vera est.*

Dico 2. *Divisio demonstrationis in Propter quid & quia, vera est & adæquata, ita quòd Quia sit specie distincta à Propter quid.* Ita Authores pro secunda sententia citati & plures alii.

Probatur prima pars: Quia omnis demonstratio, vel est per causam, vel per effectum, seu per quasi causam, & quasi effectum, ita ut comprehendat omne, quod non est per causam; si primum est demonstratio *Propter quid*; si secundum est *Quia*; ergò demonstratio adæquatè dividitur in prælegata membra. Probatur adhuc si non esset bona divisio maximè: Quia demonstratio *Quia* non esset vera demonstratio, sed hæc est, ergò ma. est adversa; probatur mi. Si demonstratio *Quia* non esset vera demonstratio, non posset de Deo haberi scientia: sed de Deo habetur scientia, ergò. Probatur sequela: quia Deus à priori demonstrari non potest, sed à posteriori tantùm, scilicet per effectus & res ab ipso productas.

Probatur secunda pars primò Authoritate Aristotelis, qui 1. Post. t. 42. & 2. Post. t. 25. duplicem scientiam assignat, *Quia* & *propter quid*. Secundò, quia 1. post. t. 30. Aristoteles loquitur de demonstratione *Quia* tanquam de distincta *à Propter quid*; ergò est specie distincta, quod ulterius probatur: quia demonstratio *Propter quid* procedit ex immediatis & adæquatis causis, *Quia non sic*, sed tantùm ab effectu; ergò cum ex diversis procedant principiis specie distinguentur. Sed Contra Conclusionem.

Opponitur etiam authoritas Aristotelis 1. Post. cap. 2. ubi dicit: *Scire, esse rem per causam cognoscere*, sed demonstratio *Quia* non datur per causam; ergò non est vera demonstratio, quod Confirmatur, quia Aristoteles demonstrationem *Propter quid* simplicitèr tantùm vocat & appellat demonstrationem, ergò. R. Aristotelem ibi tantùm scientiam perfectissimam definivisse, non verò in communi, alioquin sibi contradiceret, cum postmodùm demonstrationem dividat in *Propter quid* & *quia*. Ad Confirmationem, concedo libentèr, quòd ita vocetur, quia est perfectissima, ex hoc tamen non sequitur, quod demonstratio *Quia* sit nulla, & *Propter quid sit sola*, sicut Deus dicitur Ens simplicitèr, per hoc tamen non excluduntur creaturæ à ratione entis similitèr substantia ab Aristotele vocatur simplicitèr ens, per hoc tamen non dicitur accidens non esse quoq; ens, licet creatura non sit tàm perfecta sicut Deus, & accidens sicut substantia.

VI. *Explicatur Aristoteles.*

QUÆSTIO III.

De Præcognitionibus & Præcognitis.

I. Quamvis hæc quæstio in priori disputatione examinanda fuisset, utpote quia communis est omnibus Syllogismis, nihilominùs cum communi hîc eam specialitèr pertractabo, sic etenim jam obtinuit usus. Quia ergò omnis cognitio intellectiva, ut dixi quæstione prima, sive sit comparata proprio marte, sive mediò Magistrò sit ex præcognitione aliqua, unde hîc quæram, quotnam sint præcognitiones & quot præcognita? per *præcognitionem* autèm nihil aliud intelligo, quàm notitiam illam, quæ prærequiritur ad demonstrationem, & per *Præcognita* illa, de quibus necesse est habere cognitionem. Unde ante Resolutionem

II. *De subjecto conclusionis quinq; quæstiones fieri possunt.*

Notandum, de subjecto conclusionis quinq; quæstiones fieri posse, verbi gratiâ, de homine: Primò, quid significetur per nomen *homo*, & est quæstio, *quid nominis?* ad quam respondetur, quòd natura humana: secunda, quâ quæritur *an sit* (id est objectivè) vel ut vult Scotus hîc quæst. 4. *quia est?* tertia: *quid?* & est quæstio, *quid rei?* ad quam respondetur, esse *animal rationale*; quarta *qualis sit?* & respondetur per passionem, *quòd sit risibilis*: quinta, quâ quæritur *propter quid sit*, scilicet *risibilis?* & respondetur propterea, quòd sit animal rationale; Advertendum tamen, quæstionem, *quid nominis*, reduci ad quæstionem, *quid rei*, & sic in universo non sunt nisi quatuor quæstiones de re, harum autèm quæstionum duæ præcognoscendæ sunt ante conclusionem, nimirum quid sit & an sit? & duæ postmodum per conclusionem cognoscuntur. Itaq;

III. *Tria debent præcognosci.*

Dico 1. *Tria de necessitate præcognoscenda sunt ante conclusionem demonstrativam, subjectum scilicet, passio seu prædicatum, & dignitas, seu præmissæ.* Ita Scotus 1. post. q. 4. Aristoteles & communis. Probatur: ut demonstrem aliquid de aliquo scientificè, debeo præscire illud de quo

demonstro aliquid, & hoc est subjectum conclusionis scientificæ, & illud quod de subjecto demonstro, & hoc est propria passio subjecti, seu prædicatum, & demum illud, per quod demonstro, & illud sunt dignitas, seu præmissæ, vel definitio subjecti: ergò.

IV. Dices: Medium debet præcognosci; ergò sunt quatuor præcognita. Item conclusio ergò. R. dist. ant. primum medium debet præcognosci tanquam præcognitum ab aliis distinctum, nego ant. tanquam in aliis inclusum concedo, & nego consequentiam, similitèr respondeo ad secundum de conclusione, vel si mavis R. distinguendo etiam ant. alitèr, conclusio debet præcognosci confusè, concedo, clarè & distinctè, nègo ant. & consequentiam.

V. *Sufficiunt duæ præcognitiones.* Dico 2. *Prædicta tria præcognita sufficientèr præcognoscuntur duabus præcognitionibus, scilicet præcognitione quid sit? & præcognitione quod sit, seu quia est.* Est Aristotelis & Scoti supra citati. Probatur: Quia, ut inferam conclusionem demonstrativam, sufficit, quòd sciam de subjecto, quid sit ens existens vel possibile, & quid sit ejus essentia, definitiones & passiones ac proprietates, & quid sint præmissæ, sed hæc præcognosco duabus præcognitionibus, ergò. Sed In contra

VI. Arguitur. Non est ulla ratio, quare ante conclusionem demonstrativam requiratur præcognitio, quid sit & quod sit, quàm præcognitio propter quod sit & qualis sit; ergò admittendæ sunt plures præcognitiones. R. negando ant. Ratio enim est, quia illæ duæ cognitiones habentur per ipsam conclusionem, verbi gratiâ, per hanc conclusionem; *Ergò homo est risibilis*, cognosco qualis sit, nimirum risibilis & propter quid, quia rationalis propter præmissas.

Instatur. Præmissæ debent prius præcognosci; ergò non cognoscuntur in Conclusione; ergò dabuntur plures præcognitiones; probatur, quia ad minus tot debebunt dari præcognitiones, quot sunt præcognita, sed præcognita sunt tria; ergò ad minus etiam tres præcognitiones; probatur ma. quia quodlibet præcognitum præcognoscitur præcognitione distinctâ, tum etiam quia tot sunt abstracta, quot sunt concreta, ergò. R. concedo primum ant. & distinguo conseq. ergò non cognoscuntur in conclusione cognitione propter quid nego, præcognitione quid sint, concedo consequentiam, & nego alteram cum probatione ma. ad cujus probationem dico, quòd quodlibet præcognitum non debeat particulari præcognitione præcognosci & distincta, quia cum præcognitio sit in intellectu, potest unico actu plura simul præcognoscere; vel si tibi difficile videtur. R. 2. & dic, quòd quidem tot sint in intellectu præcognitiones necessariò distinctæ, quot sunt præcognita, non sunt tamen tot præcognitiones in generali, quod præcognita in particulari, quod tantùm intendit conclusio, & hoc patet, nam de Syllogismo, passione & principiis potest haberi hæc unica præcognitio quod sit, seu quia est.

Urgetur. Accidens numeratur ad numerationem subjecti in quo est, sed præcognitio subjectatur in præcognito; ergò sicut sunt tria præcognita, ita etiam debent esse tres præcognitiones. R. negando mi. quia præcognitio non subjectatur in præcognito, sed in præcognoscente.

Dico 3. *De subjecto præsupponendum & præcognoscendum est quod sit, idq; ad minus objectivè, præterquam quando scientia acquiritur propriâ inventione & per experientiam, quia tunc de subjecto debet præcognosci non solùm, quod sit objectivè, sed etiam verè realitèr existat.* VII. *De subjecto quid debeat præcognosci.*

Prima pars patet & colligitur ex præcedentibus, quia nisi sciam hominem esse animal rationale, quomodo potero de ipso demonstrare magis risibilitatem, quàm hinnibilitatem.

Probatur secunda pars, scilicet quòd sufficiat præcognoscere ejus esse possibile, seu objectivè, quia de rosa in hyeme & Anti-Christo habentur scientiæ reales, & tamen non existunt.

Probatur deniq; tertia pars, quia quando scientia acquiritur per experientiam, ejus acquisitio dependet à sensibus, sed sensus non potest elicere actus nisi de rebus existentibus verè & realitèr, ergò.

Dico 4. *De Passione, seu prædicato non est necessarium præcognoscere quod est, seu quia est (id est in subjecto Conclusionis) aut quid est quoad quid rei, sed requiritur præcognoscere quid est, quoad quid nominis & confuse.* Ita Scotus 1. post. cap. 6. Aristoteles hic & communis & VIII. *Quid sub-stratum.*

Probatur prima pars, quia cognoscere passionem inesse subjecto conclusionis, cognoscitur per ipsam conclusionem demonstrativam; ergò non est necesse hoc præcognoscere antecedentèr.

Probatur secunda pars. Quia passio non ingreditur essentiam, seu definitionem rei; ergò non est necesse de ipso præcognoscere, quid sit esse rei?

Probatur tertia pars. Quia nihil potest demonstrari de aliquo, nisi prius cognoscatur, quid significetur per illud nomen, per quod significatur, aliàs quod esset omninò ignotum, posset de aliquo demonstrari.

Dixi in Conclusione, Intellige de subjecto conclusionis, quia de passione necesse est præcognoscere in præmissis ipsam inesse medio, cum sit semper in præmissis alterum extremum; ergò non excluditur à passione præcognitio quæcunque, *quia est*, sed sola præcognitio, quæ cognoscitur inesse subjecto conclusionis. IX.

Dico 5. *De Dignitatibus, seu præmissis tantùm præcognoscitur, quod sunt, seu quia sunt, nempe veræ.* Ita Scotus & Aristoteles hic. Probatur: quia non præcognoscitur quid sint, cum sint entia complexa, quæ non habent unam aliquam quidditatem, nec etiam quid nominis, cum unum nomen non habeant; ergò restat, præcognoscere tantùm quod sint veræ. Idem dic de medio, cum sit ipsa definitio, quæ ut talis non habet quidditatem, sed est ipsa quidditas. X. *Et quod præcog.*

Quæstio

QUÆSTIO IV.

An præmissæ debeant esse notiores, vel evidentiores Conclusione?

Hujus quæstionis occasio est illa particula *Notiores* in definitione demonstrationis ab Aristotele addita, quam licet supra explicando definitionem nonnihilum tetigerim, exactiorem tamen discussionem ad hunc remissi locum, unde nunc quæritur, an præmissæ debeant esse evidentiores, quàm sit conclusio, quæ particula licèt in definitione demonstrationis expresè non inveniatur, communitèr tamen, ut Connimb. notarunt, dicunt Authores, quando Aristoteles dixit: quod præmissæ debeant esse notiores, quòd per τὸ notiores intellexerit etiam evidentiores.

Circa titulum autèm quæstionis triplex est sententia: Prima dicit, Aristotelem voluisse præmissas esse notiores conclusione, antequàm conclusio inferatur, post illationem verò præmissas & conclusionem ejusdem esse evidentiæ & notitiæ, sed hæc sententia à veritate aberrat, quia prima principia ex se habent majorem evidentiam, quàm conclusiones. Secunda sententia dicit, principia formalitèr indemonstrabilia esse perpetuò notiora, sed virtualitèr demonstrabilia solùm antè illationem esse notiora, post illationem autèm esse æq; nota sicut conclusio. Tertia dicit: Præmissas tàm formalitèr, quàm virtualitèr indemonstrabiles esse semper notiores conclusione: pro quâ sententia rectè intelligenda

Notandum: Duplicitèr unum posse esse notius alio, videlicet in re & in modo; primo modo dicitur unum notius alio, quia connexio terminorum ejus est notior & evidentior connexione terminorum alterius, sic propositio per se nota, de quâ infra, est notior & evidentior omnibus aliis, quæ non sunt tales propositiones; quod clarè exemplificari potest in aliis qualitatibus, nam calor intensus, ut sex, excedit in re calorem, ut duo velut quatuor & sic de aliis. Secundo modo aliquid dicitur altero notius & evidentius, quatenus unum habet suam notitiam & evidentiam dependentèr ab illo altero sub ratione dependentiæ, & quod sic est notius & evidentius, potest, si secundum se præcisè & sine dependentia spectetur, minùs esse notum & evidens, & è contra illud, quod est sic minùs notum & evidens in se, potest esse notius & evidentius, prout contingit in iis demonstrationibus, in quibus conclusio est propositio per se nota & alia, quæ de se præmissis est notior. Hoc prænotato

Dico. ad q. *Præmissæ sunt semper notiores conclusione, quâ conclusio est, tàm ante illationem ejus, quam post illationem.* Prima pars est Scoti 1. post. q. 13. Pontii, Mastrii &c. Secunda D. Thomæ, Cajetani, Conimb.

Et probatur prima pars primò Ratione desumpta: Si præmissæ pro tunc non essent notiores conclusione, quâ conclusio est, ignotum esset æq; nobis notum & evidens, ac illud, quod est notum, sed hoc est inconveniens, ergò. Probatur ma. quia in illo priori antequàm inferatur conclusio, ipsa esset nobis actu ignota, id est actu non cognita & præmissæ notæ & evidentes; ergò si in illo priori præmissæ non sint notiores & evidentiores conclusione, ignotum erit æq; notum atq; illud, quod dicitur notum & evidens.

Probatur secundò. Illud est notius & evidentius altero, quod in se actu & evidentèr cognoscitur non cognito altero, nisi tantùm virtualitèr & in confuso, sed sic est in proposito, ergò.

Tertiò: In illo casu præmissæ nullam dant conclusioni evidentiam, & tamen in se ipsæ habent aliquam; ergò in illo casu sunt notiores & evidentiores conclusione.

Probatur secunda pars. Illud est V. minus notum minusq; evidens, quod habet suam notitiam participatam ab alio, & illud est magis notum, quod non habet sic suam evidentiam participatam & communicatam ab alio, quia nobilius & perfectius est, habere suam evidentiam à se. & eam non debere alteri, sed præmissæ habent suam notitiam & evidentiam inparticipatam eamq; non debent alteri, & conclusio quâ conclusio eam debet alteri; ergò præmissæ sunt notiores & evidentiores conclusione, quâ conclusio est, & hæc ut talis erit minus nota & minus evidens.

Dices: Quando conclusio est propositio VI. per se nota, vel principium per se verum & certum, tunc non habet suam evidentiam dependentèr à præmissis, sed ex se, & ex suis terminis; ergò falsum est, quòd conclusio habeat suam evidentiam participatam, & quòd eam debeat alteri, & per consequens, quòd præmissæ sint evidentiores semper conclusione. R. dist: primum consequens; ergò falsum est, quod conclusio quâ conclusio, nego conseq. quâ propositio, vel principium per se notum transeat, propositio itaq; ex præmissis deducta duplicitèr considerari potest, uno modo, ut est deducta, & sic necessariò est minùs nota, & evidens præmissis, secundo modo considerari potest, ut est propositio per se nota, & sic est notior præmissis, sed sic considerata non est conclusio, sed simplicitèr tantum propositio, vel principium per se certum.

Probatur secundò eadem pars. VII. Cognitiones principiorum & conclusionis sunt specie distinctæ; ergò cognitio conclusionis debet esse, aut perfectior præmissis, aut imperfectior, quia suppono, quòd nunc non dentur, vel saltem non sit certum, an dentur defacto plures species æqualis perfectionis, cum se habeant veluti numeri, quorum unus semper excedit aliud, sed Conclusio non potest esse certior & evidentior præmissis simul sumptis; ergò præmissæ erunt ipsâ certiores & evidentiores.

Conclusio Confirmari posset vulgato illo axiomate Philosophi: *Propter quod unumquodq; tale, & illud magis tale*, quod videtur habere locum in causis æquivocis, quando sunt capaces illius taleitatis sicut effectus, sed conclusio est evidentèr nobis nota propter præ-

missas; ergò ipsæ præmissæ sunt nobis magis notæ & evidentes, quàm conclusio. Verumtamen quia hoc principium difficultèr sustinetur, utpote cum nec universalitèr causis æquivocis, nec universalitèr causis univocis efficientibus applicari possit, nam propter solem est murus calidus, ita ut sol sit causa æquivoca caloris, & tamen ipse non est magis calidus, sicut etiam constringit lutum, & dissolvit butyrum & tamen ipse non est magis dissolutus & restrictus. Econtrà verò Ignis est causa univoca productivus ignis alterius & tamen axioma non habet locum, non enim sequitur: Ignis *B.* est propter ignem *A.* ergò ignis *A.* est magis talis, & sic de pluribus aliis; quare non videtur conclusio posse adæquatè ex illo axiomate deduci, quod si quis tamen vellet illud adhibere, posset dicere, quòd axioma habeat locum in causis æquivocis totalibus per se, & non in instrumentalibus & per accidens, præmissas etiam esse causas totales per se conclusionis, unde tres posset requirere conditiones ad illud verificandum: Primò quod debeat esse causa æquivoca non instrumentalis, sed principalis & efficiens. Secundò quòd illud, quod dicitur magis tale, sit causa per se & non per accidens. Tertiò ut illud in quo fit comparatio possit suscipere magis & minus. Verumtamen & his concessis non solvitur difficultas, quia præmissæ non sunt causæ principales, sed videntur esse potius instrumentales, cum sint Syllogismus, qui est modus & instrumentum sciendi. Quare dico, si axioma unquam universalitèr verum esse potest, id maximè esse in causa finali respectu mediorum, quia propter finem sunt media amabilia & delectabilia; ergò finis est magis amabilis & delectabilis. Itaq; Contra Conclusionem principalitèr sic

VIII. **Arguitur.** Si præmissæ sunt semper notiores conclusione, sequeretur, quòd tandem deveniretur ad aliquam conclusionem demonstrativam, quæ nullo modo esset nota, sed hoc est absurdum, ergò. Probatur seq. ma. quia si conclusio est minùs nota quàm præmissæ, conclusio ex hâc conclusione iterum illata, erit minùs nota quàm prima conclusio, & tertia iterum minùs nota quàm secunda, & sic deinceps; ergò cùm certitudo & evidentia ejus sit finita, poterit tandem per continuam detractionem exhauriri ex toto, & sic erit tandem conclusio, quæ nullo modo erit nota, declaro eam exemplo: si aqua sit calida ut septem, & aliquis detrahat ipsum unum gradum expellendo illum, & alius alium, citò venietur ad ultimum, quòd nullum amplius retinebit. R. negando ant. cum ante. Probationis, quia præmissæ habent suam veritatem à se, & non à conclusione, quâ præmissæ sunt, & ideò sufficit semper, ut dicantur magis notæ, quàm conclusio, quæ, quâ talis est, vera propter præmissas, unde non requiritur, ut habeant aliquem positivum gradum notitiæ ultra conclusionem. Et per hanc responsionem solvuntur etiam argumenta alia, verbi gratiâ, quod conclusione evidenti non potest esse ulla notior, aut evidentior, quia evidentia & certitudo sunt formalitèr relationes, quæ sunt indivisibiles intensivè & extensivè. R. ergò conformitèr ad dicta, præmissas esse notiores conclusione quâ tali, quia illæ à se, conclusio verò ab ipsis habet evidentiam.

Instatur. Conclusio quæ est propositio per se nota, habent evidentiam connexionis terminorum & evidentiam præmissarum; ergò non est minus evidens. R. negando ant. quâ conclusio est, quia quâ tali assentior tantùm propter præmissas, deindè casu quo habeat utramq; evidentiam, non facit contra Conclusionem, quæ loquitur tantùm ex suppositione, quòd sufficiat una.

Urgetur: Notitia Conclusionis demonstrativæ tàm specificatur à connexione objectiva extremorum, quàm à præmissis; ergò non potest non habere suam evidentiam à connexione objectiva extremorum tàm benè quàm à præmissis; ergò illi conclusioni, quæ est propositio per se nota, assentior propter utramq; evidentiam. R. dist. tàm specificatur ab utraq;, quæ est in se evidens, nego ant. quæ præscindit ab evidentia, & inevidentia transeat, & nego consequentiam, quia quando intellectus noster assentitur conclusioni evidenti, non curat de ista connexione extremorum, sed præcisè illi assentitur propter præmissas.

Replicatur. Potest intellectus ex imperio voluntatis assentiri conclusioni propter utramq; evidentiam, quia in hoc non apparet ulla repugnantia; ergò saltem in tali casu præmissæ non erunt notiores, & evidentiores conclusione. Propter hanc replicam est probabile, non sufficere, quòd præmissæ sint notiores conclusione, quòd conclusio habeat aliquam sui evidentiam à præmissis, benè tamen quandocunq; non accipit aliunde aliquam evidentiam, quàm à præmissis, de quo tantùm intelligitur conclusio, & idem est judicium de certitudine, quia licèt sit tàm impossibile extrema unius propositionis certæ, & necessariæ separari, quàm alterius, tamen si sufficiat, quòd conclusio habeat suam certitudinem à præmissis, & sit incertior præmissis certitudine essentiali, tamen potest assensus conclusionis esse certior certitudine accidentali, seu graduali, quàm assensus præmissarum, puta si intellectus ex imperio voluntatis firmius adhæreat conclusioni objectivæ, quàm præmissis, vel voluntas plus delectetur in objecto conclusionis, quàm præmissarum & sic detineat intellectum in continua speculatione conclusionis objectivæ, & de majori & intensiori perfectione accidentali, seu graduali, sic rem exemplifico: supponatur quòd albedo sit imperfectior, quàm calor in essentia, si tamen albedo intendatur usq; ad gradum septimum, & calor tantùm sit ut duo, albedo erit perfectior perfectione accidentali, seu graduali, & sic similitèr discurre de præmissis, & conclusione.

Arguitur 2. Præmissæ sunt duæ causæ IX.
naturales causantes conclusionem; ergò utraq; ipsi dat tantam perfectionem, quantam potest dare, quia naturalis causa agit secundum ultimum posse; ergò conclusio erit tàm nota quàm præmissæ, imò videtur quòd sit notior, quia quando effectus habet duas causas æq; perfectas, utraque suam perfectionem effectui communicat,

municat, & consequentèr erit perfectior; Ergò similitèr quando conclusio habet duas præmissas æq; perfectas tanquam causas, ipsa erit notior, cùm utraq; suam ei communicet notitiam. R. concedo ant. & negando consequentiam, quia licèt sint causæ naturales, ex hinc tamen non sequitur, quòd effectus sit æq; perfectus, quia intellectus est causa naturalis intellectionis, & tamen intellectio non est tàm perfecta sicut est intellectus. Et licèt habeat præmissas pro causis, quæ duæ sunt, non sequitur; ergò effectus est perfectior suâ causâ, maximè si erit causa totalis, cujus ratio assignabitur in Physica. Adde quòd præmissæ sint æquivocæ causæ respectu conclusionis, quæ nunquam producit effectum æqualem sibi in perfectione.

Instatur. Conclusio deducta ex duobus principiis revelatis, est æq; certa, ac sunt ipsa principia; ergò non semper principia & præmissæ excedunt conclusionem in perfectiore; probatur ant. quia illa conclusio est æq; de fide, ac principia. R. negando consequens, & probationem ejus, quia talis conclusio ex principiis deducta quâ deducta, non est æq; de fide ac præmissæ, nec sic credenda sicut sunt credenda principia.

Urgetur. Conclusio illa deducta est æq; revelata ac principia; ergò est æq; de fide ac principia: probatur ant. quia qui immediatè revelat duo principia, revelat etiam conclusionem illorum, ergò. R. negando ant. cum sua probatione. Ratio est: Quia causa conclusionis non sunt sola principia, seu præmissæ, sed etiam forma syllogistica, adeoq; ut conclusio sit de fide, & æq; revelata, deberent non solùm præmissæ, sed etiam forma syllogistica esse revelata, nondum autem compertum est, quòd forma syllogistica sit revelata, adeoq; non est dicendum, quòd quâ conclusio sit de fide. Plura redibunt in Theologia.

QUÆSTIO V.

An detur Regressus demonstrativus, ubi etiam de propositione per se nota.

I. *Definitur regressus demonstrativus.*

Regressus demonstrativus nihil aliud est: quàm processus, in quo processu illud, quod fuit demonstratum in una demonstratione, sumitur pro principio ad probandam aliquam ex præmissis, ex quibus ipsummet fuit demonstratum; ut si quis postquam demonstravit omnem hominem esse rationalem, quia omnis homo est risibilis, postea vellet demonstrare omnem hominem esse risibilem, quia omnis homo est rationalis, talem regressum negabant aliqui, alii tanquam rem inutilem rejiciebant. Contra quos

II. *Regressus dari potest.*

Dico: *Datur regressus demonstrativus, est q; scientiis utilis.* Ita Faber, Mastrius, Pontius &c. Conimb. & plures alii.

Probatur prima pars: Ibi est regressus, ubi per demonstratam conclusionem iterum demonstratur præmissa, per quam fuit ipsa conclusio demonstrata, sed tales demonstrationes dantur; ergò datur regressus demonstrativus. Probatur mi. hoc Syllogismo & exemplo: Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale; ergò omnis homo est risibilis, ubi per rationalitatem de homine ostenditur risibilitas, & potest iterum accipi risibilitas, quæ in conclusione est demonstrata pro medio, & per eam de homine demonstrare rationalitatem sic, verbi gratiâ, sumendo conclusionem illam pro prima præmissa, Omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis; ergò omnis homo est rationalis, ubi patet, quòd per conclusionem ante demonstratam demonstretur præmissa per quam conclusio demonstrabatur anteà; ergò datur talis regressus.

Probatur etiam secunda pars Concluſ. Quia hæc via ab effectu ad causam est nobis congenita à natura, ut ait Arist. 1. Phys. 1. & 1. Met. cap. 1. *& non nisi per hanc viam ex notioribus nobis fuerunt adinventæ scientiæ*, quare si deinde non liceret reverti à causa ad effectum, nullæ vel pauciſſimæ darentur scientiæ propter quid. Sed

Dices: Contra primam partem Concluſ. III. Præmissæ demonstrationis primæ sunt notæ evidentèr, & certitudinaliter intellectui ante secundam demonstrationem; ergò superfluè demonstratur per secundum; probatur ant. quia sunt notiores, quàm conclusio demonstrata; ergò conclusio demonstrata non potest esse principium ad demonstrandam ullam ex ipsis: Probatur consеq. Quia ut esset principium, deberet esse notius, & consequentèr notius, & ignotius simul, quòd est inconveniens. R. cum Pontio dist. consequens, ut demonstrata concedo, ut cognita alio modo, quàm per illam præmissam, quam demonstrat, nego consequentiam, & concessâ ejus probatione dist. ultimum consequens, esset notius & ignotius secundum diversas cognitiones, concedo, secundum cognitiones ejusdem rationis, nego consequentiam. Præmissæ ergò primæ demonstrationis essent notiores conclusione, quatenus conclusio non cognoscitur, nisi per illas, quatenus verò cognosceretur aliunde & propter eam sic cognitam, cognoscerentur præmissæ, esset notior præmissis. Sed

Quæres: An in omnibus modis trium figurarum possit admitti regressus demonstrativus? R. negativè, sed solummodo in *Barbara*, & cum termini sunt convertibiles, tunc dantur tales regressus demonstrativi, aliàs non, & præsertim in *Ferio* nulla præmissa potest circulariter demonstrari, nam major, quia universalis non infertur ex particulari, nec minor etiam potest inferri, quia affirmativa non infertur ex negativa, similitèr discurrendum de aliis. IV. *Non potest fieri in omnibus modis.*

Quæres 2. In quo regressus demonstrativus differat à circulo vitioso? R. quòd in hoc, quia in Circulo unum ex alio semper eodem modo infertur, in regressu verò demonstrativo non sic, nam una demonstratio est necessaria *propter quid*, & altera *quia*. V. *Differentia ejus à circulo vitioso.*

Circa quid ad secundam tituli partem spectat eam brevitèr expediam, quia ejus exacta discussio ad primum sententiarum pertinet, in quo VI. *Explicatur propositio per se nota.*

quo quæritur, an hæc propositio DEUS *est*, sit per se nota? Propositio igitur per se nota definitur à Scoto sic: *Propositio per se nota est illa, quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid ejus, ut sunt ejus, habet evidentem veritatem*, talis propositio est hæc: Idem non potest simul esse, & non esse, item totum est majus suâ parte. Ad propositionem autèm per se notam tres requiruntur conditiones. Prima est, quod circa propositionem per se notam impossibile sit mentiri, id est errare, nam cum ex terminis sit nota, non potest aliquis circa illam errare. Secunda, quòd propositio per se nota non sit demonstrabilis, & licèt quandoq; demonstretur, hoc tamen non petat ex natura sua. Tertia, quòd ex terminis sit nota, qui termini debent distinctè concipi & ob hanc causam hæc propositio DEUS *est*, viatoribus non est per se nota, quia illi termini non distinctè à viatoribus concipiuntur. Varro Propositionem per se notam divisit in per se notam actu, & per se noscibilem, sed malè, quia non requiritur ad propositionem per se notam, ut actu cognoscatur, sed solùm ut sit cognoscibilis: Malè etiam D. Thomas divisit propositionem per se notam ex natura sua, quæ non est per se nota nobis, & illam quæ ex natura sua est per se nota, & nota nobis, nam omnis propositio per se nota, cujus termini distinctè concipiuntur, est nota ex natura sua & nota nobis: Malè deniq; Thomistæ dicunt propositionem per se notam, aliam esse per se notam sapientibus, aliam per se notam minùs sapientibus, quia de ratione propositionis per se notæ est, ut sit nota omnibus distinctè terminos talis propositionis concipientibus, sed hæc pro nunc sufficiant de propositione per se nota.

VII. *Explicatur certitudo & evidentia.*

Quæres, Quid sit certitudo & evidentia? R. certitudinem esse firmam adhæsionem intellectus alicui propositioni, ita ut excludat omnem formidinem de opposito. Evidentia est quasi visio, seu visio objecti, est adhæsio intellectûs alicui propositioni, quæ non modò dubitationem & formidinem excludit, verùm etiam habet adjunctam claritatem, quæ intellectum determinat ad assentiendum. Hinc patet utriusq; distinctio, nam certitudo in actibus fidei reperitur summè certis, non tamen sunt evidentes, sed obscuri. Utraq; est triplex: Videlicet moralis, Physica, & Metaphysica; Moralis est illa, quæ licèt Physicè possit admittere formidinem de opposito, prudentèr tamen haberi non potest, quia non sine temeritate oppositum judicaretur, verbi gratiâ, affirmant jure merito sex octóve prudentes regulares, & probatæ vitæ viri se vidisse aliquam rem, illam faciunt moralitèr certam, & evidentè, quia sine temeritate judicari non potest, illos homines ad pejurandum convenisse. Physica est illa, vi cujus objectum ita proponitur, ut naturaliter non possit non ita se habere, licèt supernaturalitèr alio modo contingere non repugnet, hujusmodi est actus, quo ego judico substantiam existere, quia video accidentia, quæ sine subjecto naturalitèr conservari nequeunt, licèt supernaturalitèr absq; illis existere valeant. Metaphysica est illa, quâ objectum ita concludit, ut de potentia absoluta DEI non possit aliter se habere, ac per cognitionem repræsentantur; hujusmodi habent hæc principia evidentiam: Omne totum est majus suâ parte, & quodlibet est, vel non est, & omnes illæ propositiones, quæ ex istis principiis desumuntur.

DISPUTATIO V.

DE EFFECTU DEMONSTRATIONIS.

Disputatione præcedenti egi de demonstratione secundùm se, nunc agam de ejus effectu, qui est scientia, nam Aristoteles dixit, eam esse orationem facientem scire. Scientia autèm veluti effectus demonstrationis, duplex est, habitualis nempe, & actualis, scientia habitualis, nihil aliud est, quàm qualitas quædam relicta ex frequentibus actibus scientiæ actualis, facilitans intellectum ad alios similes actus sequentes, & inest, licet actu aliquis non syllogizet; actualis verò est ipsa cognitio, quâ aliquid actu scitur, & nunquam inest intellectui, nisi actu syllogisanti. Sit igitur

QUÆSTIO I.

Quid sit Scientia habitualis?

I. Experientiâ constat, in quolibet ex frequenti exercitio quorundam actuum inveniri quandam facilitatem, & promptitudinem ad similes actus iterum eliciendos, quæ facilitas à Philosophis habitus appellatur. De quo quæritur hîc, an in nobis ex scientiæ actualis actibus aliquis detur, & quid sit? ad quod

II. *Datur & describitur scientia habitualis.*

Dico I. *Datur in nobis scientia habitualis naturalis, qui habitus nihil aliud sunt, quàm quædam qualitates de prima specie qualitatis difficulter mobiles, disponentes subjectum non ad simpliciter, sed ad faciliter, & promptè, delectabiliterq; operandum ex frequentatione actuum acquisita in potentiis animæ.* Hæc est communis & Scoti 4. d. 6. q. 1. quòd autèm sit qualitas patet, quia cum sit aliquo modo activa, non potest ad aliud accidentis genus reduci: &

Probatur Conclusio quoad primam partem: Experientiâ etenim videmus homines usu acquirere facilitatem quandam agendi, quam prius non habebant; ergò aliquam formam de novo habent. Et quoad reliquas partes etiam patet, & clarius in Anmasticis, ubi ex professo agam de habitibus. Sed in Contra.

Arguitur

Arguitur. In potentiis externis per frequens exercitium producitur quædam facilitas, sed hæc facilitas non est habitus, quia in potentiis non admittuntur habitus, sed solùm impedimentorum amotiones; ergò à paritate licèt per actus frequentatos in intellectu reperiatur facilitas quædam, hæc non erit habitus, sed solùmmodò impedimentorum remotio. Ad hoc argumentum respondet Pontius, negando paritatem, & disparitatem assignat, quia in potentiis externis multa sunt impedimenta, quæ ut potentia facilitèr operetur, necessariò tolli debent, in intellectu autèm non sunt assignabilia talia impedimenta, sed hæc responsio non sufficit, in intellectu enim quoq; impedimenta sunt, cur post primum actum non tàm facilè assentior, quàm post secundum, & ista videntur ignorantiæ esse, oppositi errores, & opiniones pertinaces &c. Respondent ergò alii aliter, negando consequentiam, & ejus paritatem, quia ideò dicunt ipsi, in potentiis externis habitus non ponuntur, sed solùm impedimentorum ablatio, & remotio, quia cùm habitus sint qualitates, non est assignabilis ratio & causa, à quâ tales qualitates in manu producerentur, verbi gratiâ, impedimentum, quod est in manu Citharædi ad citò movendum digitos, amovetur per remotionem istius impedimenti per frequens exercitium, & nulla in manu producitur qualitas, quia non potest assignari causa, quâ eam produceret, non enim producit talem qualitatem plectrum, nec frequens chordarum tactus, ad Deum autèm frustra & hâc necessitate recurritur, nec est assignabile subjectum, in quo talis qualitas subjectaretur, secus autèm est discurrendum de intellectu cùm causa talium habituum sit assignabilis, nempe frequens exercitium, nempe actus frequentati. Fateor hanc solutionem bonam esse, si negetur, quòd in potentiis externis dentur habitus, verumtamen, quia hoc videtur esse contra manifestam experientiam, quare videtur mihi potius fatendum, nos nescire causam determinatam, quæ producat illum habitum, non esse tamen nullam, quam contrariari experientiæ, & ideò brevitèr respondeo, negando minorem, pluta in Physica. Sed

Instatur Visus, quia est potentia naturalis, non indiget habitu ad videndum, sed intellectus est potentia naturalis; ergò non indiget habitu. R. negando ma. præcisè, sed ideò visum non indigere habitu, quia talis potentia naturalis est distincta ab intellectu.

Urgetur. Hæc nulla est disparitas; ergò nulla solutio. R. negando ant. disparitas etenim est, quia visus objectum debitè sibi approximatum æq; perfectè, prima, secunda ac tertia videt vice, nec ullam facilitatem per plures actus videndi acquirit, intellectus verò licèt objectum debitè propositum sibi perfectè videat prima vice, experientiâ tamen constat, quòd si frequentius in idem objectum tendat, facilitatem quandam acquirere, quam non acquirit visus, & hoc modo respondent omnes, qui supra secundam dederunt solutionem, & disparitatem de membris externis, & intellectu, ut proinde non modicè mirer, quòd propter experientiam fateantur dari in intellectu, non verò in visu, quia in ipso non experitur aliqua facilitas, cùm ergò in membris ita manifesta reperiatur facilitas, qui negare audebunt, quòd non sit etiam in ipsis habitus.

IV. *Habitus intellectualis non est species intelligibilis.*

Dico 2. *Habitus intellectualis non consistit in specie intelligibili relicta ab actu, vel ab objecto & potentia simul in intellectu.* Est Scoti supra cit. & in 2. d. 3. q. 10. n. 11. Contra Rodericum & plerosq; antiquiores Thomistas, qui omnem habitum intellectualem in sensu explicato negant, & illud, quod nos vocamus habitus, vocant species objectorum.

Probatur Conclusio primò: Dantur in nobis habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis; ergò etiam naturales, ant. est certum. Probatur conseq. Quia ideò illi dantur, ut adjuvent potentiam ad operandum, cum hoc tamen discrimine, quòd supernaturales necessariò requirantur ad actus supernaturales, ita ut sine ipsis saltem de potentia ordinaria non possit potentia supernaturalitèr operari, naturales verò non sic, sed ad expeditius tantùm operandum necessarii sint, ergò.

V.

Dices: Licèt certum sit in nobis infundi fidem, spem, & charitatem, ut est de fide ex Trid. Sess. 6. non est tamen certum, quòd consistant in habitu. Sed Contra Doctissimi & gravissimi viri & Authores tenent esse de fide, quòd consistant in habitu, ut videre est apud Coning, & Scholasticos passim agentes de virtutibus supernaturalibus. Et Dato gratis, quòd non sit de fide, adeò tamen certum est, ut oppositum asserere sit temerarium.

VI.

Probatur Conclusio secundò: Species intelligibilis tàm perfectè acquiritur unico actu, quàm pluribus, ut experientiâ patet, sed habitus non acquiritur, tàm perfectè unico actu, quàm pluribus; ergò species intelligibilis non est habitus, verbi gratiâ, est certa & minor manifesta, quia habitus est facilitas ad operandum, quæ facilitas non uno actu, sed pluribus comparari debet.

Probatur tertiò. Habitus producitur ab artibus, & per consequens non est saltem ante primos, species autèm acquiritur ante actus in potentia etiam primos, cum sint causæ actuum.

Quartò. Species requiritur in potentia absolutè ad agendum, habitus autèm non nisi ad facilitèr operandum; ergò habitus non est species.

Quintò. Manent species in nobis quando non manent habitus, ut videre est in illis, qui nunc tenent aliquam sententiam, & per multos actus acquirunt habitum, & facilitatem ad eliciendos alios actus circa id objectum, postea tamen rationibus moventibus aliis mutant sententiam, & acquirunt habitum contrarium priori per contrarios actus, qui habitus destruit priorem, & tamen tunc manent species priores, tum quia possum recordari prioris sententiæ, tum quia species non habent contrarium

rium, species enim albedinis non destruit speciem nigredinis.

Sextò deniq;. In voluntate dantur multi habitus amoris, & odii, & tamen in voluntate nullæ sunt species intelligibiles, ergò. Sed in contra.

VII. Arguitur. Habitus ponitur in intellectu, ut intellectum determinet ad eliciendum actum, sed per species intelligibiles sufficientèr determinatur ad hoc; ergò superfluunt habitus. R. negando ma. habitus enim non ideò est, ut intellectum determinet, sed ideò ut promptè facilitèrq; eliciat actum, intellectus enim aliquando determinatur ab ipso objecto, aliquando à voluntate imperante non minùs, quàm à specie intelligibili, & nullus tamen dicit voluntatem & objectum esse habitus, ergò.

Instatur. Fides, spes, & charitas habitus sunt, & tamen non faciunt facilitèr, & promptè operari; ergò malè dicitur, quod habitus faciat promptè operari; quòd sint habitus patet ex dictis, quòd non faciunt promptè operari Probatur: Quia hæreticus hodie conversus non promptè credit, imò nec natus catholicus, ut patet. R. fidem, spem, & charitatem esse habitus supernaturales, qui non faciunt promptè, sed meritoriè operari, naturales autèm faciunt tantùm facilitèr operari, & hic non est sermo de supernaturalibus, sed naturalibus.

Urgetur. Omnis facilitas habitûs potest refundi in species impressas, quia si species ab initio sit remissa, intellectus patitur difficultatem in discurrendo, & si postea fiat intensa per alias species relictas ex variis actibus de subjecto, tunc intellectus nullam sentit difficultatem in operando, & illi gradus speciei non sunt simplicitèr necessarii ad operandum, sed ad facilitèr operandum; ergò cùm tunc objectum appareat clarum, quia illæ plures species trahunt intellectum ad operandum circa tale objectum; ergò non est opus habitu. R. ex hoc tantùm haberi, aliquam facilitatem intellectus posse refundi in species, non tamen omnem.

VIII. Dices: Scotus 2. d. 3. q. 10. dicit, non esse congruum ponere habitum in intellectu angelico, quia ipsius intellectus est determinatus per speciem, quia habitâ specie objecti, objectum est ipsi clarum prout est in se, ergò præter species claras, non est ponendus aliquis habitus distinctus in intellectu. R. Scotum tantùm velle dicere hoc supposito, quòd intellectus sit satis habituatus ad omnes actus suos de se.

QUÆSTIO II.

Utrum detur habitus principiorum, & quomodo distinguatur a scientifico?

1. Aristoteles hic cap. 8. de principiis sic loquitur: *Illa autèm in unoquoq; genere esse dico, quæ fieri nequeunt, ut esse demonstrentur.* Id est, quòd illud, quod est principium, non potest demonstrari à priori, quando est propositio immediata, vel saltem hoc non exigat, non verò quòd non possit, ut dixi supra de propositione per se nota. Notandum ergò principia esse duplicia, universalia, & particularia, seu propria; universalia sunt, quæ ad multas scientias acquirendas inserviunt, talia sunt, *quodlibet est, vel non est, si æqualia ab æqualibus demas, æqualia remanent totum est majus sua parte* &c. particularia sunt, quæ unicuiq; scientiæ sunt propria, quale est illud in Logica, *omnis Syllogismus debet constare tribus propositionibus*, in Physica *omne constans materia & forma est corruptibile.* Circa titulum quæstionis autèm quadruplex est sententia, prima dicit nullum in nobis dari habitum principiorum, tàm universalium, quàm particularium ab ipso intellectu distinctum. Ita Durandus, Scotus &c. Secunda admittit principiorum habitus, sed negat eos nostris actibus acquiri, sed dicit primo instanti creationis nostris animis infundi, ita D. Thomas 1. p. q. 83. art. 2. ubi vocat habitus principiorum naturales, prout naturale distinguitur à libro, & contingente, & clariùs in 3. d. 23. q. 1. art. 2. ad primum, ubi sic dicit: Sicut naturalis habitus datur in creatione, ita infusus in reparatione. Tertia dicit dari habitum principiorum, sed particularium tantùm, non verò universalium. Quarta deniq; asserit dari habitum principiorum tàm universalium, quàm particularium, qui nostris quoq; actibus acquiruntur. Ita Scotus 3. d. 8. q. 12. n. 6. & d. 35. n. 2. Cum quo nunc

Dico 1. *Datur in nobis habitus principiorum tàm universalium, quàm particularium.* Ita Scotus loco cit. & in 2. d. 39. q. 2. n. 4. quem sequitur Tartaretus, Lichetus, qui etiam asserunt eos augeri nostris actibus. Probatur utraq; pars simul: Experientiâ constat, intellectum ex frequenti exercitio acquirere facilitatem assentiendo his principiis, sed talis facilitas non est aliud, quàm habitus acquisitus per frequentes actus, ut patet in aliis habitibus; ergò vel nullus datur habitus, vel datur habitus principiorum. Probatur consequentia: Quia ideò à posteriori colligimus, dari habitum scientiæ, quia experimur, nos post multos actus facilius præbere assensum conclusioni, quàm ante, sed idem currit in principiis, nam dum primò illa apprehendimus, non statim illis cum tanta facilitate assentimur, etsi talia principia sint propositiones per se notæ, sicut post multos actus, ut patet in rustico, qui non statim assentitur cum omni facilitate huic propositioni, totum est majus suâ parte, sed cum aliqua difficultate, postea autèm per frequentes actus gignitur aliqua facilitas, quâ habitâ cum omni promptitudine assentit istis principiis, cum quâ non assentiebat ante; Adverte tamen me non dicere, quòd iis non possit quis assentiri sine habitu, sed dico, quòd non possit cum tanta facilitate sine habitu, cum quanta potest cum habitu.

Dico 2. *Habitus principiorum non sunt nobis congeniti; sed per actus nostros acquisiti.* Ita Aristoteles 6. Eth. 3. & 6. ubi dicit: habitus principiorum fuisse intellectui superadditos; & Probatur Conclusio ratione: Si habitus essent nobis congeniti, essent omnibus à paritate, sed non sunt congeniti omnibus; ergò nulli, major patet, quia quod est à natura, nulli denegetur; minor etiam patet in his, qui acquirunt

runt habitum contrarium negantq́; prima principia, quales erant antiqui quidam Philosophi teste Aristotele. Secundò, si habitus essent nobis congeniti, non experiremur à principio aliquam difficultatem assentiendo primis principiis, quod falsum, experientia probat.

IV. Dices: Deus non creavit naturam destitutam principio suarum actionum naturalium, cùm Dei perfecta sint opera, sed habitus principiorum sunt talia; ergò Deus non creavit naturam destitutam his. R. 1. Quòd si argumentum valeret, probaret etiam, quòd species essent nobis congenitæ omnium rerum, vel concreatæ, quia sine illis intellectus non potest alicui assentiri, quod est falsum. R. 2. negando ma. Deus enim perfectè creavit naturam, licèt non concreaverit illi hos habitus, sufficit enim, quòd dederit illi principium activum, intellectum videlicet, per quem potest mediante suo labore propriè acquirere omnes habitus naturales, qui non sunt necessarii ad simplicitèr operandum, sed tantùm secundum quid, seu ad facilius & promptius, & si quando dicunt Sancti Patres, habitum principiorum practicorum esse ipsum lumen naturale, per hoc intelligunt ipsum intellectum practicum.

V. *Probabile est habitu principiorum naturaliter destrui habitum conclusionis, sed non è contra.*

Dico 3. *Probabile est destructo habitu principiorum, naturaliter destrui habitum conclusionis, sed non è contra.* Prima pars probatur: Assensus conclusionis quâ talis, nequit esse sine principiis, vel præmissis, vel saltem secundùm alios sine recordatione eorum; ergò nec facilis assensus sine facili assensu principiorum; probatur consequentia, quia sicut motus equitationis non est nisi à motu equi, ita nec motus velox, vel facilis equitationis sine motu veloci, vel facili equi. Item si veritas præmissarum sit dubia, vel obscura, etiam conclusio erit talis; ergò si difficilis erit assensus præmissarum, difficilis erit etiam conclusionis, si facilis, facilis paritèr.

VI. Arguitur. Theologus qui incidit in hæresin, est tàm facilis in discurrendo Theologicè quàm anteà, sed in illo casu non habet habitum principiorum; ergò habitum conclusionis; ergò potest esse habitus conclusionis sine habitu principiorum, ma. experientiâ patet; minor verò probatur, quia per hæresin amittitur habitus principiorum supernaturalium, consequentia est bona. R. Theologum, qui incidit in hæresin amittere habitum principiorum supernaturalium, & habitum conclusionis supernaturalis, quòd autèm tunc promptè, & æquè facilitèr argumentetur, non provenit ex habitu conclusionis Theologicæ, sed ex habitu naturali, nam nullus Theologus semper elicit conclusiones Theologicas, sed etiam naturales, tunc videlicet, quando conclusiones ex præmissis non fide divina, sed humana creditis, sunt.

Instatur. Casu quo talis Theologus semper assenserit conclusioni, tantùm propter præmissas fide divina creditas, tunc post lapsum sentiret aliquam facilitatem in discurrendo; ergò saltem tunc maneret habitus conclusionis supernaturalis. R. Talem Theologum non posse habere aliquam facilitatem Theologicam, sed si habet aliquam, illa proveniet ab aliis habitibus Logicis videlicet, vel Physicis.

Urgetur. Quòd sit in me habibus conclusionis, sine habitu præmissarum, nihil obstat, quàm quòd sim facilis circa conclusionem, & non circa præmissas, sed hoc non sequitur; ergò potest esse habitus conclusionis sine habitu præmissarum; minor probatur, dantur habitus, qui nunquam facilitant, vel exeunt in actum, ut sunt habitus fidei in Christo, & modò est in beatis, item habitus Physici & Metaphysici, quos hic in via viri docti acquisierunt, & defacto retinent, qui nunquam facilitant illos amplius, cùm omnia in verbo videant. R. negando ma. & dico cum Scoto 3. d. 31. n. 7. inconveniens est dari habitū, qui nunquam exeat in actum, unde in Christo Domino nunquam fuit habitus fidei, quia ab instanti conceptionis comprehensor fuit, nec defactò est in beatis, cùm clarè Deum videant, claritas autèm, & obscuritas ad invicem esse non possunt. Item in viris doctis non sunt amplius habitus Physici vel Metaphysici rerum, quas clarè vident, esto forte sint rerum, quas in verbo non vident, & sic fortè Christus, & beati habent habitum fidei respectu objectorum non visorum in Patria.

VII. *Sunt habitus distincti.*

Dico 4. *Habitus principiorum distinguitur ab habitu scientifico conclusionis.* Ita Scotus supra in secundo his verbis; Ad tertium dico, quòd per habitum principii tenditur in principium secundùm propriam veritatem, quam habet ex terminis, & per habitum conclusionis tenditur in conclusionem secundùm propriam veritatem, quam habet ex terminis à veritate principii, & primo loco sic ait: aliam evidentiam habet principium ex propriis terminis, & aliam conclusio ex suis alterius rationis, licèt ista evidentia sit causata ab ista, & potest esse alius habitus respectu hujus, & illius, qui respicit formalem veritatem hic & ibi. Sed

VIII. Dices: Intellectus sufficientèr determinatur ad assensum conclusionis per habitum principiorum; ergò superfluit alius habitus de conclusione distinctus ab habitu principiorum: probatur consequentia, quia ad nihil deservit. R. 1. argumentum æq; probare, quòd assensus actualis principiorum sit idem realitèr cum assensu conclusionis, nam assensus principiorum determinat conclusionis tàm benè imò multò meliùs, quàm habitus principiorum; ergò si hoc non obstante assensus principiorum distinguitur ab assensu conclusionis, etiam habit⁹ ab habitu. R. 2. negando consequentiam, & ejus probationem, nam non ideò habitus ponitur in potentia, quia est determinata, vel non determinata ad agendum, aliàs vix admitteretur habitus, sed propter difficultatem, quam sentit potentia in eliciendo actum, patet autèm, habitum conclusionis facilitare ad assensum conclusionis, licèt per præmissas sit intellectus determinatus ad agendum.

QUÆSTIO III.

An Scientia habitualis sit una & quomodo?

I. *Alia scientia est universalis alia particularis.*

Duplex est Scientia habitualis, una partialis, totalis altera; scientia partialis est habitus inclinans ad assensum scientificum de objecto partiali alicujus scientiæ totalis, verbi gratiâ, habitus inclinans ad assensum scientificum de Syllogismo, aut modo sciendi. Scientia totalis est ex omnibus habitibus partialibus alicujus scientiæ aggregatum, talis est Logica, Physica, quæ in se continet omnes habitus partiales Logicæ, vel Physicæ. Quæstio ergò hæc non agitatur de scientia actuali, an sit una, quia certum est eam esse qualitatem simplicem & indivisibilem, cùm non distinguatur ab ipso actuali assensu Conclusionis, sed de scientia habituali, eaq; totali. Circa titulum quæstionis

Numerantur sententiæ.

prima sententia est D. Thomæ 2.q. 54. art. 4. & Thomist. asserentium, habitum totalem alicujus scientiæ totalis esse qualitatem simplicem, & omninò indivisibilem, non obstante diversitate specificâ objectorum & actuum, pro quo supponit D. Thomas cum suis, habitum posse augeri dupliciter intensivè, & extensivè. Intensivè, quando in eadem parte subjecti acquirit plures partes per additionem unius partis ad aliam, non secus ac calor, dum in eadem parte subjecti, verbi gratiâ, ligni acquirit plures gradus: Extensivè perficitur, quando ad plures conclusiones, vel objecta se extendit, licèt in se maneat simplex & unicus, non secus ac calor, qui se extendit ad plura calefactibilia, ait autèm D. Thomas, quòd quando aliquis acquirit scientiam unius conclusionis per demonstrationem, statim habet habitum, sed imperfectè, quando autèm posteà acquirit scientiam alterius conclusionis, non generari in eo novum habitum, sed tantùm priorem intendi, ita ut, qui primo fuit imperfectior, per illum alterum perficiatur, & sic de cæteris conclusionibus, sed hæc sententia refutabitur, & quidem quoad habituum intensionem spectat, cùm illam admittant, consequentèr loqui videntur, nam notum est illud D. Thomæ & Thomist. quòd qualitas non intendatur per additionem unius gradus ad alium in eadem parte subjecti, sed per majorem, ut loquuntur radicationem; ergò quando in præsenti casu dicunt, intendi habitum per additionem unius gradus ad alium gradum, non consequentèr loquuntur. Secunda opinio est Scoti 1. d. 4. & in Met. lib. 6. q. 1. n. 18. asserentis scientiam totalem non esse unam simplicem qualitatem, sed esse aggregatum ex pluribus partialibus habitibus specie distinctis, quem sequuntur sui, & Nominales ac Recentiores passim, cum quâ ad quæst.

II. *Scientia habitualis non est simplex qualitas.*

Dico. *Scientia totalis habitualis non est una simplex qualitas, sed aggregatum ex pluribus specie distinctis.* Est Scoti supra & in Prologo. q. 3. n. 5. & in 3. d. 25. q. 2. art. 3. & Probatur rationibus Doctoris, primò ex Ratione ejus in Met. supra. Secundùm D. Thomam & suos, actus naturaliter est generativus habitus per hoc, quòd naturaliter sui similitudinem relinquat in passo, sed eorum, quæ differunt specie sunt diversæ similitudines naturales, maximè quando agunt secundùm proprias rationes; ergò quanta est differentia actuum, tanta est differentia habituum. Probatur secundò ratione Doct. supra in 1. Duo individua ejusdem speciei non exigunt necessariò duas causas totales diversæ speciei, sed habitus scientiæ totalis necessariò exigunt duas totales causas; ergò non sunt ejusdem speciei; major probatur discurrendo per singula individua ejusdem speciei, nam duo calores, duæ albedines non exigunt necessariò duas causas totales diversæ speciei. Probatur mi. Quia habitus necessariò exigunt produci ab actibus ejusdem speciei, quos ipsi iterum producere possunt, sed actus de diversis specie objectis partialibus specie distinguuntur, nam actus distinguuntur penes objecta; ergò & habitus, qui necessariò exigunt produci ab his actibus, & sic idem numero simplex habitus, non exigit necessariò produci à diversis specie causis, seu specie actibus. Probatur tertiò: Si habitus scientiæ totalis esset unicus & simplex, sequeretur, quòd qui haberet habitum scientificum demonstrandi passionem de Syllogismo, verbi gratiâ, nihil ignoraret in tota Logica, sed esset facilis ad omnes aliàs conclusiones scientificas in Logica, quod si verum esset, nequaquàm contingeret, quòd tàm frequentèr nonnulli, qui manum applicarent ad aratrum, tàm citò se reciperent retrò, nec in Academeiis Neotericorum tot Logicam ad clavum suspenderent, & clavam, vel potius stivam apprehenderent, probatur sequela, quia iste unicus habitus est, qui facilitat ad omnes alias conclusiones æqualiter secundùm Thomistas; ergò si aliquis haberet unicum habitum partialem de Syllogismo, esset facilis ad omnes alias conclusiones in Logica eliciendas.

IV.

Dices: Hoc non sequi, quia potest esse III.
scientia de una conclusione scientiæ totalis, & ignorantia, & error de alia, quia ille simplex habitus nondum se extendit ad illam aliam conclusionem, circa quam est error. Sed Contra 1. Vel ille habitus, qui primò tendit in Syllogismum, verbi gratiâ, & posteà in propositionem, necessariò tendit in propositionem, vel non tendit, neutrum dici potest in sententia Adversariorum; ergò &c. non primum, quia si necessariò tendit in propositionem, debet necessariò tendere in ipsam in omni instanti in quo tendit in Syllogismum, alioquin non necessariò tenderet in propositionem, ergò in V.
omni instanti in quo est habitus scientificus de Syllogismo, erit etiam de propositione, & per consequens posito habitu scientifico de Syllogismo, implicat esse errorem de propositione in sententia Adversariorum, quod est jam probatum: Nec etiam secundum, quia inconveniens est, habitum posse formaliter tendere in aliquid, in quod possit non tendere, cùm sit naturalis causa agens secundum ultimum posse, nisi impediatur, & consequentèr tendit in quodlibet, in quod potest tendere. Dixi formaliter, quia habitus tendens formaliter in objectum primarium scientiæ totalis, tendit virtualiter in omnia inclusa in illo objecto. Contra secundò: Non est imaginabile quomodo habitus limitatæ

mitatæ virtutis,& activitatis idem numero manens, possit se extendere ad tot diversos specie actus,verbi gratiâ,habitus inclinans me ad hunc assensum, Omnis oratio in quâ quibusdam positis, aliud ex his &c. possit etiam tendere in hunc assensum, propositio est oratio unius de alio entintiativa. Unde si vera esset opinio illa, frustra juventus tot annos in Scholis teneret vestes & scamna, quia per unam horam forte unum simplicem habitum possent acquirere, qui valeret ad totas scientias comprehendendas. Sed

IV. **Arguitur 1.** Idem habitus specie supernaturalis potest producere actus specie diversos, habentes etiam specie diversam difficultatem, verbi gratiâ, fidei; ergò etiam naturalis quilibet alius cujuscunq; scientiæ. R. negando consequentiam, disparitas est, quia habitus infusi non producuntur per actus suos physicè, nec ullo modo ad facilitatem instituti sunt, secus est de naturalibus per actus acquisitis.

Instatur. Etiam idem habitus naturalis potest inclinare ad diversos specie actus; ergò nulla solutio. Probatur ant. quia, qui acquisivit habitum circa unam conclusionem, facilius deinde cognoscit secundum, sicut qui scit cantare unam cantionem, faciliùs deinde cantat secundam, ergò. R. negando ant. cujus prob. ant. dist. cognoscit facilius secundam, per facilitatem inclinantem determinatè,nego ant. inclinantem indeterminatè, concedo ant. unde idem habitus per concomitantiam juvat potentiam ad actum secundum diversæ rationis, quatenus in ratione generica convenit cum actibus propriis illius habitus.

Urgetur. Habitus cujuscunq; scientiæ totalis, debent habere aliquam unitatem, sed nullam potius quàm simplicem,ergò. Probatur ma. quia quælibet vocatur una. Probatur mi. debent habere majorem unitatem, quàm habitus aliarum scientiarum; ergò debent habere unitatem simplicem, quia alias omnes scientiæ habent unitatem aggregationis & ordinis, ergò. R. negando mi. cum consequentia probationis ad cujus rationem dico, quòd omnes quidem scientiæ habeant unitatem aggregationis in ordine ad subjectum, non tamen omnes habent unitatem aggregationis in ordine ad objectum.

V. **Arguitur 2.** Si habitus scientiæ totalis non esset una simplex qualitas,nulla scientia esset una, & sic nec Logica, nec Physica esset una,sed hoc est inconveniens, ergò. Probatur ma. Quia juxta nos quælibet scientia totalis habitualis, est aggregatum ex pluribus habitibus specie distinctis, partialibus tamen, sed hoc aggregatum non potest dici quid unum, cùm sit specie multiplex,ergò. R. cum Aristotele 1. post cap. 23. scientiam totalem habitualem dici unam ab unitate sui objecti, nam si objectum sit aliquid genericum includens alia plura, vel per modum causæ,vel per alium ordinem, ut ait Scotus, scientia erit generica, si specifica,scientia erit una species similiter.

Instatur. Multæ sunt scientiæ, quæ non habent pro objecto aliquid unum, aut specie, aut genere, sed omnia disparata ut Theologia, quæ habet pro objecto Deum, sacramenta virtutes,&c.quæ nullo modo sunt unum,aut genere,aut specie. R. Illa omnia, quæ considerantur in Theologia reduci ad Deum, & sic Deus erit objectum adæquatum, & attributionis in Theologia, cætera autèm erunt objecta partialia, quæ tamen etiam reduci debent ad objectum totale.

QUÆSTIO IV.

Quomodo corrumpatur habitus scientificus?

Suppono habitum supernaturalem infusum non posse à nobis corrumpi, nam cùm habitus supernaturales infusi sint,termini creationis erunt etiam termini annihilationis, & per consequens,sicut à Deo solo creari possunt, ita etiam ab ipso solo poterunt annihilari,quare tantùm controvertitur de habitibus per nos acquisitos vel acquisibiles, dico acquisibiles, quia licèt Deus mihi,verbi gratiâ, aut alicui alteri infunderet habitum Logicæ, ille poterit corrumpi per habitum contrarium, quia ille non est supernaturalis quoad substantiam, licèt sit supernaturalis quoad modum, quo acquisitus fuit. Itaq; I. *Habitus infusi à nobis non corrumpuntur.*

Dico 1. *Actus oppositus corrumpit habitum scientiæ efficienter, in quantum scilicet producit habitum oppositum, verbi gratiâ opinionis, qui formaliter opponitur scientiæ.* II. *Actus oppositus corrumpit habitum.*

Probatur Conclusio: Illud rectè dicitur destruere aliud effectivè, quod effectivè producit aliquid incompatibile cum illa re destructa, sicut sol dicitur effectivè destruere frigus in manu,quia in ea producit calorem, ergò.

Dico 2. *Habitus naturalis nunquam corrumpitur, aut destruitur formaliter, & immediatè nisi per habitum oppositum.* III. *in simul cum habitus.* Probatur: Habitus non expellitur formalitèr, & immediatè per cessationem ab actu, ut experiètiâ patet,nisi occasionativè; nec per hoc quod corrumpatur res scita, quod probo, quia in hyeme datur scientia de rosa, licèt rosa sit corrupta quoad existentiam,corruptio enim quoad existentiam rei scitæ non sufficit ad hoc, ut corrumpatur scientia, sed deberet corrumpi quoad essentiam, hoc autèm fieri nequit, ergò: Nec per hoc quod moriatur sciens, scientia corrumpitur, quia in anima separata manent habitus scientiarum: Nec deniq; quod sciens obliviscatur conclusionis, quia nulla est oppositio inter habitum, & conclusionem ejus.

Probatur Conclusio secundò. IV. Ideò præcisè corrumperetur habitus, quia in tempore, quo est oblivio, non est assensus præmissarum,vel conclusionis in intellectu,sed hæc ratio nulla est, quia aliàs quotiescunq; intellectus averteret se ad alia objecta ab actuali consideratione conclusionis, perderet habitum ante acquisitum, & idem dicendum de oblivione

medii demonstrationis. Et quod per se non corrumpat, utrumq; tenet Scotus 6. Met. ubi admittit aliquem, dum addiscit secundum librum Geometriæ, posse admittere prius scita in libro primo, & tamen cùm hoc retinere habitum, quem habuit in primo libro, sed per scitum intelligit conclusionem, & eadem prorsus est ratio de oblivione medii, ac conclusionis, ergò. Dixi per se, quia oblivio medii potest esse causa per accidens destructionis habitus scientiæ, in quantum scilicet potest quis tempore oblivionis elicere actus opinativos, seu erroneos, qui actus concurrant ad suos habitus formaliter oppositos, & incompatibiles habitui scientiæ, & idem dic de Conclusione. Restat ergò tantùm probare, quòd non per actum oppositum, quod sic præsto: Quia non corrumpit nisi in quantum producit habitum oppositum, sed hoc non est destruere formaliter, & immediatè, ergò ma. patet. Quia actus oppositus est compatibilis cum habitu scientiæ, ut patet in eo, qui habet habitum fidei de hoc quod Deus sit, & potest habere actum scientificum de eodem, & in eo qui acquirit habitum intensissimum opinionis de hac propositione, homo est risibilis, & postea acquirit actum scientificum de eodem: mi. probatur quia aliàs sol producens calorem in manu mea esset causa formalis expulsionis frigoris, quod nemo somniavit. Sed

V. Opponitur Authoritas Aristotelis hic cap. 6. ubi assignat quatuor causas corruptionis habitûs, primam destructionem rei scitæ, secundam interitum scientiæ, tertiam oblivionem conclusionis, & quartam oblivionem medii. R. Aristotelem tantùm velle, quòd per illa quatuor destruatur scientia quoad actum, non verò quoad habitum, & ita exponunt eum Theophrastus, Themistius &c. Vel etiam si intelligit aliquid de habitu, dici potest, quòd non destruant formaliter, sed tantùm occasionativè.

QUÆSTIO V.

Quid sit scientia actualis propriè dicta, & an sit de ejus essentia certitudo, & evidentia?

I. Plura, quæ hic præmitti deberent, jam tradidi in summulis; unde supponendo varias scientiæ acceptiones, & conditiones

II. *Describitur scientia actualis.* Dico 1. *Scientia ut sic, prout est communis scientia à priori & posteriori est cognitio certa, & evidens alicujus necessarii, causata per discursum Syllogisticum.* Probatur, quia constat genere & differentiâ, nam ly cognitio ponitur loco generis, cætera loco differentiæ, per ly *certa* excluditur opinio, per ly *evidens* fides tàm divina, quàm humana, quæ licet, id est divina, maximè certa sit, non est tamen evidens: per ly alicujus *necessarii* excluditur cognitio cujuslibet contingentis, etiam si sit certa & evidens: per ly *discursum Syllogisticum* excluditur quæcunq; cognitio etiamsi sit certa & evidens, ac de objecto necessario, quæ non est acquisita per talem discursum. Sed Incontra

III. Arguitur. De ente mobili quâ tali potest haberi scientia, quia secundùm nonnullos ens mobile est objectum Physicæ, sed mobile quâ tale potest se alitèr habere; ergò scientia non est de objecto, quod se potest alitèr habere, & consequentèr malè dicitur in definitione alicujus necessarii. R. transeat ma. de quâ in Physica dist. mi. quoad terminum ipsius mobilitatis, seu ipsum motum, concèdo mi. quoad ipsam mobilitatem, nego mi. Unde sciendum, ens mobile posse comparari ad ipsam mobilitatem, vel ad terminum quem acquirit ipsa mobilitas, sicut homo potest comparari ad risibilitatem, vel ad terminum risibilitatis, seu ipsum risum, si consideretur ens mobile ad ipsam mobilitatem non potest se alitèr habere respectu ejus, quia necessariò est mobile, ac proinde de ipso, quâ mobile potest haberi scientia, si verò comparetur ad terminum mobilitatis, potest alitèr se habere, sed de ipso, ut sic non habetur scientia.

VI. *Definitur scientia prior.* Dico 2. *Scientia à priori propriè dicta benè definitur à Philosopho 1. Post. cap. 2. quod sit Cognitio certa, & evidens, alicujus necessarii per suam causam necessariam acquisita per discursum syllogisticum.* Cognitio ponitur loco generis, cætera loco differentiæ, per ly *suam causam necessariam* excluditur scientia à posteriori, quæ non est per causam, sed per effectum, item causa contingens, seu libera alicujus necessarii tale enim causatum, licèt sit necessarium, quia tamen non per causam necessariam excluditur à ratione scientiæ propriè dictæ. Cæteræ particulæ explicantur eodem modo, sicut in priori, nec de his ulla est particularis difficultas.

V. Dico 3. Tàm certitudo, quàm evidentia est de essentia scientiæ. Ita Connimb. Contra Albertum M. & alios Thomistas quantum ad evidentiam est; etiam ipsius Scot. q. 3. Prol. n. 26. & alibi, quæstione tamen citata sic ait: *Ad primum dico, quod quatuor includat scientia propriè dicta, primò quòd sit cognitio certa, id est absq; deceptione & dubitatione: secundò, de cognito necessario, seu objecto: tertiò, causata à causa evidenti: quartò, applicata intellectui per discursum syllogisticum.* Et has quatuor conditiones requiri, patet ex definitione data.

Probatur Conclusio primò: Ex D. Bernardo Lib. 5. de Consid. cap. 3. ubi dicit: *Intellectus* (id est scientia) *habet veritatem nudam & apertam, verus nempe intellectus certam habet non modo veritatem, sed etiam veritatis notitiam. Intellectus est rei cujuspiam invisibilis certa & manifesta notitia*, per quæ non modo probatur conclusio, sed etiam benè definitur & declaratur, quid sit scientia. Probatur ratione: Aliqua conditio ex quatuor enumeratis est de essentia scientiæ; ergò omnis: probatur consequentia, quia non est major ratio de una, ac de altera, cùm omnes æqualiter posuerit Atistoteles in definitione.

Probatur secundò: Conclusio deducta ex præmissis probabilibus est probabilis, ex obscuris obscura; ergò deducta ex certis & evidentibus erit certa & evidens, ab omnimoda paritate; subsumo, sed præmissæ debent esse certæ & evidentes; ergò etiam conclusio ex illis deducta.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De Subalternatione scientiarum.

I. De Scientiarum subalternatione agit Aristoteles hic 1. Post. cap. 9. quales ferè omnes Doctores dari fatentur, unde per subalternantem illam intelligunt, quà sub se aliam continet, quæ verò sub alia continetur, subalternata dicitur: Potest autèm hæc continentia scientiarum, seu subalternatio tripliciter intelligi. Primò ratione finis, quando videlicet finis unius subalternatur fini alterius, sic subalternatur ars frœnifactoria equestri, & equestris militari, quia finis unius subordinatur fini alterius, artis frœnifactoriæ est finis in frœnum, & inseruit equestri & equestris finis subordinatur militari. Secundò ratione principiorum, quando nimirum principia subalternatæ sunt conclusiones, demonstratæ in subalternante, & sic Medicina subalternatur Physicæ, quia principia Medicinæ possunt demonstrari in Physica. Tertiò Ratione objecti, quando scilicet objectum unius continetur sub objecto alterius. Quòd adhuc dupliciter fieri potest, primò quando subjectum subalternantis contrahitur ad objectum subalternatæ per differentiam accidentalem, ut numerus contrahitur ad numerum sonorum, qui est objectum musicæ, numerus verò in se arithmeticæ: secundò quando sic contrahitur per differentiam essentialem, ut corpus mobile, quod secundùm multos est objectum Physicæ, contrahitur ad corpus cœleste, quod multos objectum est scientiæ de cœlo. De his ergò tribus modis quæritur, qui nam sufficiat, ut una scientia dicatur subalternata alteri, & altera dicatur subalternans. Ad quod

II. Non sufficit quod unum objectum contineatur sub alio.

Dico 1. *Ut una scientia sit subalternans, & altera subalternata, non sufficit, quòd objectum unius contineatur sub objecto alterius.* Ita in re Scotus q. 3. Prologi & quæst. 4. lat. n. 29. ubi dicit: objectum Theologiæ contineri sub objecto Metaphysicæ, nam Deus continetur sub ente, & tamen secundùm Scotum & alibi, Theologia non subalternatur Metaphysicæ.

III. Debet etiam extrema propria à subalternante.

Dico 2. *Ultrà subordinationem objecti requiritur ad scientiam subalternatam, quòd dependeat à sua subalternante in sua evidentia, seu quod accipiat suam evidentiam, & principia à subalternante, ita ut principia subalternatæ, sint conclusiones demonstratæ in subalternante.* Est Scoti supra quatenus dicit, quòd *ibi incipit subalternata, ubi definit subalternans.* Et Probatur Conclusio quælibet, & maximè conclusio demonstrativa dependet in sua evidentia à suis præmissis, sed conclusiones demonstratæ in subalternante sunt præmissæ subalternatæ; ergò conclusio demonstrata in subalternata dependet in sua evidentia à subalternante; major & minor patet. Probatur consequentia: Quia à quocunq; dependent præmissæ, dependet etiam conclusio, sed præmissæ subalternatæ dependent à præmissis subalternantis, cùm conclusio subalternantis, quæ est una ex præmissis subalternatæ, essentialiter dependeat à suis præmissis, sic ars chyrurgica demonstrat vulnus rotundum esse difficulter sanabile, nam chyrurgus assumit unam pro præmissa conclusionem demonstratam à Geometra, nam hæc est demonstratio Geometrica, ut habet Scotus: Omnis circulus habet latera æqualiter distantia, sed omne vulnus rotundum est circulus; ergò omne vulnus rotundum habet latera æqualiter distantia, tunc accedens Chyrurgus facit hanc demonstrationem: Omne vulnus rotundum habet latera æqualiter distantia, sed omne vulnus habens latera æqualiter distantia, est difficulter sanabile; ergò omne vulnus rotundum est difficulter sanabile. Et quòd non sufficiat ad scientiam subalternatam, ut accipiat sua principia ab alia, & non evidentiam, sic probatur & suadetur, quia Theologia nostra secundùm Scotum & veritatem, non subalternatur Theologiæ Beatorum, & tamen Theologiæ nostræ principia possunt demonstrari à Theologia Beatorum, etiam à priori, verbi gratiâ, hoc principium nostræ Theologiæ: Omne revelatum à Deo est verum, non beatus ex aliquibus principiis intuitivè visis potest hanc propositionem demonstrare & sic in Theologia beatorum potest esse conclusio, quæ in nostra est principium, requiritur ergò ulterius, quòd accipiat suam evidentiam à subalternata, quod cum repugnet Theologiæ nostræ, quæ ex se est obscura, non subalternatur Theologiæ beatorum, nec ulli scientiæ.

IV. *Debet etiam objectum contrahi per differentiam aliquam accidentalem.*

Dico 3. *Requiritur etiam ut objectum scientiæ subalternatæ contrahatur per differentiam aliquam accidentalem.* Hæc esse videtur satis Communis, ejusq; sensus est, quòd licèt scientia subalternata habeat idem objectum cum subalternante, in ea tamen illud objectum per accidentalem aliquam differentiam posse modificari debet. Probatur: Scientia subalternata debet tàm benè constituere unam scientiam totalem, quàm subalternans, sed si subalternata non contraheret suum objectum per differentiam accidentalem, non posset constituere unam scientiam totalem; ergò probatur minor, quia quandocunq; contrahitur aliquod objectum per differentias essentiales, vel per proprietates, illæ possunt reduci ad illud objectum adæquatum, veluti aliquid sui, ergò tunc erunt potius partes unius scientiæ quàm diversæ; Quòd autem differentia accidentalis verè diversificet, patet, de Chyrurgia, & Geometria, &c. Medicina, & Physica. Sed incontra

V. Arguitur. De Ente per accidens non potest haberi scientia, sed si objectum contrahitur per differentiam accidentalem, erit ens per accidens; ergò de eo non poterit haberi scientia. R. Quòd quando dicitur objectũ scientiæ subalternantis contrahi per differentiam accidentalem, non intelligitur ea differentia, quæ facit verè unum per accidens, sed eam quæ non constituit novam aliquam speciem.

Instatur. Saltem aliquando differentia contrahens facit unum per accidens ex subjecto subalternantis, quia sonorus contrahens numerum ad objectum musicæ, facit ens per accidens respectu illius; ergò tunc saltem erit scientia de ente per accidens. R. negando consequentiam. In tali enim casu scientia subalternata dupliciter potest repræsentare objectum, quod in se est ens per accidens, primò quòd habeat differentiam pro contrahentem objecto, vel

vel ipsam naturam, contractam, & differentiam pro ratione, sub quâ, vel pro conditione. Secundò ut demonstret passiones, tàm de differentia, quàm de objecto contracto, ut unum eorum habeat pro objecto primario, & aliud pro secundario sicut scientia, quæ est in recto de superficie, in obliquo est de linea, & quocunq; modo consideretur, & respiciat objectum, non erit de ente per accidens, quia ens per accidens importat plura in recto, quorum neutrum est in potentia per se ad alterum.

DISPUTATIO VI.

IN LIBROS TOPICORUM.

Pauca hic dicenda restabunt, cum plura eaq; tunc necessaria in Summulis præmiserim, dicuntur autèm Libri Topici, seu de discursu probabili, quem faciunt fides humana, & opinio. De quibus pro complemento, tum hujus partis, tum totius Logicæ hic breviter aliquid dicam. Itaq; sit

QUÆSTIO I.

Quid sit fides & opinio, & quomodo inter se distinguantur?

I. Fides tum in sacra Scriptura, tum à Patribus frequentèr scientia vocatur, nam apud Job. 19. v. 25. sic habetur: *scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum,* & D. August. lib. de Doct. Christiana ait: *Non verendum dicere nos scire, quæ idoneis testibus novimus.* & 15. de Trinit. 12. à Doctore relatus, *absit ut scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum, alioquin nesciremus esse oceanum, nesciremus esse terras, atq; urbes, quæ celeberrima forma commendat;* verumtamen non est scientia propriè dicta, sed est *assensus determinatus alterius partis contradictionis propter auctoritatem, & testimonium dicentis.* Dicitur: *Assensus*, in quo cum scientia convenit, & aliis notitiis, seu necessariis, seu probabilibus: dicitur *determinatus*, in quo distinguitur à dubio & suspicione, quia dubium, & suspicio faciunt, ut in neutram partem fiat determinatio, sed maneat simpliciter anceps, & in judicio suspensus: per particulam verò *propter authoritatem & testimonium dicentis*, distinguitur tum à scientia, tum ab opinione, à scientia quidem, quia illa habet evidentiam, & quia fit propter rationes necessario, & intrinsecè connexas, non sic fides; tum ab opinione, quæ licèt etiam innitatur motivo probabili, illud tamen est intrinsecum propter connexionem prædicati cum subjecto, fidei verò motivum est extrinsecum, scilicet testimonium alienum. Et quia hoc testimonium est duplex, unum divinum, & infallibile, seu supernaturale & infusum, iterum est fallibile creatum, & humanum, imò etiam angelicum, ideò etiam fides est duplex, scilicet *divina*, & *humana* inter quas hoc potissimum est discrimen, quia fidei divinæ simpliciter non potest subesse falsum, quia innititur testimonio Dei, qui nec fallere, nec falli potest, unde quoad certitudinem, quàm maximè accedit ad scientiam, imò eam superat, licèt quoad evidentiam è contra deficiat; Eam describit D. Paulus ad Heb. 11. sic: *Fides & sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et D. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 3. dicit, quod sit *Voluntaria quædam certa prælibatio, nec dum propalatæ veritatis.* Fidem humanam confundit frequentèr Aristoteles cum opinione, ut 2. de An. 157. & 1. Rhet. cap. 4. & 4. Top. loco 67. ubi etiam inter loca topica eam enumerat, verumtamen malè, nam ut utar verbis D. Bernardi paulò ante citati gratiosè scientiam à fide & opinione distinguentis: *Omnino in hu cavenda est confusio, ne aut in certum opinionis figat, aut quod firmum fixumq; est fidei opinio revocet in quæstionem, & hoc sciendum, quòd opinio si habet assertionem temerariam est, fides si habet hæsitationem infirma est. Opinio est quasi provero habere aliquid, quod falsum esse nescias.* De quâ proinde etiam quæritur, quomodo ab opinione distinguatur, quia certum est, divinam distingui propter certitudinem summam, & infallibilitatem.

Describitur fidei.

II. Opinio *Benè describitur, Quòd sit cognitio, seu assensus determinatus alterius partis contradictionis, cum formidine alterius, seu de oppositi.* Quæ descriptio communiter in Scholis recipitur, licèt Aristoteles eam aliter definierit 1. Post. cap. 24. l. 44. quòd sit assensus immediatæ propositionis, non verò necessariæ, verumtamen non est tàm clara sicut prior, imò potius est descriptio principiorum probabilium, non verò conclusionis probabilis, & etiam Aristotelem non plus ibi intendere, patet ex contextu. Dicitur itaq; opinio Cognitio, in quo convenit cum scientia & aliis notitiis, sive claris & obscuris, seu probabilibus, aut necessariis. Reliquæ particulæ explicantur, sicut superius in definitione fidei, præter ultimam, scilicet de formidine de oppositi, quia licèt intellectus propter rationes urgentes, se determinet ad assensum, ista determinatio tamen non est ita fixa & stabilis, ut non habeat tamen adhuc pensi aliquam formidinem de altera parte, & per hoc distinguitur à scientia, quæ est sine ulla prorsus formidine, ex eo quòd objectum sit necessarium, ut non sit possibile, quòd se possit aliter habere; opinionis verò objectum est variabile, ita ut se posset aliter habere, ideò semper adest formido, & licèt aliquando etiam sit circa objectum necessarium, non tamen modo necessario, quia adhibet tantùm medium probabile, & dialecticum, quòd potest in probatione deficere, ita ex uno vel altero capite est formidini obnoxia. Et hæc satis dicta puta esse pro prima parte tituli. *Pro secunda resolvenda*, duplex est senten-

Describitur opinio.

sententia: Prima dicit omnem fidem humanam & opinionem esse ejusdem speciei, ita Soto Masius, &c. Secunda verò docet fidem, quæ est cum evidentia attestantis, & veritatis, id est, quando est evidens, homines fide dignos talem rem attestatos esse, & ipsum perevidens est, ipsos verum dicere, fidem esse specie diversam ab opinione, aliàs verò esse ejusdem speciei. Ad quod resolvendum

III. *Fides & opinio distinguuntur.*

Dico 1. *Fides humana, & opinio distinguuntur specie.* Ita Connimb. hic q. 1. cap. 26. art. 2. &

Probatur primò: Actus & habitus distinguuntur specie, quando rationes formales movendi, vel assentiendi distinguuntur specie, sed in opinione & fide rationes movendi, & assentiendi distinguuntur specie; ergo etiam fides & opinio: ma. probatur, quia non aliunde colligimus fidem humanam, & divinam distingui specie. Probatur mi. tum authoritate D. Bernardi, qui lib. 5. de considerat. cap. 3. ait: *Intellectus* (id est scientia) *rationi innititur, fides authoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur,* tum quia ratio formalis assentiendi, respectu fidei humanæ, est testimonium hominis, opinionis verò est aliqua ratio probabilis.

Probatur secundò: Nihil repugnat uni individuo alicujus speciei, quod non repugnat omni individuo ejusdem speciei, sed aliquid repugnat opinioni, quod non repugnat fidei humanæ; ergò probatur minor, quia opinioni repugnat omnimoda certitudo ex parte actûs, non sic autem fidei humanæ, quia quando creditur aliquid ob determinationem Pontificis, vel alicujus Concilii Generalis, tunc est omnimoda certitudo & tamen est secundũ quid & in modo motivum humanum, ergò. Confirmatur: quia fides habet tantùm principium motivum extrinsecum, opinio verò habet intrinsecum, scilicet ipsam probabilem connexionem cum objecto, ergo. Sed in Contra

IV.

Arguitur: Fides humana & opinio sunt æquales in certitudine & evidentia; ergò non distinguuntur specie: ant. probatur, quia aliquando confirmamus fidem humanam per rationem probabilem, & è contra; ergò sunt pares in certitudine. R. dissimulato antecedente, cujus probationis ant. nihil probat, nam sæpè per rationes probabiles, tanquam per res nobis magis notas confirmamus illa, quæ in se sunt certissima, verbi gratiâ, articulos fidei, sed ut dixi, quidquid sit de antecedente, nego consequentiam; licèt enim fides & opinio sint æquales in certitudine & evidentia, tamen diversificantur species penes motiva formalia specie distincta, quod sufficit ad eorum specificam distinctionem, patet enim, quòd intra latitudinem ipsius opinionis, possint dari duæ opinionis species diversę, si habeant pro motivo formali duas rationes probabiles diversas, licet sint æquales in certitudine & evidentia, sicut possunt dari duæ scientiæ species diversæ, quæ habent duo species diversa motiva formalia, ergò à pari.

Instatur: Possum assentiri testimonio humano propter rationem probabilem, quia possum assentiri dictis Petri, quia est syncerus & verax homo; ergò tunc dabitur assensus fidei humanæ, qui etiam erit opinio. R. illum assensum esse opinionem tantùm, quia non est propter authoritatem Petri.

Urgetur. Supponatur, quòd assentiam Petro, tàm propter authoritatem ejus, quàm propter rationem probabilem simul. R. etiam tunc esse actum opinionis, quia motivum opinionis debilius movet, vel si fides debilius movet, erit actus fidei. Imò potest dici: quòd sit actus alterius speciei planè distinctæ à fide, & opinione, nec hoc mirum videri debet, quia conclusio Theologica, quæ innititur uni præmissæ fidei, & alteri naturalitèr notæ non est assensus naturalis, nec fidei, sed medius specie distinctus, scilicet Theologicus.

Dices: Rationem hujus esse, quia præmissa fidei non est motivum proximum conclusionis Theologicæ, sed sola illatio, & consequentèr magis debet imitari naturam hujus, quàm illius, assensus autem in casu posito non proximius innititur authoritati Petri, quàm rationi probabili, nec è contra. Sed Contra, assensus Theologicus, licèt innitatur immediatè illationi naturali tanquam motivo proximo, tamen specie ab ea distinguitur propter distinctionem specificam propositionis fidei, cui innititur, tanquam motivo remoto; ergò etiam si innitatur ipsi proximè, & immediatè. Deinde ratio potiùs est in oppositum, nam si iste assensus non proximius innitatur authoritati Petri, quàm rationi probabili, & è contra; ergò non magis debet esse fidei humanæ, quàm opinionis, & è contra, & consequentèr distinguetur specie ab utraque, cùm assensus Theologicus proximius innitens motivo naturali, adhuc ab eo specie distinguatur. V.

Restat nunc explicare difficultatem eam, quâ quæritur, num formido sit de essentia opinionis, pro cujus majori intelligentia notandum, formidinem opinionis esse duplicem, una est formido actûs, alia formido potentiæ: formido actûs est ipsa fallibilitas actûs vel cognitionis, cùm enim motivum cognitionis seu opinionis sit fallibile, hinc ipse actus est fallibilis: formido potentiæ tunc accidit, quando intellectus judicat aliquid esse verum cum timore, & formidine de oppositio, cujus obvia exempla habemus in viris timoratæ conscientiæ, dum judicant aliquid esse licitum, cum timore tamen operantur metuentes, ne fortè sit illicitum. Alii explicant brevius has duas formidines, unam quæ est potentiæ, formalem appellant, quia revera potentiæ ineſt; illam verò quæ est ex parte actûs, radicalem vocant, quia est actus talis, qui in se habet negationem certitudinis, ita si supra ipsum reflectatur, deprehendetur, quòd talibus innitatur principiis, quæ falsitatem simplicitèr non excludant, quidquid tamen sit de nomine, ad Rem VI.

Dico 2. *Formido, aut incertitudo potentiæ non est de essentia opinionis, formido verò, vel incertitudo actûs, vel est de essentia, vel est proprietas ejus & modus intrinsecus.* Idem dic de fide humana; Et sensus est, quod non formalis formido sit de VII. *Formido non est de essentia opinionis.*

essentia fidei vel opinionis, sed solùm radicalis. Prima pars est Aristotelis expresse 7. Eth. c. 3. ubi sic inquit: Quidam opinantium non dubitant, sed existimant se certò scire. Et patet id ipsum experientiâ, quâ videmus quosdam sine sufficienti fundamento, ac solida ratione ita pertinaciter adhærere suis opinionibus, ut non opinari, sed verè scire præsumant, ut oppositum etiam falsum existiment, ut contingit inter Scotistas, & Thomistas, & hoc si fortè ex pertinaci voluntate procedat, ut evenit in hæreticis, qui sua falsa dogmata ita verè existimant, ac ipsas fidei veritates, tunc potiùs temeritas & præsumptio dicenda est, quàm opinio. Confirmatur: Quia intellectus aliquando assentitur propositionibus propter fidem humanam sine ulla prorsus formidine, verbi gratiâ: Esse Summum Pontificem Romæ, fuisse Trojam, Horatium Coclitem, totius Exercitus Tuscani impetum in ponte sustinuisse, nihil omninò formidando, cùm tamen actus in se debeant habere annexam formidinem, nam ut secundus Lancellotus Abbas Olivetanus demonstrat, has & similes historias potius esse fabulas. Secunda pars est Conimb. hic cap. 26. q. 1. art. 4. citantes Aristotelem eodem capite D. Thomam, & alios; Et patet ex dictis, quia actus opinionis ut sic, est essentialiter fallibilis; ergò formido, & incertitudo actûs est de essentia ejus, consequentia est bona, quia formido & fallibilitas non distinguuntur; ergò si essentialiter est fallibilis, essentialiter erit formidolosus. Probatur ant. motivum formale actus opinativi est essentialiter fallibile, ut de se patet, nam si esset infallibile, esset scientia de eo, vel fides divina; ergò ipse actus est fallibilis essentialiter, quia implicat actum esse infallibilem, & de objecto certissimo, quando motivum est fallibile.

VIII. **Arguitur.** Repugnat actum esse formidolosum, quin reddat potentiam magis formidolosum; ergò falsum est, quòd formido potentiæ non sit de essentia opinionis, si ulla est de ejus essentia: probatur ant. à simili, implicat albedinem magis intensam poni in pariete, quin paries sit magis intensè albus; ergò à paritate sic erit in proposito. R. Negando ant. cum probationis conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia quòd paries sit magis albus, habet præcisè ab albedine intensa magis, potentia verò non habet ab actu formidoloso, quòd sit fomidolosa, sed ex alio duplici capite, nempe, vel ex parte motivi, quod videt non esse evidens, & sic timet ab ipso falli, quando elicit actum, cùm ipsum sit in se fallibile, & hoc modo formidant scrupulosi: aliò modò ex imperio voluntatis, quæ imperat, quòd non adhæreat intellectus objecto, quod ipsi non apparet evidens.

Instatur. Implicat poni assensum scientificum in intellectu, quin potentia sit certa & evidens de objecto & certitudine potentiæ; ergò implicat poni actum formidolosum in potentia, quin etiam ponatur formido potentiæ in ipsa; probatur consequentia, quia sicut se habet certitudo ad actũ scientiæ, sic habet se formido ad actum opinionis. R. negando consequentiam, & paritatem, quia actus scientificus est talis naturæ, ut nullam patiatur secum incertitudinem, sive in actu, sive in potentia, in quâ est propter formalem repugnantiam, quam habet ad utrumque, formido autèm actus nullam habet repugnantiam cum certitudine potentiæ.

Instatur. Non potest poni actus opinativus in intellectu, qum reddat intellectum intelligentem; ergò non potest poni etiam in ipso, quin reddat ipsum formidolosum; ergò consequenter non potest poni magis formidolosus, quin reddat ipsum magis formidolosum. R. negando consequentiam, quia ut dixi potentia non habet ab actu, quòd insit ei formido; sed vel à motivo, vel ab imperio voluntatis. Per quæ patet etiam quid sit respondendum ad illam instantiam, quæ ponitur ordinariè contra conclusionem, quòd videlicet, quò plures essent rationes, eò plus crescret incertitudo & inevidentia, id verum esse ex parte actûs, non verò ex parte potentiæ, quia in potentia potiùs tunc decrescet incertitudo, quamvis crescat in ipso actu.

QUÆSTIO II.

An scientia, fides & opinio possint esse in eodem intellectu, circa idem objectum?

Quæstio hæc non procedit de objecto incomplexo, verbi gratiâ, subjecto cujuscunq; conclusionis scientificæ, quia sic potest haberi fides, scientia & opinio secundùm diversa prædicata de eodem, sed de objecto complexo, seu de eadem propositione, an possit haberi scientia, opinio & fides? & hoc tam de actibus, quàm habitibus loquendo. Pro cujus difficultatis resolutione revocanda sunt ea, quæ dixi quæstione præcedenti, & insuper notandum, quòd illud objectum possit esse, vel necessarium, vel variabile, quod est proprium opinionis, opinionemq; posse spectari, vel cum formali formidine, seu potentiæ, vel cum radicali, seu ex parte actûs. Quo prænotato: Circa præsentem quæstionem multæ, eæq; variæ sunt opiniones, præcipuæ tamen quatuor. Prima est D. Thomæ, Scoti & suorum, & videtur etiam fuisse Aristotelis, Averois &c. quæ negat, quòd actus opinionis scientiæ, & fidei posset esse simul de eodem objecto. Secunda est D. Bonæventuræ, Alensis, Occhami, Gabrielis, & Nominalium, ac Recentiorum frequentissimè, qui è contra dicunt id non repugnare. Tertia est Vasquez, Coning, &c. qui limitant priorem, & dicunt opinionem posse haberi, & stare cum scientia, quæ habetur per species abstractivas, &c. Quarta est Durandi, & Connimb. qui asserunt Opinionem posse stare cum scientia, si medium opinionis, quod est in se tantùm probabile, existimetur esse evidens. Possent quidem plures adhuc species recenseri, sed huc omnes reducuntur. Itaque

Dico 1. *Possunt in eodem intellectu stare simul habitus fidei, scientiæ, & opinionis.* Est Doctoris 3. d. 24. n. 12. Contra Complutenses. Probatur, quia habens habitum scientiæ de aliqua conclusione, potest eandem, quando ipsi non proponitur

ponitur medium scientificum, probare per medium probabile, aut assentiri propter testimonium alicujus dicentis, sicut Doctor supra n. 17. de Apostolis, *Recogitando Crucifixionem Christi, non habuerunt fidem de ea, sicut nec dum viderent intuitivè, habebat tamen habitum, quo illud credidissent, si non vidissent*, sed in tali casu non perdidisset habitum scientiæ, quia posteà iterum proposito medio scientifico experiretur se tàm facilem ad assentiendum specificè sicuti prius; ergò potest esse habitus opinionis, & fidei cum habitu scientiæ. Confirmatur Conclusio: Quia habens habitum intensum temperantiæ, & exercens unum actum intemperantiæ, non statim perdit totum illum habitum temperantiæ, ergò à pari

III. Dices: Ideò albedo & nigredo sunt naturalitèr incompatibiles in eodem subjecto, quia natæ sunt causare effectus incompatibiles, ut dispregare & congregare visum, sed habitus scientiæ, & opinionis nati sunt causare effectus incompossibiles, scilicet actus; ergò & ipsi erunt simul incompatibiles. R. negando majorem præcisè, sed ideò, quia natæ sunt ita causare, ut non possit una applicari ad suum effectum, quin etiam applicetur altera ad suum, si autèm duo habitus essent in eodem intellectu scientiæ, & opinionis, potest unus applicari absq; eo quòd applicetur alter, scilicet si proponeretur unum medium, & non proponeretur alterum.

II. Dico 2. *Si Objectum complexum sit opinionis variabile, non potest de eodem haberi scientia, & opinio simul.* Hæc erit utiq; communis, & videtur esse genuina mens Aristotelis, 1. Post. cap. ultimo dum dicit: opinionem non esse compatibilem cum scientia simul, & Probatur: Non potest haberi scientia, nisi de necessario, ut patet ex prologomenis, sed si opinionis actus haberet pro objecto aliquid variabile, & contingens, tunc non posset esse de eodem objecto, esse actus scientiæ, probatur, quia tunc intellectus diceret aliquid non posse se alitèr habere, & etiam alitèr se posse habere, quia per scientiam, quæ est de necessariis affirmatur aliquid, non posse alitèr se habere, & per actum opinionis diceret, posse se alitèr habere, quæ sibi contradicunt; ergò.

V. Dices: Intellectum posse utrumq; affirmare per diversa media, adeoq; tunc non esset aliqua contradictio. Sed Contra: Quòd aliquod prædicatum sit necessariò connexum subjecto, vel non necessariò connexum, non dependet ex medio cognoscendi, sed ex medio essendi, quod, quia semper ex intrinseca ratione unum est, non potest per unum medium modò demonstrari necessarium, & per alterum contingens.

VI. Dico 3. *Non possunt de eodem objecto etiam necessario, simul esse actus scientiæ fidei & opinionis cum formidine potentiæ, seu formali.* Hæc etiam videtur esse de mente Authorum, pro prima sententia cit. Probatur: De ratione scientiæ est, ut tollat omnem formidinem, & trepidationem; ergo cum scientia non potest stare actus opinionis, cum formali formidine, quia alioquin certò affirmaret, & non certò affirmaret idem prædicatum de eodem subjecto, quæ sibi similitèr contradicunt.

VII. Dices: Nullam sequi contradictionem, quia per scientiam assentiretur sine formidine, per opinionem cum formidine, qui sunt diversi actus, adeoq; non causant contradictionem. Sed Contra formido, & securitas, seu certitudo inter se formalitèr repugnant, quantumcunq; proveniant ex diversis actibus; ergò opinio habens annexam formalem formidinem, nequit esse cum scientia, quæ secum necessariò defert securitatem. Deinde si ad salvandam contradictionem sufficeret dicere, & allegare solam formarum pluralitatem, tunc possemus dicere non repugnare naturalitèr contraria in summo, in eodem subjecto, verbi gratiâ, calorem & frigus in aqua, assensum & dissensum in intellectu, velle & nolle in voluntate respectu ejusdem objecti, si enim inferatur contradictio ex repugnantia effectuum in eodem subjecto, statim poterit responderi, non esse contradictionem, quia illi effectus sunt à diversis formis, & quod voluntas amplectitur hoc objectum per volitionem, respuit illud idem per nolitionem, quæ doctrina certè evertit totam Philosophiam. Quare si quis contrarium tenet, potiùs diceret scientiam tollere formidinem, atq; adeò tunc non esset certus, & incertus simul. De quo

VIII. *Naturalitèr non stat actus scientiæ cum opinione.* Dico 4. *Si sumatur opinio pro solo assensu probabili sine formali formidine, non potest naturaliter actu scientiæ stare, cum fide & opinione.* Probatur: Quia ubicunq; adsunt rationes evidentes, pellunt rationes probabiles, sicut lux solis pellit lumen candelæ, & sicut ait Doctor: Dialecticum nihil facit impeditum à demonstrativo veluti à fortiori; ergò: nec de hac re ulterior est difficultas. Unde

IX. *Benè tamen divinitus.* Dico 5. *In eadem acceptione non implicat de potentia Dei absoluta, ut de eodem objecto sit simul fides, scientia, & opinio.* Hæc est secunda sententia.

Probatur primò: Quia in hoc nulla potest ostendi implicantia, quin Deus possit facere, ut sint simul fides, opinio, & scientia, ergò: probatur ant. non est major, imò fortè minor implicantia, quòd ista sint simul, quàm quòd duo corpora sint in eodem loco, & unum in duobus, calor & frigus in summo sint simul, sed hæc divinitùs contingere possunt, ergò & illa.

X. Dices: Repugnantiam esse, quia fides & opinio objectum obscurè repræsentat, scientia verò clarè, claritas & obscuritas nequeunt de eodem objecto simul consistere, quia non possunt simul esse lux, & tenebræ, ergò. R. negando claritatem, & obscuritatem non posse simul stare, ad rationem dico: quod scientia, & opinio, vel fides non se habeant veluti lux & tenebræ, seu ut forma, & privatio, nam fides non est privatio scientiæ, imò forma positiva, quæ in Sacra Scriptura adhuc vocatur *lucerna lucens in caliginoso loco.* 2. Petri 1. unde se habet fides, & scientia per modum majoris, & minoris lucis,

non verò per modum lucis, & privationis. Idem dicito de opinione.

Probatur secundò: Quia multa proponuntur nobis in Sacra Scriptura fide credenda, quæ tamen scimus, & novimus scientiâ proprièdictâ, verbi gratiâ: Deum esse &c. Sed hoc frustra fieret, si circa illa scita non possemus etiam elicere actum fidei simul, cum tamen Apostolus dicat ad Hebræos: *accedentem ad Deum oportet credere quia est*; ergò circa objectum scitum, possum habere etiam actum fidei, sicut probabile est, contigisse in Beata Virgine, & Apostolis, qui clarè & intuitivè sciverunt Christum esse crucifixum, & tamen etiam crediderunt, unde dicit Christus Thomæ: *quia vidisti me Thoma, credidisti*, Joan. 20. Confirmatur prima: Quia ex oppositò sequeretur, virum doctum pejoris esse conditionis, quàm rudem, & simplicem, quia hic omnia posset credere fide supernaturali, & meritoria, non tamen ille, atq; vir doctus magno privaretur merito fidei, sed hoc &c. ergò. Secundò: Sequeretur, quòd si vir solemnissimè doctus incidens in hæresin, non posset amplius converti, & justificari, quòd etiam est inconveniens, probatur sequela, potest aliquis talis vir doctus, ob intensissimas species scientiæ habere continuum actum de existentia Dei, toties quoties audit aliquid de Deo dici, sed si vellet iterum justificari & converti, deberet etiam proponenti credere, quòd esset ex textu supra allegato; ergò in tali casu, vel poterit esse simul, actus fidei cum scientia, vel talis homo non poterit converti. Et si adversarii recurrunt ad miracula, quòd Deus tunc ob præparationem cordis suspenderet actum scientiæ, ut meritoriè posset credere, cur potiùs non reinquunt illum actum, & concedunt, quòd Deus tunc supernaturalitèr concurrat, ut eodem actu sciat, & credat. Confirmatur tertiò: Angeli in via scientiam naturalem habuerunt de existentia Dei, à quâ fortè non poterant cessare, & tamen etiam tunc debuerunt habere etiam actum fidei, & credere quia est, & si dicas, quòd miraculosè cessarint à scientia, dicam ego, quòd miraculosè simul cum scientia crediderint.

XII. Probatur Conclusio tertiò: Fides, & opinio, ac scientia non tendunt in idem objectum modo contradictorio, sicut affirmatio, & negatio, sed feruntur omnes sub affirmativo modo, vel sub negativo, ita quòd quilibet secundum proprium motivum illud attingat; ergò non implicat, quòd in eodem intellectu sit simul actus opinionis fidei, & scientiæ de eodem objecto: probatur consequentia, non repugnat, quòd in eodem intellectu de eodem objecto sit actus perfectus, & alius imperfectus, sed actus fidei opinionis tendentes in idem objectum, secundum propriam rationem se habent secundum magis & minùs perfectum; ergò possunt in idem tendere: probatur ma. quia apprehensio & judicium possunt esse de eodem objecto simul in eodem intellectu, sicut etiam cognitio abstractiva, & intuitiva, sed istorum actuum alius est perfectus, alius imperfectus, ergò: ma. quoad primam partem patet, probatur quoad secundam, quia non videtur implicare, quòd beati videntes intuitivè Deum, eundem etiam possunt cognoscere abstractivè per discursum, & demonstrationem à posteriori; ergò etiam poterit sic actus fidei, opinionis, & scientia esse simul, quia non videtur major ratio, quare idem objectum per unum actum possit cognosci ut præsens, & per alterum ut absens, & non possit etiam cognosci per unum actum clarè, & per alterum obscurè. Sed

Opponitur Authoritas, tum Sacræ Scripturæ ad Heb. 11. ubi vocatur fides argumentum rerum non apparentium, tum D. Aug. in Enchrid. Laurent. cap. 8. ubi definit fidem, quòd sit convictio rerum, quæ non videntur, ut proinde dicat benè sequi, vidisti, ergò non credidisti & epist. 112. inquit: videntur enim quæ patent, creduntur quæ latent, sed scientia est evidens & clara; ergò non potest esse cum fide, & opinione. Probatur consequentia: Idem objectum non potest esse patens & latens, sed si essent simul idem objectum, posset patens & latens esse, ergò. R. negando consequentiam: Nam authoritas Sacræ Scripturæ aliud non prætendit, quàm quòd actus fidei sint propter motiva credendi, sint argumenta rerum non apparentium, unde per fidem objectum non debet esse apparens, evidens, & patens, licet aliunde possit esse evidẽs, scilicet per actum scientiæ, similitèr respondeo ad primam authoritatem D. Augustini, quando autèm postea infert: Vidisti ergò non credidisti, distinguo illud consequens, eodem actu concedo, alio actu non posset simul credere, quod vidit, nego consequentiam, & ad secundam authoritatem dico, quòd videantur illa, quæ patent per motivum scientiæ, & creduntur, quæ latent per motivum fidei, non verò dicit, quod possit simul esse actus uterq;. XIII.

Instatur. Actus fidei est meritorius; ergò non potest esse cum scientia, probatur consequentia, quia secundùm D. Greg. hom. 16. in Evangelia: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*, ergò. R. concesso antequam negando consequentiã, quia D. Gregorius, ut exponit ipsum Sanctus Bonaventura, nihil aliud vult, quàm, quòd fides tunc non habeat meritum, quando quis tantùm ideò vult credere, vel assentiri alicui articulo credendo, ex eo quòd per rationem & experientiam ita compererit esse, prout credendus propositus fuit, & non ideò præcisè, quid Deus hoc revelavit, credendum mandavit, tunc enim assensus non innititur authoritati Dei, sed ipsiusmet experimento, ideoq; omni frustratur merito, si aliquis assentiret alicui articulo, non propter suam experientiam, sed solùm, quia Deus hoc dixit, actus adhuc erit meritorius, quamvis fortè non in tantum in quantum fuisset, si non dicisset experientiâ, prout ipse Christus dixit Joan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Dico notantèr fortè, quia potest in tali casu contingere, quòd majus habeat meritum, vel ex eo, quòd tunc in obsequium fidei suum captivet intellectum, vel ob piam illam animi præparationem, & habitum, quo paratus est credere, etiamsi nullo modo cognosceret scientiâ & modo,

modo credit non tàm propter scientiam, quàm propter revelationem divinam.

Urgetur. Sanctus Thomas non credidit illud, quod vidit; ergò nulla solutio, nec poterit explicatio facta bona esse per consequens, probatur ant. quia ipse D. Gregorius supra præfatum textum S. Joannis ait: Sanctum Thomam aliud vidisse, aliud credidisse, nam hom. 26. in Evangelia post medium, sic inquit: Dum ergò vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur: quia vidisti me credidisti? sed aliud vidit, aliud credidit, hominem ergò vidit, & Deum confessus est: ergò non credidit illud, quod vidit. ℟. negando ant. ad D. Gregorium dico, quòd ille non velit, Sanctum Thomam credidisse idem, & vidisse, quia reverà illud credidit, postquam vidit, de quo dubitavit; dubitavit autèm an Christus resurrexisset, quod videns etiam credidit, unde Sanctus Gregorius infert, quod adhuc plus crediderit, quàm viderit, nempè credidit etiam, Christum Deum esse, quod oculis humanis videre non poterat, ita ut iste sensus sit, Sanctum Thomam vidisse Christum, & eum etiam credidisse, resurrexisse à mortuis & simul ipsum esse Deum. Sed ex ratione etiam in Contra sic

XIV. **Arguitur 1.** Implicat quod simul sint amor & odium, lux & tenebræ; ergò etiam implicat, quòd opinio & scientia sint simul, probatur consequentia, quia quemadmodum odium est privatio amoris, & tenebræ lucis, ita etiam opinio est privatio scientiæ; ergò sicut illa non possunt esse simul, ita nec ista: probatur ant. quia scientia lux ob claritatem, & opinio tenebræ obscuritatem. ℟. negando consequentiam, cum ant. probationis disparitas est in utroq; assumpto, quia amor & odium, lux & tenebræ, se habent per modum accessûs & recessûs ad idem objectum, vel ut privatio, & ejus forma, fides autèm, opinio, & scientia se habent per modum plurium accessuum, nec una est privatio alterius, sed omnes sunt formæ positivæ contrariæ, habentes se per modum majoris, & minoris lucis, unde non implicat, quòd simul sint, sicut non implicat, quòd in eodem subjecto sit major & minor lux.

Instatur. Lucente majore luce videlicet sole, candela, verbi gratiâ, nullum producet lumen in aëre; ergò sicut scientia habeat se per modum majoris lucis, & opinio per modum minoris, non poterint etiam esse simul, seu opinio nihil producet de luce. ℟. negando ant. quia sat probabile est, quòd tunc candela etiam aliquid producat lucis, licèt non tantum sicut sol. ℟. 2. permittendo transire ant. negando consequentiam, quia secundum communiorem sententiam lux candelæ, & lux solis sunt ejusdem rationis, non verò lux fidei opinionis, & scientiæ, quare nihil vetat, quò minus esse possint simul, sicut in beatis admittitur cognitio vespertina, & matutina de eadem re, prout etiam Doctor 2. d. 3. q. 8. de angelo, in quo admittit cognitionem intuitivam & abstractivam respectu suiipsius, nec dicas eam frustra esse, quia id non probat, vel impugnat, aut convincit, quòd minus simul esse possint.

Urgetur. Sequeretur, quòd in beatis posset fides esse simul cum visione beatifica, sed hoc est inconveniens asserere, ergò. ℟. Negando seq. Ratio est, tum quia fides est propriè actus viatoris, in cœlo verò non sunt viatores, sed tantùm comprehensores: tum etiam, quia in cœlo non solùm objectum clarè & intuitivè videtur, sed etiam motiva omnia, videlicet veracitas divina, & revelatio, ideoq; nulla manet omninò obscuritas, quòd si tamen contingeret, ut solum objectum esset accidens, & non motiva, non videtur quare non posset esse fides, & scientia simul in eodem intellectu.

Arguitur 2. Scientia est certa, opinio verò incerta; ergò non possunt esse simul, probatur consequentia, quia alioquin sequerentur, duo judicia repugnantia, unum videlicet, quod affirmaret rem non posse se alitèr habere, & alterum quod affirmaret posse se alitèr habere, quæ sibi contradicunt. ℟. opinionem sumptam sine actuali, & formali formidine non esse positivè incertam, sed tantùm negativè, quatenus videlicet ab incertitudine, & certitudine, per quod adhuc sufficientèr distinguitur à scientia, unde licèt aliquando sit satis certa ex parte potentiæ sufficientèr à scientia differt, quæ semper debet esse certa, & necessaria, unde permittendo sic explicatum ant. transire, nego consequentiam, ad probationem ejus dico, quòd non implicet, ut sint diversa judicia de eadem re secundum diversas rationes, sicut non implicat vinum esse formalitèr frigidum, & virtualitèr calidum, quia scientia formalitèr affirmabit, rem alitèr non posse se habere, opinio verò virtualitèr, tamen oppositum potest asserere. XV.

Instatur. Si opinio est tantùm negativè incerta, tunc adhuc non salvatur contradictio; ergò probatur ant. quia scientia est certa, & opinio est non certa, ergò. ℟. negando ant. ad cujus probationem dico, quòd licèt scientia dicatur certa, opinio non certa, adhuc tamen non infertur talis contradictio, quæ arguat eorum incompossibilitatem, quia in hoc sensu quælibet forma disparata, dicit negationem alterius, ut albedo dicit negationem dulcedinis, & dulcedo negationem albedinis, & tamen possunt esse simul in eodem lacte.

Urgetur. Per hoc non salvatur adhuc contradictio, quia per scientiam manet intellectus convictus, per opinionem non est convictus, ergò. ℟. negando ant. cum probatione, quòd enim intellectus convincatur, & non convincatur, pende præcisè ex conditione medii, adeoq; non est aliquid absurdi, quod per unum convincatur, & non per alterum, quia ista duo enuntiantur de intellectu respectu diversorum, unde in tali casu intellectus absolutè deberet dici convictus, tum quia denominatio debet sumi à nobiliori, tum quia si diceretur absolutè, & sine addito non convictus, cum negatio sit malignantis naturæ, posset credi, quòd esset convictus per medium necessarium. Plura vide apud Authores. Et hæ sunt rosæ vernales de spinis Logicalibus

collectæ, quæ ut immarcescibiles permaneant, impono Viro dolorum, qui vicit, & pugnavit in spinis, & ascendens Rex gloriæ triumphat in Rosis, quas in Patrium Paradisum inplantabit, ut reddat aliquando coronam meritorum, & gratiæ. Omnes characteres personent DEO Gloriam, & honorem Amen Alleluja.

FINIS DISPUTATIONUM IN LOGICAM.